Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

De origine erroris libri duo, Heinrychi Bullingeri : in priore agitur de Dei ueri iusta inuocatione & cultu uero, de Deorum item falsorum religionibus & simulachrorum cultu erroneo. In posteriore disseritur de Institutione & ui sacrae Coenae domini, & de origine ac progressu Missae Papisticae, contra uarias superstitiones pro religione uera antiqua & orthodoxa.

https://hdl.handle.net/20.500.14918/462028

DE ORIGINE ERRORIS LIBRI DVO,

HEINRYCHI BVLLINGERI.

IN priore agitur de Dei ueri iusta inuocatione & cultu uero, de Deorum item falsorum religionibus & simulachrorum cultu erroneo. In posteriore disseritur de Institutione & ui sacræ Cœnæ domini, & de origine ac progressu Missæ Papisticæ, contra uarias superstitiones pro religione uera antiqua & orthodoxa.

IESVS.
Hic est filius meus dilectus in quo placata est anima mea, ipsum audite.



TIGVRI IN OFFICINA FROSCHOVIANA MENSE MARTIO, ANNO M. D. XXXIX.

DE ORIGINE ERRORIS LIBRI DVO.

HEINRYCHI BVLLINGERI.

IN priore agitur de Dei ueritate ac operationeR
cauta uero de Deorum item falsorum religioni-
bus & similachrorum cultu erroneo. In posteriore
re differitur de Idololatria & ui facra Cerna da-
mini, & de origine ac progressu Missæ Papisti-
cæ, contra uarias superstitiones pro religione uera an-
tiqua & orthodoxa.

IESVS.

Hic est filius meus dilectus in quo placuit
animæ meæ, ipsum audite.

TIGVRI IN OFFICINA FRO-
SCHOVIANA MENSE MARTIO,
ANNO M. D. XXXIX.

OMNIBVS CHRISTIANAM RELIGIONEM INCOLVMEM OPTANTIBVS S.

VARIE CONSVLTATVR HODIE à multis quomodo possit ecclesia & respublica Christi incolumis seruari à grauibus illis quibus indies uexatur incursionibus. Neq; enim armis modo Turcicis deiicitur & uastatur, sed illorũ quoque hypocrisi, superstitione & nimia potentia premitur, adeoq; opprimitur, qui se murum opponerent pro domo domini, qui ecclesiæ facultatibus uiuunt, & præsides ecclesiarum salutari uolũt. Et hic quidem aliud uisum est alijs. Consulit quisq; ut iudicium donumq; nactus est à domino. Id autem in omnibus collaudandum est, quod omnes seruatam cupiunt ecclesiam. Ex omnibus autem deligendum credo quod ad ecclesiæ incolumitatem pertinere uidetur, id quod suo tempore & loco quisq; adhibebit, quando singulorum esse uideatur de communi salute cogitare, suamq; operam non segniter reipublicæ collocare.

Ego non uideo ullam esse rationem seruandi cõmodiorem ac certiorem quàm si spiritu humiliato & contrito ad diuinam confugiamus clementiam, nostra simul confitentes peccata, & illius misericordiam, consilium & auxilium implorantes precibus & indefessis & ardentissimis. Deinde si doctrinam ueritatis fideliter, pure & synceriter tradamus ecclesiæ quibus id officij est impositum: si item urgeamus pœnitentiam, & inculcemus gratuitã in morte Christi peccatorum remissionem. Hinc si iuxta os domini & secundum scripturam canonicam ea quæ deus damnauit, damnemus: quę ille tolli iussit, tollamus: & quę cauere præcepit, caueamus. Postremo si excussa socordia inertiaq;, simus uigilãtes, industrij & diligentes, nullam negligentes occasionem, sed medijs illis à deo institutis utentes, donec auspicijs domini ad optatum finem perueniamus. Aliud

consiliū non dedit populo domini fidelissimus propheta dei Ieremias, cum ille ijsdem morbis eademq; corruptela laboraret qua laboramus hodie omnes.

Et orationē quidem piam & assiduam apud deū omnia posse nō uno loco testatur scriptura canonica. Orauit Moses dominum, & placatus est deus oratione serui sui, ne faceret malum quod decreuerat. Orarunt sæpe prophetæ, & conseruarunt regna. Orauit in obsidione grauissima Ezechias, & liberauit eum ab Assyrijs dominus. Orauit Iosaphat pugnaturus cū hostibus suis, & dominus strauit eos mutuis uulneribus. Orauit & Helias ne plueret super terras, & non pluit annos tres & menses sex. Vnde D. Iacobus recte collegit, multum ualere apud dominum deprecationem iusti efficacem. Porrò ut efficax sit, permultū iuuat spiritus humiliatus contritusq;, & uera peccatorum confessio. De illo pronunciauit propheta Dauid, Non desideras sacrificium, alioqui darem: neq; holocaustum tibi gratum est. Sacrificia dei sunt spiritus confractus, cor contritum & cōcussum, illa deus nō despicies. De hoc uero pronunciauit Ioannes, & dixit, Si dixerimus, peccatum nō habemus, nosipsos fallimus, & ueritas in nobis nō est, Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Iuuat & hoc si non tantum clamemus, Adiuua nos deus salutaris noster, &c. Te rogamus audi nos, Libera nos dñe, &c. sed uitam quoq; nostram ad dei uoluntatem cōponamus. Clamat enim in euāgelio dñs, Quid dicitis, Domine dñe, & non facitis quæ iubeo? Et ad Ieremiam dicitur, Tu noli orare pro populo hoc, neq; suscipias pro eis clamorem & orationem, quoniam ego non exaudiam. An nō uides quid faciant? Filij colligunt ligna, & patres accendunt ignē, &c. Pœnitentiā ergo iungamus precibus necesse est, non ut nostræ iustitiæ innitamur, sed ut gratiſimus deo & reuerentes erga patrem & dñm nostrum. Alioqui em̄ scriptum est, Non glorietur sapiens in sapientia sua, neq; glorietur fortis in fortitudine sua, nec glorietur diues in diui-

tijs

tis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, si intelligat & cognoscat me: quoniã ego sum dñs, qui facio pietatẽ, iudiciũ & iustitiã in terra: & hęc sunt quę ego desidero in terra.

Et doctrina pietatis pure & synceriter tradita & recepta maximas uires contra omnes tentationes habet. Informat enim iudiciũ, ut de spiritibus iudicare queamus. Animum uero ita roborat, ut nulla mollescat potestate aduersaria, nulla moueatur doctrina falsa. Nã de ecclesia fide uera imbuta pronunciauit dñs, Et portæ inferorum non præuale bunt aduersus eam. Ergo non aliud contra Papismum & Turcismum præsentius erit remedium, quàm si doctrina euangelica synceriter instituti credamus filium dei ueniſſe saluãdis peccatoribus, in quo solo habeamus perfecte quę ad uitam beatã pertinẽt. Porrò enim abominabimur quic quid nugarum suarum protulerit Pontifex, quando firmiter credidimus nulla re nobis post Christum alia ad perfectionem opus esse, & illum non emi pecunia, sed recipi uera fide. Defendet item potentissimus ille dei filius cultores suos contra omnem uim Turcicam: & si quid acerbius pati nos propter peccata nostra oportuerit, fidelis tamen dominus, qui nõ sinet nos tentari supra id quod possumus, imò faciet unà cum tentatione euentũ quo simus ferendo.

In primis uero necesse est ut iuxta doctrinam ueritatis illa dãnemus & auferamus è medio quę uerbo suo tolli præcepit dñs. Noluit enim plene & ex integro in gratiã redire cum patribus, nisi sublatæ essent prius religiones uanæ. Hinc enim Iosue ad ecclesiam Israelitarum dicebat, Nunc igitur timete dñm, & seruite illi in perfectione & ueritate, auferentes deos quos coluerũt patres uestri ultra fluuium & in Aegypto, & seruite dño. In libro autem Iudicũ ita legis, Et dixit dñs ad filios Israel, Vos dereliquistis me, & coluistis deos alienos, & iccirco non addã ut saluem uos. Ite & clamate ad deos quos elegistis, illi saluent uos in tẽpore anguſtię uestræ. Et dixerũt filij Israel ad dñm, Peccauimus, age tu nobiscũ quicquid fuerit bonũ in oculis tuis, tantum eripe nos in hac die. Abstulerũt uero deos alienos de me-

dio sui, & seruierunt domino. Huc quoq; illud Pauli pertinere uidetur, Quid cõuenit templo dei cum simulachris? Nam uos templum estis dei uiuentis: quemadmodũ dixit deus, Inhabitabo in illis et inambulabo, & ero illorũ deus, & ipsi erunt mihi populus: quapropter exite de medio illorum, & separemini ab illis, dicit dñs, & immundũ ne tetigeritis, & ego suscipiam uos, & ero uobis loco patris, & uos eritis mihi uice filiorum ac filiarum, dicit dñs omnipotẽs. Ergo si saluos nos esse cupimus, si deum defensorem dñm & patrem nostrum esse uolumus, uitam nostrã reformemus oportet.

Est autem Reformare, formã pristinam reducere, pristinoq; nitori restituere. Oportet itaq; Reformationem per omnia similẽ ac parem esse antiquæ formæ. Qui enim mala malis mutant, non reformant, sed trãsformant. Qui uero unum atq; alterum uitium tollunt, cætera relinquunt: quædam correxerũt, non omnia reformarunt. Hi similes sunt stolido & ignauo hortulano, qui ex horto suo sentibus oppleto stipulam unam atq; alteram extrahit, sentice-tum interim relinquit. Qui omnia pristinæ formæ & simplicitati restituunt, reuera reformant. Cæterum formula illa reformãdi non petenda est ab exẽplis & actis hominũ, sed è lege dñi. Nam scriptura diuina Canon est & Regula sanctorum. Ad huius itaq; præscriptũ agẽda sunt omnia. Videntur autem considerandæ Res & Personæ, & harum aliæ sub religionẽ, aliæ sub politiam pertinẽt. Igitur locum hic habẽt Doctrina ueritatis, Prophetia, Scholæ, Cultus, & Sacramentorũ institutio ususq;, Mores sancti & inculpati, Leges, Iudicia, Contractus, & si quæ alia sunt quæ ad salutem ecclesiæ ac reipublicæ attinent. Personæ sunt Doctores, ministri sacrorũ, proceres siue magistratus, &c. Hic uero summa fide & diligentia scrutãdæ sunt scripturæ, expendenda æquitas, dispiciendũ in rebus nostris uel ecclesiasticis uel politicis quid superfluum sit, quæ omnino tollenda, quæ mutanda, quæ ferenda, quæ deniq; obsoleta nunc renouanda atq; reuocanda sint. Debent aũt sacerdo

tes

tes domini ueritatis ſententiam è lege dei proferre, & magi ſtratus urgere. Debet & magiſtratus ſanctus legi dei obedi re, & pro officio ſuo iuſtam reformationẽ populo ſibi con credito procurare. Habet hic bina exempla in ſacris inſi- gnia quæ imitetur, Ioſiam religionem & Ioſaphat iudicia reformantem. Neq; enim ſatis eſſe putabũt, ſi religionem paululum expurgarint renouarintq;, niſi & corrupta iudi cia moresq; noſtri ſæculi corruptiſſimos correxerint. Nil certe proderit audiſſe contionem euangelicam, & partici- paſſe de menſa dominica, & extuliſſe gloriã ueritatis euan gelicæ, damnaſſe errores Antichriſti, niſi & uitam uixeri- mus noſtra profeſſione dignã. Clamat propheta Ieremias ac dicit, Sic dicit dñs exercituum deus Iſrael, Bonas facite uias ueſtras & ſtudia ueſtra, & faciam uos habitare in loco iſto. Nec fiduciam ponatis uobis in uerbis mẽdacibus, di- centes, Templum dñi, templum dñi, templũ domini, quin magis benefaciẽdo benefacite uias ueſtras & ſtudia ueſtra, atq; exequendo exequimini iudiciũ inter uirum & proxi- mum ſuum. Peregrino, pupillo & uiduæ calumniam ne fe ceritis, neq; effuderitis ſanguinem innocentẽ in loco iſto, & poſt deos alienos non ambulaueritis.

Quanquam ante omnia oporteat purgari religionem. Corrupta eñ religio corruptela eſt uitæ. Præterea conſtat cum corrupta religione creuiſſe ſimul Sarracenorũ et Tur carum uires. Cum enim à Gregorij ſæculo ambitio ponti ficum auaritiaq; ſerperet, cœna dñi in abuſum uenire, & ſimulachra in templis propugnari inciperent, cum mona chiſmus uires eundo acquireret, & doctrinæ parũ apoſto- licæ reciperẽtur, extulit in Arabia caput peſtilẽs ille Mahu metes caput regni Sarracenici: & quo plus creuere apud nos ſuperſtitiones, hoc magis creuere hoſtium uires. Tan dem cum nullus eſſet finis ſuperſtitionũ, ſub Bonifacio 8. pontifice corruptiſſimo, Anno dñi 1300. excitauit domi- nus Ottomannum illum Turcici imperij caput, à quo qui regnarunt filij, nepotes ac pronepotes, paucis exponi non poteſt quantum uaſtarint Chriſti eccleſiam. Nec dubiũ eſt

quin illorum successus & felicitas ex nostra existat superstitione & impietate. Quid tandem uero cõsequuturum sit, docet exemplum regni Israelitici & Iudaici. Nam cum idololatria Solomonis creuerunt uires Idumæorum & Syrorum, & cum posteri Solomonis peccatum peccato acerularent, addidit Assyrijs Babylonios dñs, qui superstitionem cum impijs excinderent. Nisi ergo cõuersi fuerimus ex toto corde ad dominũ, non est quod alium euentũ expectemus. Excindemur enim uel à Turca uel ab alio quopiã tyranno crudeliore. Verum dñs misericors est, qui non uult mortem peccatoris, sed ut conuertamur & uiuamus: ideo uero euangelium suum nobis annũciari uoluit: pœnitentiam ergo agamus, & credamus euangelio.

De Vigilantia principum & populi, aut de medijs rite aptãdis, in præsenti nihil dicam. Religione enim recte constituta, non aberrabũt media, neglecta pietate non proderunt. Hoc adijciam in utilitatem incolumitatemq; ecclesiæ hosce duos de Origine erroris libros me ædidisse, ut scilicet de ueritate & falsitate istorum capitũ copiose edoctus, in ueritatis partes libentius cõcederes, relictisq; erroribus deo seruires in ueritate. Vsus sum frequenter in illo opere patrum scriptis, idq; propter illos qui plus ferè mouentur patrum dictis quàm scripturæ testimonijs. Alioqui fateor ingenue in hac caussa me non niti patrum sententijs. Solis enim scriptoribus canonicis eum honorem defero, ut omne religionis negotium ex illorum pronunciatis uel recipiendũ uel repudiandũ fit: nec patiar hic me alijs quàm scripturarũ premi testimonijs. Quisquis autẽ es tu animam tuam & ecclesiam cupis seruatam, ueritati crede, pœnitentiam age, ora assidue, & in eum omne præsidium uitæ colloca, qui pro te mortuus est & resurrexit Iesus Christus; quem ex animo inuoco ut ecclesiam suam seruet. Amen.

Tiguri Mense Martio. 1539.

H. Bullingerus.

IN LIBRVM DE ORIGINE ERRORIS CIRCA INVOCATIONEM ET CVLTVM Deorum ac Simulachrorum, ad D. Ambrosium Blaurerum Constantiẽ. Præfatio.

SCIO mihi non defuturos aduersarios qui & argumentum quod in hoc libro tracto et modum quo trado prorsus sint damnaturi: uerũ consolabitur me conscientia mea coram domino. Noui enim quid spectauerim, nouit ipse cordium scrutator dominus quod ista non in contumeliam fidei rectæ & sanctorũ, sed in gloriam dei multorumq; hominum salutem ædiderim. Modum in tradendo sequutus sum qui maxime uidebatur perspicuus esse & huic negotio congruere. Simpliciter expono omnia. Vtor oratione uulgari minimeq; picturata aut elaborata. Hoc enim religionis causſa omni fuco carens syncera & simplex, eorum item conditio poscere uidebatur in quorum gratiã ista scribebam. Chrysippea acumina & superstitiosulos quosdam dictionis admiratores censoresq; nihil moror. Tractarunt ante me quidem partem huius argumenti homines sancti & docti, quorum alij etiamnum uiuũt, alij concesserunt ad dominũ, pauci uero aut nulli de origine erroris totoq; superstitionis negotio ex professo & ordine certo disseruerunt. Extant enim eorum opera, in quibus per partes nunc de Inuocatione diuorũ, nunc de Simulachrorum cultu disputarunt, nonnun

quam & alia interim agentes per occasionem istarum rerum meminerunt. Ego uero totum illud superstitionis negotium in compendiũ contraxi, de hoc tantum disserui, totumq; semel oculis Lectorum spectandum proposui. Quod sicubi usus postulabat, aut in illorum libris elegans sententia aut euidens extabat argumentum, hisce nostris inserui. Merito enim piorum hominum lucubrationes magni æstimo, utpote quorũ ministerio ad bonũ ecclesiæ suæ utitur dominus, & quorum spiritus nunc uiuunt apud dominum: tantũ abest ut uel tantillum de laudibus piorum hisce nostris diminutũ cupiam. Atqui hoc tempore & sæculo ista eo potissimum nomine publico, quod uideam potentes, doctos, principes, & maximæ existimationis uiros, uafris artibus, disputationibus & cõcionibus ingeniosis, ædictis publicis, modis denicq; oñibus id conari ut tota Christi fidelium ecclesia Diuorũ intercessionem & inuocationem, sed et simulachrorum usum & cultum in templis agnoscat & confiteatur apostoli cum, antiquum, orthodoxum & rectum esse.

Ideo enim in priore operis parte quid prophetæ et apostoli apostolicaq; ecclesia de deo, eius inuocatione & cultu senserit atq; crediderit ostendo. His oppono superstitionem, ubi differo de primis caussis & initijs erroris apud Gentes, Iudæos & Christianos. Neq; ob aliud ibidem de Gentium superstitionibus disputo copiosius, quàm quod sub finem libri collationem subijcio inter superstitionem Gentilium & Christianorũ, ut iam mox ab initio colliqueſcat id à nobis nulla fieri cum pietatis iniuria. In Iudæorum superstitionibus et idololatrijs declarandis ideo diutius immoror, quod ex illis quoq; nostræ melius cognosci posse uidebantur.

tur. Iam in inquirendis originibus nostræ superstitionis altius rem repetij. Excutio enim sanctorũ quorundam patrum super hac re sentẽtias: quibus tamen nolui, quod uideri poterat, cornicũ oculos, ut dici solet, configere, sed ueritati patrocinari, quæ sanè omnium hominum ac patrũ existimationi anteferenda est. Hoc consilio respondi etiam ad singulas aduersariorum obiectiones, quas licet paucis bona tamen fide recensui, bona fide item discussi, sed quàm feliciter iudicabunt Lectores. Et hæc quidem disputata hactenus concludo assertione inuocationis diuini nominis & intercessionis domini nostri Iesu Christi. Hic enim alter disputationis nostræ scopus est, solũ deũ per Christum unice esse in omnibus inuocandũ, non deos, nõ diuos, neq; ullam quantumuis excellentem creaturã. Progredior amplius & differo iam etiam de initijs & progressu idololatriæ, quę dogma illud de intercessione, inuocatione & cultu diuorum sequuta est, expono causas propter quas quibusdam uidebatur imagines in templa Christianorum esse recipiendas. His argumenta adijcio quibus tuentur receptas. Ex oppositio lege dei prolata & exposita, quæ cõtra idola legitur promulgata Exodi 20. aduersariorum argumenta dissoluo. Vbi ex historijs recenseo quantum incendium excitarit in ecclesia Christi, & quantũ malum toti orbi Christiano dederit infelix illa inter orientales & occidentales de usu imaginum Christi & sanctorum in Christianorũ templis concertatio. Postremo cum aduersarij omnes huc ceu ad sacram ancorã confugiant quod alia fuerit ratio in superstitione & idolorum cultu Gentiliũ, alia in cultu diuorum & imaginum apud Christianos, ego collatione quadam demonstro eun-

dem esse cultum superstitionem eandem deorum ido lorumq; apud Gentes, & diuorum ac imaginū apud Christianos. Hanc uero disputationē concludens tan dem iustis caussis in medium prolatis ostēdo quanto pere cauere oporteat idololatriam & omnem peregri num cultum, quē dominus tantopere odit ac execra tur: qui certe alter huius disputationis nostræ status est, uidelicet Christiano homini constanti fide fugien dam esse omnem idololatriā: deum enim eum appro bare cultum qui spiritu, fide & integritate constat.

Hoc argumentum tractaueram ante annos prope modum XV. & chartis quibusdā per exercitationem immitationemq; Lactantij illeueram: cumq; ante an nos X. in illas forte incidissem & fratribus doctis & pijs communicassem, uidebatur ijs operæpretium fo re si publicarem, profuturum enim ut si non ad aliud ad hoc saltem quod mea lucubratione nobiliora inge nia excitari posse crederent, quæ utile aliâs & necessa rium nostris sæculis argumentum doctius & felicius tractarēt. Feci tum quod iubebant, & opusculum De origine erroris in diuorum & simulachrorum cultu ædidi. Interea uero quid alij quoq; proferrēt expecta ui, interea & huius argumenti in scripturis patribus & historijs obseruaui plurima: tandē cum nemo pro dit qui meliora proponat in medium, opusculū illum meum denuo in manus sumo, recognosco adeoq; & regenero. Creuit autem opus in ipsis, quod dici solet, manibus nostris, & in tantū creuit, ut si conferas cum priore, triplo prope excedat, imò prius illud nequaq; agnoscas. Argumentum quidem idem est, ueritas ea dem, neq; uel tantillum in sententiæ summa mutatum dicet qui utraq; cōferet, diligentius ni fallor & copio

sius

sius nunc omnia tractaui. Neq; id uituperabũt in me Lectores æqui, qui hoc ipsum laudarunt in alijs.

Dedicaram autem primam illam operis nostri fœturam nomini tuo, Ambrosi clarissime, quam tu pro tua admirabili humanitate perbenigne recipiebas, unde nunc quoq; pergratum tibi fore credebam si idem liber iã tamẽ aliquanto opulentior, cultior, habitiorq; sub tuo nomine prodiret denuo in publicum. Multi nimirum uiri boni hæc nostra nõ tam meo quàm tuo nomine legent. Nam uirtus tua commendauit te omnibus bonis uel apud exteras nationes illã prædicantibus. Prædicãt illam celebres per Sueuiam ecclesiæ, ante alias uero in primis illustris & uere cõstans Constantien. ecclesia, doctrina & fide sana, patientia inuicta, puritate charitateq; celebri multo clarissima. Lucubratio ipsa nil opinor impuritatis habet, imò in assertionem puræ & synceræ religionis conscripta est, igitur non grauaberis huius mecum cõmune sumere patrocinium. Dominus Iesus adsit nobis & dirigat corda & ora nostra in gloriam nominis sui, Amen. 1539

De Deo Deiq; nominibus, & quid sit Deus. Cap. I.

MAgnus ille Alexandriæ episcopus sacer Athanasius ad Antiochũ scribens principem, Sanè omnes, ait, quotquot deum apprehendere studuerunt suam ipsorum umbram persequuti sunt, & quotquot extiterunt qui de essentia dei statue rũt dicere, abyssum palma sua mẽsurare conati sunt. Nam summi illius ac omnipotentis dei tanta est potestas, tanta uis & maiestas, ut eam neq; mẽte, sicuti est, concipere, neq; uerbis enarrare quisquã possit. Agno *Dei nomẽ ineffabile.*

uerunt hoc ipsum quicũq; inter Gentes paulò sapientiores religiosioresq; uidebantur. Nam M. Cicero in 1. lib. de Natura deorum, Roges me, inquit, quid aut quale sit deus, authore utar Simonide, de quo cũ quæ siuisset hoc idẽ tyrannus Hiero, deliberandi sibi unũ diem postulauit, cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petiuit, cum sæpius duplicaret numerum dierũ, admiransq; Hiero requireret cur ita faceret? Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res uidetur obscurior. Proinde nemo expectet uocabulũ aut finitionem aliquam certam, quæ naturam dei per omnia explicet circumscribatq;. Extant sanè in scripturis certa nec pauca dei nomina: at ea aliquantam dunta-xat dei uim adumbrant, totam non exprimunt, unde & attributiua à quibusdam nuncupata sunt. Etenim de rebus quibuslibet siue spiritualibus siue corporalibus non possumus loqui, nisi per distincta uocabula & notiones captui nostro perceptibiles. Hinc uero attributa sunt deo uocabula in scripturis sanctis, de quibus nunc paucula quædam adferemus in medium.

Iehouah siue Existo siue Ens.

Primum & maxime proprium dei uocabulum est יהוה Iehouah, quod uocant τετραγράμματον quadriliterum eò, quod quatuor cõstet spiratilibus literis, appellant & ἀνεκφώνητον, id est ineffabile. Rabbi Moses Aegyptius putat omnia nomina creatoris petita esse ab effectibus, solum nomẽ Iehouah arbitratur subsistentiam, & ut sic dicam quiditatẽ dei significare. Et Rabbi Heccados, Deus, inquit, nomen non habet cuius nos cognitionem habere possimus. Nam eius subsistantia est nomen eius, & nomẽ eius subsistantia eius. Animaduersum est hoc & ab Ethnicis, qui duabus literis in Apollinis templo dicatis EI iudicarunt aptissime exprimi

exprimi dei essentiam simplicissimam æternam & incommutabilem. Nam ἐι Græcis sonat es. Iam & uocabulum Iehouah apparet tractũ esse, quod erudite tradidit in Nahum prophetam Bibliander noster, à uerbo substantiuo היה per Iod præfixum, qua ratione fiunt plurima Iacob, Iudas, Izrael, Ieremias & similia: ut iam uox Iehouah significet entem seu existentem suis uiribus, sine principio sine fine, in quo sumus, uiuimus & mouemur, ut pie canit Aratus Cilix, & subscriptorem habet suæ terræ hominẽ Paulum Tarsensem. Hoc ipsum nomẽ prodit deus Mosi percontanti quo appelletur uocabulo. Dicit enim Exod. 3. cap. אהיה אשר אהיה Eram qui eram, uel ut nostri uulgati codices habẽt Sum qui sum. Aristotiles in libello quẽ de Mundo scripsit, Budæo interprete, de nomine dei disputans, inter alia dicit, Vnus porrò deus cum sit pluribus nominibus appellatus est, à suis utiq; effectibus denominatus, quorũ specimen ædere ipse solet. Atq; eum quidẽ tum Ζῆνα tum Δία uocant inter se compositis utentes nominibus atq; è regiõe collocatis, tanquam duabus his uocibus significare uelint per quẽ uiuimus. Et Aristæas ille uir celeberrimus apud regẽ Ptolemæum Philadelphi differens caussamq; Iudæorum agens suasit illis libertatẽ concedi. Iudæos enim unum deum colere, quem & Græci uenerẽtur appellantes Ζῆνα quod omnibus uitæ munera conferat. Author huius Iosephus lib. Antiq. 12. cap. 2. cuius uerba si quis requirat hæc sunt: Nam cum multa sæpius indagassem, aiebat Aristæas, cognoui eos omniũ factorem deum colere, quem nos Ζῆνα, id est Iouem nominamus, quod omnibus indulget ζῆν, id est uiuere. *Iah et Hu,*

Huic finitima sunt nomina יה Iah, & הוא Hu, quæ *Deus & Ipse.*

& ipsa ab essentia deriuantur. De priore tradit S. Hieronymus, quod uni tantũ deo in scripturis tribuatur. Meminit eius uocis Psal. 68. Petrus Galatinus lib. de Arcanis catholicæ ueritatis 2. cap. 10. Iah, ait, idem est quod deus, & patrem designat qui totius diuinitatis fons est. Idẽ mox addit, Hu quod Ipse interpretatur, filiũ significat. Huc pertinere putat illud Isaiæ in 35. cap. Deus ipse ueniet & saluabit nos. Idem tamen uocabulum & patri aptatur. Nam Psal. 33. legis, Quoniã ipse dixit & factũ est: ipse præcepit & extitit. Est itaq; deus illa proprie essentia quæ à seipsa est, & esse confert omnibus existentibus, perpetua & perfectissima ἐντελέχεια, per quem & in quo & ad quem sunt omnia.

Adonai, Dominus. Appellatur item אדני Adonai, id quod omẽs interpretarunt Dominus. Habet enim deus merum dominium in omnes creaturas uisibiles & inuisibiles, omnes denicq; rationales creaturæ agnoscũt se tanti principis & domini esse seruos. Additur aliquando ad euidentiam uox צבאות Zebaoth, quam LXX. uertẽrũt uirtutum, Aquila exercituum, dicituŕq; dominus uirtutum & dominus exercituũ. Nam deus uirtute præstat & omni potentia maior est, omnipotens uidelicet angelicarum uirtutum omniumq; spirituum, militiæ item cœlestis, id est astrorum imperator & dominus. De hoc enim legimus, Mille millia ministrabant ei, & decies mille miriades stabant ante ipsum. Et iterum, Ipse supputat numerum stellarũ atq; omnibus ijs nomina uocat. Idem educit astra ceu exercitum imperator, & singula nutum eius obseruant. Vnde non impie, sed uenusta quadam fabula ista tegens Aristotiles in libro de Mundo, Quemadmodum fit in choro, inquit, ut auspicanti præsuli aut præcentori accinat omnis

nis chorus è uiris interdũ fœminisq; compositus, qui diuersis ipsi uocibus grauibus scilicet & acutis cõcentum attemperant: eandem ipsi rationem statuimus & in deo, qui uniuersum mundum moderatur & regit. Sydera enim semper & uniuersum ipsum cœlum eos ad numeros mouentur quos deus sursum quasi auspicando præcinendoq; emodulatur, quem à similitudine sanè cõgrua κοσμοφαῖον mũdi recte appellaueris, quasi præsultorem ipsum huiusq; chori magistrum. Additur aliquando uocabulum עליון Aeleon, id est excelsus, dicituրq; Dominus excelsus: ut Psalm. 97. Excelsior es domine omnibus quæ sunt in terra, nimis exaltatus es supra omnes deos. Et Psal. 113. Excelsus super omnes gentes dominus, & super cœlos gloria eius. Quis sicut dominus deus noster, qui ita se sublimat in habitatione? Hac de caussa uidetur apud Græcos appellatus esse ὕψιστος, id est supremus, qui ut Poëta ait, in summo culmine uniuersi cœli suum habet ipse domicilium.

Iam & אל El dicitur Deus à robore. Aquila enim ἐτυμολογίαν eius exprimens ἰσχυρὸν, id est fortem interpretatur. Potens est enim deus qui quæcũq; uult consicere potest. Et Ieremias in cap. 20. Dominus, inquit, est mecũ ceu gygas robustus. Et Isaias de Christo domino uaticinans, Vocatum est nomen eius inquit אל גבור deus fortis. Huic confine esse uolunt nomen אלוה Eloah, cuius plurale est אלהים Elohim. Videtur tamẽ appellatio ea dei innuere præsentiam, qui ubiq; adsit, neq; unquam suum deserat opificium. Nam אל significat ad, cui additur ה relatiua particula, quod deus se referat ad omnia, quod sit ubiq; & in creaturis suis omnibus. Certe Græcis dictus est θεὸς, nimirũ ἀπὸ Deus.

El et Elohah et Elohim.

θεῶν à promptitudine & accurrendo, ut interpretatur Cœlius, quod nunquam desit mortalibus, sed semper & ubique ferat opem. A Græco uocabulo deflexa ac transumpta est forte & Latinorum uox Deus, nisi cui ueri similius uideatur tracta esse ab Hebraica די Dai.

Gott. Germanica appellatio Gott, haud dubie deriuatur à bono, quod Germani uocamus Gůt: erit ergo Deus Das obreſt vollkommeſt gůt, siue ut Græce dicam τἀγαθόν, illud bonum quod in se continet omnia bona & quod omnium bonorum in mundo unicus fons & unica causa est: quo forte trahi poterat illud Ioannis dictum, Deus charitas est. Porrò pluratiuam uocem Elohim scriptura non tantũ deo tribuit, sed communicat etiam angelis & iudicibus, quod per hos operetur dominus, & sua se uirtute ostendat præsentem. Hoc ipsum nomen nõ semel in sacris iungitur uerbis singularibus, quemadmodũ mox ab ipso Geneſis initio legis, In principio creauit Dij cœlũ & terrã. Nam ברא Bara creauit, singulare est, אלהים Elohim plurale, notaturq; trinitatis mysteriũ: ut sit sensus, Deus ille trinus in principio creauit cœlum & terram. Verum hac de re docte disputauit Petrus Galatinus.

Schaddai Saturnus. Gen. 17. cap. dicit dominus ad Abrahã אני אל שדי id est, Ego deus sufficiens uel sufficientia, Nouũ itaq; dei uocabulũ habemus. Nam appellatur Deus Schaddai. Id autem deriuarunt alij à שדד uastauit: quasi tu dicas, Ego sum deus uastator, qui uidelicet æqui & iusti obseruantissimus impios uasto atq; excindo. Verũ magis mihi placet Rabbi Mosis Maimonis filij sententia, quam Petrus Galatinus hisce fermè uerbis exponit, Nomen Schaddai compositũ est ex uerbo די dai, quod est sufficit, & ex litera ש, quæ idem pollet quod אשר

אשר qui, ut Schaddai idē sit quod qui sufficit uel qui sufficiens aut sufficientia est. Hæc Galat. Poterit itaq; Deus appellari Saturnus. Vt enim à die fit diurnus, sic à saturando dicitur Saturnus. Nam Deus is est cui nihil deest, qui sibi in oīmibus satis est, qui nullius ope indiget, imò qui oīa quæ ad absolutam felicitatē pertinent solus habet, & qui omnes omnibus bonis solus exaturare potest. Latini cum omnia affatim superesse significant, Copiæ cornu, Græci κέρας ἀμαλθείας dicūt. Itaq; licebit nunc summā illam uim ipsum Deum appellare & Schaddai, & Saturnum, & Copiæ cornu. Exod. 6. cap. consolatur dominus Mosen argumentis ductis à promissionibus & facultatibus diuinis, fore ut promissam patribus terram filij recipiant. Dicit ergo, Ego dominus qui apparui Abraham, Isaac & Iacob ueluti deus Schaddai, sed in nomine Iehouah nō sum cognitus illis. Quod perinde est ac si dixisset, Ne dubites de meis pollicitationibus. Sum enim deus ille sufficiens & opulētus qui omnia bona habeo: sum beneficus qui opes meas liberaliter effundo. Apparui ergo maioribus tuis & promisi illis me futurum Schaddai siue Saturnum, daturumq; terram lacte & melle manantem. Id autem hactenus non præstiti, nunc autem præstabo, ut innotescat isto modo illis nomē meū Iehouah, quod ab essendo deriuatur. Sentiēt ergo me esse constantem & immutabilem essentiam, quæ perpetuo sui similis, facit quod se facturum recipit pleneq; exaturat. Alioqui citra contrauersiam ipsum dei uocabulum Iehouah patriarchis cognitissimum uulgatissimumq; fuisse constat. Est itaq; Deus thesaurus & copiæ cornu omnium bonorū, à quo solo deriuantur omnia quæ in mūdo reuera bona sunt. Neq; enim

bona sunt quæ extra deum bona uidentur.

Deus Abraham, Isaac & Iacob.

Rursus Exo. 3. legimus, Sic dixit dominus ad Mosen: Sic dices ad filios Izrael, Dominus deus patrum uestrorũ, deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob misit me ad uos. Hoc est nomen meum in perpetuum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem. Voluit ergo deus appellari Deus Abrahã, Isaac & Iacob, ut promissionum, operum ac beneficiorum memores quæ patribus illis præstitit, simul etiam colligeremus deum esse lucidissimum totius mundi oculum, patrem benignissimũ, administratorem omniũ sapientissimum, beneficum, liberalem, clementem, ueracem, iustum & confertissimum omnium bonorum cumulũ. Hoc enim esse Deum dicet quisquis promissiones factas patribus, opera item, dei curam gubernationemq; qua circa illos usus est, expenderit.

Lxxij. dei nomina.

Præter hæc sunt etiam complura alia dei nomina. Vocatur enĩ Pater, Sponsus siue maritus, Rex, nimirum à cura, amore & fide sua in nos. Cæterum de quibus hactenus disserui omnium uulgatissima sunt celeberrimaq;. Petrus Galatinus lib. 2. de Arcanis Catholicæ ueritatis cap. 17. ex Cabalisticis libris recenset dei nomina LXXII. quorum interpretationẽ sicuti à nostris quibusdam allata est, si quis requirat, hæc est, Exaltator, Auxiliator, Spes, Salus, Quæsitus, Annũciatus, Longanimis, Adorandus, Recordabilis, Tu, Exaltandus, Opportunus, Decãtatus, Subleuator, Ens, Aduocatus, Dominator, Iustitia, Exauditor, Eruens, Fortis, Dexter, Custos, Expectandus, Mirabilis, Inuocandus, Saluator, Festinus, Satiator, Ab adolescẽtia, Solus, Rectus, Cogitabundus, Expectatio, Deprecatio, Gloria, Facies, Refugium, Adiutor, Propulsator, Liberator,

Liberator, Custos, Matutinus, Doctor, Compatiens, Operator, Magnificus, Reuelator, Maximus, Clemens, Lætabũdus, Altissimus, Verus, Regnator, Aeternus, Erector, Protector, Animus, Oriens, Iustus, Benedictus, Amabilis, Laudabilis, Miserator, Deprecabilis, Assistens, Dator, Bonus, Præmiũ, Deus, Multus, Requies. Hæc demũ duobus & septuaginta Psalmorum uersibus applicant. Plura de ijs qui legere uelit, apud Galatinum reperiet. Mihi planè uidetur ad istorum exemplum, multo plura posse dari deo uocabula, & fortassis quædam congruentiora.

Tractatur locus Exodi 33. & 34. cap. de Deo et nominibus eius.

Omnium uero euidentissimus de Deo eiusq; nominibus & quid sit, locus, extat apud Mosen Exodi cap. 33. & 34. Videbat Moses facilitatem dei & quod ab eo nihil non impetraret, audet ergo quod omnibus sapientibus semper uisum est summum esse, postulare. Dicit enim, Quandoquidẽ uideo te mihi bene uelle adeoq; & nihil denegare, agè quæso ostende mihi gloriam tuam, id est, exhibe temetipsum mihi & ostende mihi speciem illam maiestatis tuę glorioſam. Dominus uero, Ego, inquit, transire faciam omne bonum meum in conspectu tuo, & uocabo in nomine domini coram te, hoc est, ipse qui summum bonum existo, transibo aut mei spectrum quodpiam faciam trãsire, adiectis quibusdam uocibus aut nominibus quæ naturam & substantiam meam adumbrent. At ne quis Mosis merito tantam uisionem tribueret, interponitur à domino, Illa autem uisio non contingit tibi propter tuum meritum. Nam citra meritum humanum cuicunq; uolo me reuelo, citraq; respectum personæ in quemlibet ero beneficus. Deinde ad institutum redit & exponit quomodo se sit exhibiturus ostensu-

rus' ue Mosi, & ait: Non cõceditur tibi in hac uita corporeis oculis meam substantiã sicuti est uidere. Neq; enim quisquam hominum me simul uidere in terris & uiuere potest. A morte demum conceditur beatis spiritibus clarificatisq; corporibus uidere me ad plenum sicuti sum. Proinde in præsenti hoc modo ostendam me tibi, Ascendes in montem, ibi designabo tibi locum, cauernam scilicet petræ, in qua stabis. Hic autem ponam super te manum meam, nubem inquam uel aliquid tale, ne in aduersum & iam uenientem recta & in uultũ intuearis. Videtur enim loquutio mutuata esse à hominum consuetudine, qui manum uultui inijciunt ac oculos ueluti contegunt, cum rem aliquam ne penitius uideatur occulere uolunt. Deinde transibo, ait, quod perinde est ac si dixisset, Spectrum quoddã gloriæ meæ transibit. Sed ubi hactenus transiero ut amplius in uultum meum recta intueri non possis, rursus auferam manum meam qua contexeram uultũ, & tum uidere licebit posteriora mea. Nam in ipsam uidere faciem planè non concedetur. Hoc autem quid aliud est quàm si dixisset, Nõ permissum est uel tibi uel cuiquam mortalium ipsam meam uidere essentiam & percipere quomodo ab æterno subsisto solus deus uerus. Ex dictis tamen & factis, quæ post me relinquo, colligẽt sancti quis & qualis sim ineffabilis, infinitus, æternus, per se subsistẽs & omnibus subsistentiam conferens. Videtur autem etiam hoc transumptum esse à communi forma & ratione loquendi hominum. Quia enim facies seu uultus animi speculum est, ideo dicimus eos penitissime nouisse quos nouimus ex facie. Itaque Faciem usurpauit scriptura in præsenti pro penitissima & perfectissima cognitione,

qua

qua semel quicquid in re qualibet est uidemus. Ex op posito Dorsum & Posteriora posuit pro cognitione, sed imperfectiore, qua rem quidē intelligimus, sed nō plene sicuti reuera habet. Videamus nunc quomodo Deus Mosi exhibuerit spectrum pollicitum. Dixerat aūt, Tu stabis in cauerna petræ, & ego ponā manū super te, deinde transibo, & uocabuntur nomina mea. Itaq; diluculo surgens Moses ascendit in montē, sicut ipse præceperat dominus, & recipit sese in cauernam ubi cupide reuelationē dei expectat. Dominus ergo descendit in nube & uenit in montem ad cauernā petræ in qua stabat Moses: obtecta uero Mosis facie spectrum gloriæ suæ transire fecit. Id simul atq; factum est, neq; Moses iam in faciem dei oculos defigere posset, amouit manū deus, & Moses posteriora dei inspexit. Cumq; iam transiret sicuti promiserat clamauit, Deus inquam transiens nō Moses aspiciens. Dixerat enim dominus: Vocabo in nomine domini coram te. Vocauit ergo deus, id est catalogo quodam nomina sua recensuit, quibus ueluti attributis Mosi utcunq; adumbrauit naturam & gloriam suam. Sic autem clamauit, Iehouah, Iehouah, deus miserator & benefi cus, longis naribus, & multæ liberalitatis siue munificentiæ, & ueritatis. Custodiens beneficentiam in mille, auferens peccatum & scelus, attamen sceleratum non dimittens impunitum, uisitans iniquitatem patrum in filios & nepotes in tertiam & quartam generationem. Quod quidem aliud non est, quàm si dixisset, Ego sum essentia illa increata, qui per me subsisto, omnia de nihilo ad esse produco, in quo consistunt & conseruantur omnia. Ego sum אל deus fortis & omnipotens. Nec abutor mea po-

tentia. Sum enim רחום miſerator & clemens, qui amo creaturas meas, & in ipſum hominem totis incaleſco uiſceribus. Sum חנון beneficus, qui gratis confero beneficia. Sum longis naribus, id eſt longanimis, nõ hominum more irritabilis & protinus ad uindictam ſumẽdam proſiliens. Sum multæ liberalitatis & munificentiæ. Sum uerax & fidelis, qui bona fide quod promitto præſto. Nec temere pdigo meas opes, nec larga manu munera mea effundens, tandẽ exhauſtus defitio. Cuſtodio enim חסר beneficentiam in mille generationes, ut omnes apud me per omnia ſæcula fontem inueniant bonorum omnium inexhauſtum. Tametſi enim prius ſæculum ex meis opibus et muneribus uixerit, poſteri tamen apud me nihilominus quod ſufficiat imò plus quàm neceſſe ſit inuenient bonorum. Quod ſi quis in me uel errore uel malitia peccauerit, nõ adeò ſum implacabilis ut miſero protinus reſtis aut laqueus ſit quærendus. Condono enim liberaliter omnem errorem, omne ſcelus, omnia denique in dictis & factis peccata. Ideo tamen nemo exiſtimet me patronum eſſe nebulonum, aut qui ſemel ablata è mũdo omni caſtigatione campum omnibus aperiam ſceleribus. Idem enim ſceleratos punio. Idem meos ut in officio retineam caſtigo. Quod ſi flagitia uidentur à numine ſegnius aut tardius puniri, atq; ideo exultant ſcelerati, gloriantes contra me quod aui eorum attauiq; in illis uitæ inſtitutis, quæ ego interim execror, felices multos uixerint in annos, ego quidẽ uindicta mea nihilo minus ſuo tempore utar et graſſabor in poſteros maiorũ ſcelera æqualibus aut maioribus etiam flagitijs imitantes, atq; ita declarabo me deum eſſe iudicij. Iſta cum audiſſet uidiſſetq; Moſes feſtinauit

uit procidítq; in terram ac adorauit. Idem faciamus et nos, certi quod dominus non dignabitur se & gloriã suam quoad uixerimus in præsenti sęculo plenius aut ulla alia ratione nobis aperire uel reuelare. Ergo & quæ Mosi sufficiebant, sufficiant & nobis. Interim uisione illa uel spectro Mosi exhibito manifestissime significatum est Christi mysterium & eius incarnatio. Per Christum enim uoluit deus toti mũdo innotescere. Vnde Philippo roganti saluatorem, Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis, respondetur, Tanto tempore uobiscum sum & non cognouisti me. Philippe, qui uidet me, uidet patrem. Proinde quemadmodum patribus nostris in huiusmodi suffigurationibus & umbris siue spectris utiq; Christi typis sese aperuit, quibus addidit uaria dicta & facta: ita hodie se nobis in Christo eiusq; mysterio sistit, & iubet nos scrutari uerba & facta diuina, ex quibus formemus nobis iudicium de deo, tandemq; ex animo cõfiteamur, quod deus immẽsus sit & æternus, quod ex seipso subsistat, omnia cõseruet, quod solus perfecte bonus sit adeoq; summũ bonum, uis omnipotens, & absolute sapiens, quo in mundo nil possit esse melius, potentius aut sapiẽtius, quod uere sanctus, uerax, iustus, misericors, longanimis, & super omnia & in omnibus omnia sit. Hæc nos de deo nominibusq; eius & quid sit deus, ex apostolorum & prophetarum oraculis uere & secundum fidem orthodoxã dicere possumus, acutiora dare non possumus. Requirit hæc res simplicem & credulum auditorem, non uersipellem & curiosum. Vnde Tertullianus nõ minus simpliciter quàm uere contra Marcionem dixit, Veritas Christiana districte pronunciauit, Deus si nõ unus est, non est. Quia dignius

Deus uidetur & cognoscitur in Christo Iesu.

credimus non esse, quodcunq; nõ ita fuerit ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, & non aliter inuenies. Quantũ humana conditio de deo definire potest, id definio quod omnium conscientia agnoscet deum summum esse magnum, in æternitate cõstitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine.

Quod unus modo Deus sit. Cap. II.

Testimonia de unitate dei.

QVod autẽ unus modo Deus sit, uidetur explicatius ac copiosius esse persequendum. Confessum est apud omnes deum summum esse magnũ. Quæ uero erit conditio summi magni? nẽpe ut ei nihil adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum. Quia si aliud fuerit, æquale erit, & si iam æquale, euertitur conditio siue lex quæ nihil sinit adæquari summo magno. Ergo unicum siue solum sit necesse est quod fuerit summum magnũ, par non habendo, ne non sit summum magnum. Rursus si deus æterna mens est, quod & Plato fatetur in Parmenide, si omnia in omnibus unus est, quod asserit sacer Apostolus, certæ, consumatæ & perfectæ uirtutis est, quocirca unum esse necesse est. Quid enim opus deorum pluralitate ubi unus potest & facit omnia? Neq; nouũ est eum qui solus perfecte mundum fecit, solum regere & recte administrare mundum quem fecit. Sed audiamus scripturarũ testimonia, Deut. 6. legimus, Audi Izrael, dominus deus uester deus unus est. Et Deu. 32. Videte quod ego sum solus, & non sit alius deus præter me, Ego occido & uiuifico, percutio & sano, neq; quisquam subterfugit manũ meam. Item 20. cap. Exodi ipse dominus dicit, Ego sum dñs deus tuus, qui

qui eduxi te de terra Aegypti: non habebis deos alienos coram me. Et propheta Dauid canit, Deus immaculata uia eius, eloquium domini examinatũ, scutum ipse omnibus confidentibus in ipso. Quoniam quis deus præter dominum, aut quis creator præter deum nostrũ? Saluator quoq; in euangelio dicit, Nemo bonus nisi unus deus. Et Apostolus Paulus, Vnus inquit est deus, & unus mediator dei & hominum, homo Christus Iesus. Et in Corinthijs apertius, Etiamsi sint qui dicantur dij in cœlo & in terra, nobis tamen unus est deus. Quid quod prophetæ singuli singulis propè capitibus unitatẽ dei solidissime astruũt? Isaias in 45. cap. inducit loquentem dominũ atq; dicentem, Nunquid non ego dominus, & non est amplius deus præter me? Deus iustus & saluans non est præter me. Respicite ad me ut saluemini omnes fines terræ: quoniam ego sum deus & non est alius. Philosophorum quoq; pars maxima prophetícis apostolicisq; testimonijs nihil repugnat. Nam Mercurius ille cui multarũ rerum & artium scientia Trismegisto nomen dedit, Deus, ait, unus est: unus autem nomine non eget, ἐστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος, id est, est enim illa essentia siue illud existens sine nomine. Et Plato ipse philosophorũ primus περὶ ἀγαθοῦ differere adortus, dicere quid esset nõ est ausus, quoniam humanæ mentis captum tantus splendor multis modis excellat. In Timæo autẽ & in Parmenide sancit unum modo esse deum, qui à seipso deus sit, quem in Speusippo sic finijt, Viuens, immortale, per seipsum, ad beatitudinem sibi sufficiens, essentia sempiterna, ipsius boni causſa. Adiecit ex eiusdem Platonis philosophia Apuleius, incorporeus, optimus, nulla re indigẽs cunctaq; conferens. Ipse denicq;

Stagirites Aristoteles in 8. Moraliũ probat, quod necesse sit esse aliquid unum & sempiternum et primum mouens, & in caussis unam esse caussam primam. Et iterum 11. lib. Metaphys. clarissime concludit cum Homero unum tantum esse omnium rerum principem, quem iamiam uocauerat deum, ζωὸν uiuum, sempiternum, uere opt. max. Ista uero hauserunt proculdubio Gentiles uiri ex oraculari scriptura, ex qua petitũ asserunt doctissimi quiq, quæcunq uere & recte scripta leguntur in Platone. Cæterũ cum unum tantũ deum credimus & confitemur, hoc pfecto confitemur, neq in cœlo neq in terra aliud esse summum bonum, nullam aliam post deum supereſſe salutem aut spem, non aliud refugium aut auxilium, nullam aliam uim omnia producentem & conseruantem, nisi unum & solum illum deum. Hoc ipsum confitemur & in symbolo apostolico cum dicimus, Credo in unum deum, patrem omnipotẽ, &c. Abnegamus interim omnes creaturas, & profitemur quod in illis nolimus ullum collocare præsidium.

De Adorãda dei Trinitate.

Porrò de Trinitate deſadoranda, quã unitate probata non negamus, non est consilium in præsentiarũ differere, cum quod de illa quædam annotauimus in lib. nostro de Vtraq Christi natura ædito, tum quod ecclesiastici doctores Athanasius, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Gregorij ac reliqui non minus pij quàm docti uiri abunde de adorãdo Trinitatis mysterio ex scripturis disputando tradiderunt quod utiliter dici potest. Certe quod scriptura simpliciter et planè tradit id à nobis citra omnem cõtrauersiam recipiendum est. Tradit autem unum tantũ esse deum. Eadem personarum discrimen aperte ponit, & has personas

nas eandem essentiã habere manifestissime prædicat. Credamus ergo uerbo ueritatis, & si quid curiosi penitius in adita sacrosancta irrumpentes acutius protulerint sparserintq; de diuina essentia, cogitemus iam olim dictum esse Mosi, Transibit quidem gloria mea, sed ego ponam manum meam super te donec transiero. Non enim poteris uidere faciem meam, ubi autem transiero auferam manum meam & uidebis posteriora mea. Facies autem meæ omnino non uidebuntur. Probet ergo acutas illas quorundã de Trinitate quæstiones, cui adlubescit uana & fallax curiositas: pius credit & confitetur filium patri esse coæqualem & spiritum sanctum procedere ab utroq;, & horum trium unam esse diuinitatem, coëqualem gloriam, & coëternam maiestatem: quia hoc scriptura aperte docet, & probant id sancta & potentia diuinitatis opera, per patrem per filium & per spiritum sanctũ unum uerum deum facta. Cauſſas ego modumq; curiosius inquirere nolo, disputare de his confidentius nolo, faciem dei in hoc sæculo uidere nolo. Sufficit mihi quod Mosi satis fuit. Contemplabor posteriora dei ipsumq; deum meum adorabo. Sufficit mihi quod ille mihi reuelare in sacris dignatus est. Cernimus nunc per speculum in ænigmate, in futuro autem sæculo facie ad faciem & sicuti est deũ uidebimus. In terris proposuit nobis Iesum Christum filium suum dominum nostrum. In hoc uidemus patrem, & si illum per fidem nouimus, patrem & spiritum sanctum non ignoramus. Qui uero Christum nescit, frustra de adorandis mysteriis disputat.

De diuina potentia, & quod Dei prouidentia totus mundus adminiſtretur. Cap. III.

PRoximum eſt ut iam quædam de diuina potentia & prouidẽtia adferam. Inde enim melius cognoſcetur quid ſit deus & quanta dei maieſtas. Potentiam dei in ſe quidem tota ineffabilem in partibus tamen explicabilem quodãmodo æſtimare licet, nempe ex prophetarum ſermonibus adeoq; ex ipſis rebus cõditis & uniuerſi pulchritudine. Iſaias enim in cap. 40. Quis, inquit, menſurauit pugillo ſuo aquas & cœlos palmo dimenſus eſt, & cõtinuit tribus digitis puluerem terræ, & ponderauit in trutina montes atq; colles in libra? Ecce Gentes ſunt quaſi gutta ſittulæ, & reputantur quaſi leuis agitatio linguæ in trutina, ſed & inſulas ipſe tollit ceu atomum. Libanus non ſufficit pro igne, & beſtiæ eius non ſufficiunt pro holocauſto. Omnes Gentes ſunt quaſi nihil coram eo, & reputantur comparatione eius minus quàm nihil & quod non eſt. Ipſe eſt qui ſedet ſupra gyrum terræ, cuius habitatores ſunt ueluti locuſtæ: ipſe extendit cœlum tanquam pellem, & expandit illud tanquam tabernaculum ut inhabitetur. Ipſe redigit potentes in nihilum, & iudices ſiue potentes terræ facit quaſi non ſint: ut etiam de ipſis dicatur non fuerunt neque plantati neque ſeminati, ſed nec truncus eorum radices fixerat in terra, quinimò cum ſufflat in eos areſcunt, & turbo aufert eos ueluti ſtipulam. Et iterum, Leuate in altum oculos ueſtros & uidete quis iſta creauerit, producit ſtellarum exercitum in ordine, uocatq; illas omnes ſigillatim nominibus: & quę ſequuntur. Cum uero plana ſint omnia expoſitaq;, non eſt quod explicationem ampliorem ſubijciam. Quis enim neſciat diuinum

Potentia dei.

uinum uatem potentiam dei prædicare per opera domini & per res mirifice conditas? Pertinet huc primũ caput Geneseos, in quo rerum conditarum catalogus ordo & præstantia elegantiaq; simplicissime & pulcherrime depingitur. Verum age remota prolixitate uerborum oculis quodammodo contemplemur pulchritudinem earum rerum quas diuina potentia sapientiaq; conditas afferunt cum Mose omnes sancti prophetæ. Ac principio terra uniuersa cernatur locata in media sede mundi, solida & globosa, & undique ipsa in se nutibus suis conglobata, uestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili uarietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum uestitus uiridissimos, speluncarum concauas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium moles, immensitatesq; camporum: adde etiam reconditas auri argentiq; uenas, infinitamq; uim æris, ferri & marmoris. Quæ uero & quàm uaria genera bestiarum uel cicurum uel ferarum? Qui uolucrum lapsus atque cantus? qui pecudum pastus? quæ uita syluestrium? Quid iam de hominum genere dicam, qui quasi cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate uastari, quorumq; operibus agri, insulæ, littoraq; collucent distincta tectis & urbibus? Quæ si ut animis sic oculis uidere possemus, nemo cunctam intuens terram de diuina potentia ac sapientia dubitaret. At uero quanta maris est pulchritudo? quæ species uniuersi? quæ multitudo & uarietas insularum? quæ amœnitates orarum & littorum? quot genera quamq; disparia par-

Pulchritudo rerum.

tim ſubmerſarum, partim fluitantium & innantium belluarũ, partim ad ſaxa natiuis teſtis inhærentium. Ipſum autem mare ſic terram appetens littoribus claudit, ut una ex duabus naturis conflata uideatur. Exin marí finitimus aër, die & nocte diſtinguitur. Is tum fuſus & extenuatus ſublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur, humoremq; colligens terram auget imbribus, tum effluens huc & illuc uentos efficit. Idem annuas frigorũ et calorum facit uarietates, idẽq; & uolatus alitum ſuſtinet & ſpiritus ductus alit, & ſuſtentat animantes. Reſtat ultimus & à domicilijs noſtris altiſſimus omnia cingens & coercens cœli complexus, qui idem æther uocatur, extrema ora & determinatio mundi, in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ curſus ordinatos definiunt. Ex quibus ſol cuius magnitudine multis partibus terra ſuperatur, circũ eam ipſam uoluitur, isq; oriens & occidens diem noctemq; conficit: & modo accedens, tum autẽ recedẽs, binas in ſingulis annis reuerſiones ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quaſi triſtitia quadam contrahit terram, tum uiciſſim lętificat, ut cum cœlo hilerata uideatur. Luna autem quæ eſt, ut oſtendunt mathematici, maior quàm dimidia pars terræ, ijsdem ſpacijs uagatur quibus ſol, ſed tum congrediens cum ſole, tum digrediens & eam lucẽ quam à ſole accipit mittit in terras, & uarias ipſa lucis mutationes habet: atq; etiam tum ſubiecta atq; oppoſita ſoli, radios eius & lumen obſcurat, tum ipſa incidens in umbram terræ, quum eſt è regione ſolis, interpoſitu interiectuq; terræ, repente deficit. Iiſdemq; ſpacijs hæ ſtellæ quas uagas dicimus circum terrã feruntur, eodemq; modo oriuntur & occidunt: quarũ motus tum

incitan-

incitantur, tum retardãtur, sæpe etiam insistunt, quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchri us. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitu= do, quarum ita descripta distinctio est, ut ex nota figu rarũ similitudine nomina inuenerint. Rectissime itaq; propheta cecinit, Cœli enarrant gloriam dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum. Diximus au tem hæc hactenus de uniuersi pulchritudine, unde colligas ineffabilem illam dei potentiã ac sapientiam.

Dicemus porrò & de prouidentia, qua hunc pul= cherrimum mundum & omnia quæ in ipso sunt, ad= ministrat dominus, non ad plenum quidem de illa di= sputantes, sed semina quædam duntaxat spargentes. Vsurpamus autem Prouidentiam pro generali cura & administratione omnium rerum earum, quas sua= pte potentia condidit deus, eademq; uirtute, iustitia & bonitate sua moderatur & conseruat. Epicurei im= pium & porcinum genus hominum, deos quidem, ut retulit de Natura Deorum M. Cicero, non negarunt, negarunt autem illos curare res mortalium. Verum explosa est stolida & impia impiorum hominum sen= tentia, etiam à Gentilibus philosophis. Recte uero fa= tetur ueritas catholica, prouidentia dei omnia guber= nari, quæ sunt & quæ fiunt in mundo. Omnia enim in omnibus operatur idem dominus, sapiens ille, bo= nus, iustus & potentissimus mundi rex. Consequens est autem ut quoniam iustus & bonus est qui modera tur omnia, prouidentia quoque intra metas consistat æqui & boni omniaq; fiant ordine pulcherrimo. Lo= cum hic habet diuina iustitia. Potentia enim & guber natio dei sine iustitia nulla esset. Rectissime uero cla= mauit diuinus uates, Iustus dominus in omnibus uijs *Prouiden= tia.*

ſuis, et ſanctus in omnibus operibus ſuis: uerum de iuſtitia in ipſa præſentis rei tractatione obiter agemus, nunc ergo ſcripturæ teſtimoniis quod de prouidentia dei iuſta propoſuimus, confirmabimus. Ita canit in ſacris ſuis carminibus Dauid, Bonus dominus omnibus, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Regnum eius regnum omnium ſæculorum, & dominatio eius in generatione & generatione. Suſtentat dominus omnes cadentes, & erigit omnes collapſos. Oculi omnium te expectant, & tu das illis eſcam ipſorũ in tempore ſuo: aperis manum tuam & imples omne animal benedictione. Beatus ille in cuius auxilio deus Iacob, ſpes eius in domino deo ſuo. Qui fecit cœlum & terram, mare & omne quod in eis eſt, qui cuſtodit ueritatem in æternũ. Qui facit iudicium calumniam ſuſtinentibus, dat panem eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos, dominus illuminat cæcos. Dominus erigit collapſos, dominus diligit iuſtos. Dominus cuſtodit aduenas, orphanum & uiduam ſubleuabit, & uiam impiorum exterminabit. Regnabit autem dominus in æternum, qui ſanat contritos corde, & lenit dolores eorum. Qui numerat numerum ſtellarũ, & omnes nominibus ſuis uocat. Magnus dominus noſter & magna uirtus eius, & intelligentiæ eius non eſt numerus. Hic opperit cœlũ nubibus & parat terræ pluuiam: hic facit montes germinare herbam. Dat iumento pabulum ſuum & pullis coruorum crocitantibus. Hic emittit eloquium ſuum terræ, uelociter currit uerbum eius. Hic dat niuem ſicut lanam, pruinam ſicut cinerem ſpargit. Proiicit glaciem ſuam ſicut bucellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Mittet uerbum ſuum & liquefaciet ea, flabit ſpiritu ſuo & ſtillabunt

bunt aquæ. Et huius quidem generis infinita alia canit. Post hunc Isaias in cap. 45. deum inducēs loquentem de rebus Cyri regis potētissimi, ait: Ego dominus & nullus ultra, præter me non est deus, accinxi te & non cognouisti me. Propterea scient ab oriente solis, & ab occidente, quia nihilū præter me. Ego dominus & non ultra formans lucē & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, ego dominus faciens omnia illa. Omnium autem significantissime saluator noster in euangelio pronunciat, & ait: Nónne duo passercu li minuto asse ueneunt, & unus ex illis nō cadit in terram sine patre uestro. Vestri uero etiā pili capitis numerati sunt omnes. Ne igitur metuatis, uos plures estis quàm multi passerculi. Ad quæ uerba alluſit fortassis S. Petrus qui dixit, Omnē curam in deum conijcite. Nam illi de uobis cura est. Hæc autem testimonia hactenus indigeste ac cumulatim prolata docent opinor clarissime deum curare res mortalium.

Omnia fieri diuina prouidentia.

Quod si cui libet hoc negocium per partes tractatū uidere digestaq; audire testimonia, hoc sibi habeat experientiæ. Quod deus oīa condiderit potentia sua, & condita etiā hodie gubernet & conseruet, imò omnia in omnibus elementis, tēpestatibus, frugibus, arboribus, plantis, radicibus, seminibus, animantibus omnibusq; id genus creaturis agat, testatur luculentissime propheta Moses 1. cap. Geneseos: testatur & propheta ac canit, Tibi dies, tibi etiam nox, tu ordinasti luminaria & solem. Tu statuisti omnes terminos terræ, æstatem & hyemē tu formasti ea, Psal. 74. Et Psal. 89. Domine deus exercituum quis sicut tu fortissime Iah? per circuitū tuum est ueritas tua. Tu dominaris impetui maris, cum eleuat procellas suas tu cōpescis

eas. Tui sunt cœli & tua est terra, orbem & plenitudinem eius tu fundasti ea, &c. Huc pertinet totus Dauidis Psalmus 104. & Isaiæ cap. 40. Iobi quoq; 38. & 39.

Quod deus oĩa regna omniũ gentiũ & omnes prin cipes omniũ regnorũ gubernet, prouehat & deijciat, docet Daniel in cap. 2. & ait, Dñi est sapiẽtia & fortitudo, ipse est qui mutat tempora & quæ fiunt in tempore, abijcit reges & instituit reges, dat sapientiam sapientibus, & scientiam ijs qui pollent intelligentia: ipse reuelat profunda & abscondita, nouit quid sit in tenebris, & habitat lux cum eo. Sub hoc titulo cõprehendimus pestes, bella, famem, strages, uictorias, & id genus alia. Nã Amos in 3. cap. Hæc dicit dominus, nunquid erit malum in ciuitate & dominus non fecit? Et in Psalmis, Dominus est prælíator fortis, ipse est qui accingit me uirtute bellica, docet manus meas ad prælium, & conterere potui arcũ æneum brachijs meis. Sternes aduersarios meos subtus me, et uertisti hostes meos in fugã. Deus est qui dat uindictas mihi, & man suefacit populos sub me. Huc pertinet totum cap. 26. Leuitici.

Quod autẽ omnia hominis à diuina pendeant prouidentia ubiq; in scripturis docetur. In Prouerbijs dicit Solomon, Homo instituit in animo, sed à domino sermo linguæ est. Cui exempli uice subijcere potes historiam Bileam quæ extat Nume. 23. Idem Solomon Prouer. 21. Cor regis, inquit, in manu dei est, sicut fluctus aquarũ quorsum uolet inclinabit. Sua cuiq; uia placet, dominus uero corda impellit. Dauid quoq; in sacris carminibus canit, Domine inuestigasti me & cognouisti, tu cognouisti sessionem meam & resurrectionẽ meam, intelligisq; cogitationem meam longe

ante

ante. Semitã meam & accubitum meum circundas, & cunctas uias meas aduertis. Siquidem non est uerbum in lingua mea, & ecce tu domine cognouisti totum ipsum. A tergo & à facie formasti me & posuisti super me manũ tuam. Huc pertinent euangelicæ sententiæ, Quis ex uobis solicite cogitando potest addere ad staturam suam cubitum unum? Item, Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt. Rursus, Sine me nihil potestis facere.

Locum fortassis hic haberet famosa illa quæstio de Libero arbitrio, de quo eruditi inter se uehementer digladiantur. Ego prorsus sequendam puto S. Augustini sententiã, quod ea scripturæ maxime uideatur consentanea. Et ne quis catholici uiri sententiam nesciat, ascribam nunc quædam ex aureo illius ad Valentinũ de Gratia & Libero arbitrio libello. Dicit ergo in cap. 15. Ne putetur nihil facere homines per liberum arbitrium ideo in Psalmo dicitur, Nolite obdurare corda uestra: & per Ezechielem, Proiicite à uobis omnes impietates uestras quas impie egistis in me, & facite uobis cor nouum & spiritum nouũ, & facite omnia mandata mea: ut quid moriemini domus Izrael dicit dominus? Quia nolo mortem morientis dicit Adonai dominus, sed conuertimini et uiuetis. Meminerimus deum dicere, Sed conuertimini & uiuetis, cui dicitur, Conuerte nos deus. Meminerimus deum dicere, Proiicite à uobis omnes impietates uestras, cum ipse iustificet impiũ. Meminerimus ipsum dicere, Facite uobis cor nouum & spiritũ nouum, qui dicit, Dabo uobis cor nouum & spiritum nouum. Quomodo ergo quod dicit, Facite uobis, hoc dicit, Dabo uobis? Quare iubet si ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est,

De Libero hominis arbitrio.

NISI QVIA DAT QVOD IVBET, ET ADIVVAT VT FACIAT CVI IVBET? Semper est autem in nobis uoluntas libera, sed nõ semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala. Aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratia uero dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ uoluntatis, qui prius fuit uoluntatis malæ. Per hanc etiam fit ut ipsa bona uoluntas quæ iã esse cœpit augeatur & tam magna fiat ut possit implere diuina mandata, quæ uoluerit cum ualde perfecteq; uoluerit. Ad hoc enim ualet quod scriptum est, Si uolueris conseruabis mandata, ut homo qui uoluerit & non potuerit, nondum se plene uelle cognoscat, & oret ut habeat tantam uoluntatem quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuuatur ut faciat quod iubetur: tunc enim utile est uelle cum possumus: & tunc utile est posse cum uolumus. Nam quid prodest si quod non possumus uolumus: aut si quod possumus nolumus? Hæc Augustini est sententia de libero arbitrio hominis. Congruunt ei duo isti Canones Conc. Mileuentani. Prior sic habet, Arbitrium uoluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. Quod amissum nisi à quo potuit dari, nõ potest reddi: unde ueritas dicit, Si uos filius liberauerit, tunc uere liberi eritis. Posterior sic habet, Ita deus in cordibus hominum atq; in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio pium consiliũ, OMNISQVE MOTVS BONAE VOLVNTATIS EX DEO SIT. Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Sed redimus iam ad institutum nostrum.

Iam quod deus minutissima etiã agat in omnibus, boni

boni & mali, lucis & excæcationis author sit, testatur locus ille euangelij, quẽ paulò ante adduximus, Nónne duo passerculi minuto asse ueneunt, &c. Iste quoq; locus Isaiæ, Ego dominus & non est alius formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Apud eundem prophetam legimus, Auribus audietis & non intelligetis, & uidentes uidebitis & non cernetis. Incrassatum est enim cor populi huius: & reliqua. Notus est enim locus uel ex euãgelica historia. Idem propheta inducit dominum loquentem, Contaminauí príncipes tuos sanctos, dedí ad internicionem Iacob & Izrael in blasphemiam. Solomon quoq;, Omnia facit dominus, inquit, propter se, etiam impium ad diem malum. Ad quem modum legis & Iob 12. Effundit despectionem super príncipes, palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quemadmodum ebrios, &c. Ita & Paulus scripsit, Tradidit eos in sensum reprobum.

Videas tamen sanctos dei homines hac in re magna usos esse circumspectione siue moderatione. Si quid enim imprudentius & minus recte gestum est, id totum sibi tribuunt non deo. Si quid uero recte factum est, id totum referunt ad authorem omnium bonorum deum. Hinc Ioseph ad fratres suos de uendítione perfida differens, ait: Vos cogitastis aduersus me malum, sed deus idipsum uertit in bonum, ut scilicet uiuificaret populum multum. Et Daniel prophe-ta, omnem calamitatis Iudaicæ culpam non in deum iustum reiicit, sed in populũ inobedientẽ. Dicit enim, Tu magnus et reuerẽdus es domine deus, custodiens pactum & misericordiam timentibus te. Peccauímus nos, inique egimus, impie fecimus & rebellauímus,

Quàm sobrie de prouidentia loquantur sancti.

nõ audiuimus seruos tuos prophetas qui loquuti sunt in nomine tuo, Tibi domine iustitia, & nobis cõfusio faciei. Proinde in disputatione de prouidentia dei omnia agentis curantisq; in omnibus, iusta moderatione uteris si ita asseras deum omnia agere bona & mala, ut interim in operibus dei iustitiam dei non abneges: id est, ita doceas deum omnia operari in nobis, ut præter decorum æquum & iustum, imò præter ordinem pulchrum & sanctum agat nihil, & ordinẽ illum quidem spectandum, mediaq; quæ eius uerbo constituta sunt, non negligenda esse. Ideoq; cum scriptura dicit, Deum tradidisse homines peccatis, uel induraſſe, plerunq; præcedit causa iusta. Vt ad Rom. 1. dicitur, Tradidit eos in sensum reprobũ. Sed præcedit ex quo hoc consequitur, Deus manifestauit se eis, & quod de deo cognosci potest manifestatum est ipsis: cumq; deum cognouerunt, attamen non ut deum glorificauerunt neq; grati fuerunt, sed commutarunt ueritatem eius mendacio & uenerati sunt coluerunt q; ea quæ condita sunt supra eum qui condidit, atq; ideo tradidit eos deus in cupiditates ignominiosas. Similiter legitur ad Thessalonicen. Mittet deus eis efficacem illusionẽ: sed causa adiungitur, Pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc ut salui fierent. Huc fortassis pertinent quæ S. Augustinus tradidit cõtra Adimantum Manichæi discipulum disputans cap. 26. Nam illud Amos, Non est malum in ciuitate quod dominus non faciat, sic exponit, Malum hoc loco non peccatũ sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum. Vnum quod homo facit: Alterum quod patitur, pœna. De pœna ergo loquitur propheta. Diuina enim prouidentia cuncta moderante & gubernante,

ita

ita homo male facit quod uult, ut male patiatur quod non uult. Ita ergo deus malum facit quod nō ipsi deo malum est, sed eis in quos uindicat. Itaq; ipse quantū ad se pertinet bonum facit. Quia omne iustū bonum est, & iusta est illa uindicta. Tantum Augustinus. Est quidam apud nos in quotidianis colloquijs uulgare, unde æstimemus scripturæ formas loquēdi. Recte enim dicimus, Hic pater indulgentia perdit filium suum & indurat ipsum. Pater uero nō ideo indulget ut perdat & induret, sed ut seruet. Filius autem abusu indulgentiæ perdit sese, ideoq; sua non patris culpa induratur & perit: nihilominus tamen dicitur, Pater indurauit filium. Sanctissime ergo æstimandū erit in sacris prouidentiæ negotium, neq; propter hanc deo quidlibet quod cum eius natura repugnat affingēdum erit aut obtrudendum.

Verum longius quàm putauerā digredior, ut ergo locum hunc de dei prouidentia concludam, recensebo nunc Platonis de Prouidentia dei ex 10. lib. de re publica sententiam, quam Bessarion Nicenus lib. in calumniatorem Platonis primo cap. 8. in cōpendium contraxit ac dixit, Dij nec ignorant officiū esse suum ut ijs quæ produxerunt & quasi domum quandam et familiam sibi constituerunt prouideant. Neq; non possunt. Nihil enim diuinā superat facultatē. Et qui produxerunt quod maius est, idem prouidere etiam possunt quod est longe minus. Neq; nolunt. Siquidē non uoluptate neq; ignauia negligūt, quasi ueternosi quidam & ad nullius rei usum accōmodi. Nec rerum naturæ paruitatem aspernantur. Nam homo summū inter omnia naturæ animantia locum tenet, & naturæ suæ nobilitate cuncta excellens mentis suæ iudicio

Plato de diuina prouidentia.

deum cognoscit & colit, quapropter curã, charitatem gratiamq; apud deum consequitur. Tum si deus mundum uniuersum tuetur & curat, partibus etiam consulat oportet. Ita enim natura comparatum est, ut bene esse uniuerso non possit nisi partes etiam sint recte dispositæ. Non medicus, non gubernator nauis, non dux exercitus, non paterfamiliâs, non rector moderatorq; reipublicæ, non quiuis alius ratione cõsilioq; aliquid agens grauiora negotia administrat leuiora contemnit, sed tum demũ suo quisq; officio fungi arbitratur cum singulis studio & diligentia, ut cuiusq; ratio poscit, incumbit. Quod si homines ne leuiora quidem prætereunt, profecto nec deos existimandum est exigua quæq; aut minima neglígere. Necq; uero animis laborant aut à beatissima quam degunt uita declinare uidentur cum munere diuinæ prouidentiæ funguntur. Nam difficultates, quę hominibus in administrandis rebus suis occurrunt, & non mediocres sæpe dubitationes afferunt, ita ut post longam diuturnamq; cogitationem uix quid commodius sit statuere aliquando possint, in dijs non sunt. Oĩa apud eos facilia sunt, nulla illic dubitatio, nulla difficultas, agunt semper quæ sciunt meliora esse, quippe omniũ rerum cognitionem habent quando & creatores omnium sunt & ipsi sese intelligunt. Et iterum: Vos qui deos humana minime curare putatis sic habetote, nullũ locum dijs immortalibus incognitum, nullũ inexploratum esse, quod siue hic manserítis, siue ꝓfundissimas terræ cauernas subieritis, siue aliud quoduis diffugium atque latibulum quæsieritis, haudquaquam latere poteritis diuinum illum oculum æternum atq; peruigilem, nec pœnas uobis iuste debitas euitare. Hæc Plato, non minus

nus docte quàm pie de prouidentia disputauit. Tradiderunt autem scriptores ecclesiastici Platonem multa didicisse ex nostræ religionis authoribus Mose ac prophetis, quod si uerum est, uideri sanè poterit postrema illa transcripta esse ex Dauide, qui Psal. 139. in hęc uerba cecinit, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si stratum fecero in inferno, ecce ades. Si accepero alas auroræ, & habitauero in extremo mari, etiam illuc manus tua deducet me apprehendetq; me dextera tua. Dicam ergo, at tenebræ occultabunt me, sed nox quasi lux erit circa me. Siquidem tenebræ nihil obtenebrant tibi, & nox quasi ipsa dies lucebit, ut tenebræ ita lux ipsa.

Ex istis autem quæ hactenus attulimus de diuina potentia & prouidentia, patere arbitror quanta sit dei nostri æterni, ueri, summi optimiq; maximi gloria & maiestas. Immensus est & potentiæ eius nullus est modus. Aeternus est ac uiuus, qui principio et fine caret, per sese subsistit, qui uiuificat, uegetat & conseruat omnia. Nam ex illo & per illum & in illum omnia. Ipsi gloria, Amen.

De Diuina bonitate singulariq; beneuolentia dei erga genus mortalium. Cap. IIII.

Bonitas et beneficentia dei.

Dem autem ille deus qui omnium potens et gubernator etiã bonus & beneficus est. Cupit enim homini benefacere, & seipsum donaq; sua nobis impartiri omnibus. Inuenias sæpe in mundo potentes ac opulentos, sed parum liberales, imò sordidos, qui nec sibi uiuunt nec alijs uel tantillũ suis facultatibus prosunt: at diuina illa potentia opulentiaq; sicut opibus muneribusq; inæstimabilis et in-

exhausta est, ita liberalis quoq; quasiq; facultatũ prodiga est. Apud Ieremiam enim populo suo nulla causa plus irascitur quàm quod se frui nolebat. Duo mala, inquit, fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquarum uiuentiũ, ut effoderent sibi puteos, puteos inquam dissipatos qui aquas continere non ualent. Rursus apud Isaiã in ꝟꝟ. cap. clamat et dicit idem ille deus, O sitientes, uenite oẽs ad aquas, etiam qui non habet pecuniam. Venite emite & comedite. Venite inquam emite absq; pecunia & absq; ullo pretio uinum & lac. Quare expenditis pecuniã non pro panibus, & laborem uestrum non pro saturitate? Audite audite me & comedite bonum & oblectet se anima uestra in pinguedine. Inclinate aurem uestram & uenite ad me, audite inquã, & uiuet anima uestra. Quid autem potuisset uel fingi euidentius & uehementius? Saxum est quisquis hinc diuinam in se & in omne genus mortalium beneficentiam & liberalitatem nõ colligit. Apud Ieremiam Patrẽ se nuncupari uoluit. Voca me patrem, ait, & à me noli recedere. Dauid quoq; bonitatem & munificentiã eius prædicans, canit, Misericors & clemens est dominus, longanimis et multæ pietatis. Non in perpetuũ disceptabit, neq; perpetuo iram retinet. Non secundũ peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Nam iuxta altitudinem cœli supra terram prævaluit pietas eius in timentibus se. Et quantum distat oriens ab occidente, tantũ remouit à nobis scelera nostra. Sicut miseretur pater filiorum, ita misertus est dominus timentibus se. Ipse enim nouit figmentũ nostrum, memor est quod puluis sumus. Pari gratia & iucunditate de insigni bonitate erga nos dei differens Isaias scribit:

bit: Sic dicit dominus, Nunquid obliuiſcetur mulier infantis ſui ut non miſereatur filij uteri ſui? etiamſi obliuiſcatur ego tamen non obliuiſcar tui. Et iterum: Ecce dominus deus ueniet potẽter, & brachium eius ex ſeipſo potens erit: ecce merces eius cum ipſo, & opus eius ante ipſum. Ipſe quaſi paſtor gregẽ ſuum paſcet, & brachio ſuo congregabit agnos, portabitq; in ſinu ſuo & fœtas tractabit tenere & ſuauiter.

Cõſiderabimus iam & opera & inſtituta dei ut ex his quoq; colliqueſcat quàm bonus ſit dominus. Deus ergo totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, uerbo quo iuſſit, ratione qua diſpoſuit, uirtute qua potuit, de nihilo expreſſit, partim in ornamentum maieſtatis ſuæ: unde & Græci nomen mundo κόσμον ab ornatu nimirũ accommodauerunt, partim in uſus hominis, ut hic mundo hoc utatur ceu domicilio, imò palatio ampliſſimo. Extructo itaq; mundo atq; ornato proxime condidit hominem dominus ad imaginẽ & ſimilitudinẽ ſuam, inſtructum quidem facultatibus, donis uiribusq; præſtantiſſimis, & huic omnia ſubiecit. Verum homo male gratus deo benefico beneq; merenti, ſed & in benigniſſimum patrem perfidus, plus credidit ueteratori diabolo quàm ſancta prædicanti deo, atq; ideo ſua ipſius culpa periit. Hic ergo alia ſe offert deo homini benefaciendi occaſio. Nolens enim pater clemẽtiſſimus eum perire prorſus quem condiderat, hoſtem iam ac perduellem imò conſpectum & colloquia dei fugientem, familiariſſime reuocat & recipit in gratiam, idq; propter filium ſuum, quem ibi pollicetur daturum ſe mundo, ut is caput cõterat ſerpentis, moriendo nobis reſtituat uitam, atq; ita nos coniungat deo, cum quo

Fœdere coniungimur cum deo.

æternum aliquando lætemur. Hac autem ratione arctíſſimo fœdere non Adamum modo, ſed nos omnes qui uerbis diuinis credimus ſibi copulauit. Porrò fœdus illud nobile ſequẽtibus temporibus nõ ſemel, ſed ſingulis propemodũ ſæculis renouauit, præcipue autem Abrahæ ſæculo. Hunc enim eligit dominus, uocat è medio Gentium, ducit ex Chaldæa in terrã Chanaan ipſamq; Aegyptum, & rurſus ex hac in Paleſtinam: cumq; annos natus eſſet nonagintanouẽ, apparuit ei dominus & fœdus renouans, dixit, Ego ſum deus Saturnus ſiue ſufficientia, & ponã fœdus meum inter me & te, & inter ſemen tuũ poſt te in generationibus ſuis fœdere perpetuo, ut ſim tibi in deum & ſemini tuo poſt te, daboq; tibi ſemen, &c. En magnã & ineffabilem dei bonitatem. Prior ipſe, nullis ad hoc Abrahæ meritis prouocatus, fœdus offert imò ſe totum quantus quantus eſt: ideo enim exponit quis ſit, nimirum deus fortis omniumq; rerum ſufficientia confœderatis hominibus expoſita atq; parata. Addit enim, Vt ſim tibi in deũ & ſemini tuo poſt te. Nam nihil utilitatis nihil inde nobis gaudij accederet ſi deus ſibi tantum diues eſſet & bonus, ideoq; pollicetur ſe fore deũ noſtrum & noſtræ poſteritatis, hoc eſt, pollicetur ſe fore ſalutem, uitam, auxilium, defenſionẽ, deniq; omne id quod nobis utile & neceſſariũ eſt. Et ſpecimen quidem maximarũ rerum mox præbens ſubdit, Daboq; tibi ſemen laudatiſſimum & ſuper æthera notũ, regno item, opibus, ſapiẽtia, felicitate & uictoriis clariſſimũ, præterea terram natura et arte munitã, fertilem, melle & lacte manantem. Vbi obſeruandum eſt duplicis generis eſſe promiſſionem dei. Spiritualem quidem qua promittitur Chriſtus ſemen benedictũ, redemptio &

uita

uita sempiterna: in qua explicanda frequẽtes sunt apostoli Christi: & Corporalẽ, quæ temporalia habet, possessionem terræ Chanaan, reges, regna, opes, bella, uictorias, & gloriam maximam.

Arbitror autẽ illo fœdere si ulla re alia pulchre exprimi dei bonitatem ineffabilem. Quid enim est quo potuit diuina bonitas declarari melius quàm quod æterna illa uirtus, deus omnium deorum, qui nutu concutit orbem, qui sibi solus sufficit, nullius indiget, qui cœlum & terrã implet, qui sapientissimus, potentissimus, uereq; optimus, maximus, & supremũ bonum est: quod inquam deus hic uiuus, uerus et æternus, pactum init, id est, coniungitur cũ longe corruptissimo, miserrimo et calamitosissimo mortaliũ genere, adeoq; cum ipso homine quo nullum est animal ærumnosius πάντων, ut Homerus ait, ὅσσατε γαῖαν ἐπιπνείτε καὶ ἕρπετα, omnium inquam eorum quæcunq; super terram spirant ac serpunt. Dauid certe ista apud se iuste expendens merito exclamat, Domine quid est homo quia agnoscis eũ, aut filius hominis quia reputas eum? Cæterũ hic benefaciendi mos deo perpetuus est, & quod cum Abrahã pepigit fœdus, nobiscum quoq; & cum posteris nostris pepigit. Diues & beneficus est dominus erga omnes qui inuocant nomen eius. Vnde de ipso canunt sancti, Confitemini domino quoniam bonus, quoniã in sæculũ beneficentia eius. Confitemini deo deorum, quoniã in sæculũ beneficentia eius. Confitemini domino dñorum, quoniam in sæculũbeneficentia eius: & quæ sequuntur. Nã notus est Psal. 136.

Et quamuis hæc stupenda & reuera maxima sint, uidebuntur tamen exigua si comparentur cum mysterio Christi cõciliatoris dei et hominũ. Nã quemadmodũ Adæ, Abrahæ posterisq; sanctis pollicitus est dñs *De Christo & mysterio euãgelij.*

ſemen ex uírgine, quod caput contereret ſerpentis, morteq; ſua reſtitueret uitam, & nos cõiungeret deo: ſic ad plenitudinem temporis emiſit filium ſuum deus natum ex ſemine Abrahæ per uírginem, & hunc propter nos oĩbus ſubiecit difficultatibus adeoq; & morti longe acerbiſſimæ crucis. At quid illa filij ſui incarnatione & cruce aliud uoluit humani generis amator deus efficere, quàm pignus exhibere mundo bonitatis ſuæ & gratiæ, adeoq; & ſignificare palàm quod neque in cœlo neque in terra uſqueadeò ſit nobile ſiue precioſum quod deus homini negare uel poſſit uel uelit, ſi modo id eius uſus ſalusq; poſtulet? Sic enim & ipſe dei Apoſtolus Paulus legitur collegiſſe, Si proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri poſſet ut non & cum eodem nobis omnia donet? Non erat in orbe ullum conſilium, ratio ulla qua deus potuiſſet melius ſe nobis aperire & bonitatem ſuam ſacratius atteſtari quàm donato nobis ſemel filio traditoq; in mortem crucis. Quis enim porrò tam amens futurus ſit qui inde non colligat ac intelligat amorem dei in genus mortalium inæſtimabilem? Et dominus ipſe in euangelio, Sic deus dilexit mundum, inquit, ut unigenitum ſuum daret pro mundo, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Filius enim dei in quo peccatum non fuit, & gratiæ diuinæ pignus ac ſigillum, & expiatio ſiue ſatisfactio peccati & iuſtificatio nobis factus eſt. Nam innocenti morte ſua diuinæ ſatisfecit iuſtitiæ, peccatum noſtrũ expiauit, & iuſtificans in ſe credentes, fideles deo cõiunxit, uel propheta atteſtante ac dicente, Infirmitates noſtras ipſe portauit, & dolores noſtros ipſe ſuſtinuit: uulneratus eſt propter iniquitates noſtras,

Iſaias in 53. cap.

noſtras, & contritus eſt propter ſcelera noſtra, & per liuorem eius medicatum eſt nobis. Omnes nos quaſi oues errauimus, ſinguli in uiam propriã reſpeximus, & dominus fecit concurrere in eo omniũ noſtrum iniquitates. Complacuit autem domino eum ſic conterere, ut ſi poneret animam ſuam pro hoſtia delicti, uideret ſemen longæuum, & ut cognitione ſui qui iuſtus ſeruus meus eſt iuſtificet multos, quorum ipſe peccata portauit. Huc referendum puto illud Pauli, Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ſua. Rectiſſime ergo ſcripſit Ioannes, Deus charitas eſt: ſignificauit enim deum illud amabile & liberale adeoq; & prodigũ ſui bonum eſſe, quod ſe fruendũ offert & impendit hominibus. Addit idẽ, In hoc apparuit charitas dei, quod filium ſuum unigenitum miſit deus in mũdum ut uiuamus per eum. In hoc eſt charitas non quod nos dilexerimus deum, ſed quod ipſe dilexit nos & dedit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Poterant & alia de ſingulari erga nos bonitate dei adferri, ſed nos hiſce ceu ſeminibus iactis & uim fructificandi deo cõmendantes, ad alia quoq; explicanda properamus.

Verum hunc Deum ſolum eſſe colendum, nec alia quidem re quàm pietate, quæ uera eſt religio. Cap. V.

Officium hominis.

Sed quorſum hęc tam alte repetita de Deo, dei nominibus, deq; unitate, potentia, prouidentia & bonitate, ſiue beneficentia eius pertinent? Certe ut hinc & hominis officium deriuemus, tandemq; inueniamus quæ nam ſit antiqua religio & doctrina apoſtolica. Eſt autem officium hominis ſummum illum unum, omnipotentẽ, & omnia gubernan

tem, bonũ & beneficũ deum patrẽq; clementissimum colere. Anaxagoras cũ ab eo quæreret cuius rei causa natus esset, respõdit: Solis ac cœli uidendi: quã uocem oẽs admirantur & philosopho dignã iudicant. At Lactantius putat nõ inuenientẽ quid respõderet effudisse hoc temere, ne taceret. Si enim quis hominẽ, inquit, qui uere sapit, interroget, cuius rei gratia natus sit? Respondebit intrepidus & paratus, Colendi se dei gratia natũ, qui nos ideo generarit ut ei seruiremus, ideoq; induxerit in mundũ, ut hoc immẽsum & admirabile opus laudaremus, denicq; ut nobis benefaceret, nosq; bñficijs frueremur, & p ipsis ageremus gratias.

Quia uero sententiæ doctorum uariant de colendo colendiq; modo, ideo ostendemus planis rationibus & scripturarum testimonijs solum deum esse colendum, & pietate quidem sola, unde colligetur quæ sit uera religio & in quibus rebus consistat. Latissime uero Latinis hominibus patet Colendi uocabulũ. Dicimus enim Colere amicitiam & uirtutẽ, colere diem natalem, bonas artes & studia literarum: rursus colere senes, arua & urbes: in præsenti usurpamus pro uenerari numen, hoc est diuinum cultum exhibere, seruire & adhærere deo adorareq;. Egregie enim S. Augustinus lib. Confess. 13. cap. 1. Nec eram, inquit, cui præstares ut essem, & tamen ecce sum ex bonitate tua præueniente totum hoc quod me feciſti & unde me feciſti. Neque enim eguiſti me, aut ego tale bonum sum quo tu adiuuerís dominus meus et deus meus, non ut tibi sic seruiam quasi ne fatigeris in agendo, aut ne minor sit potestas tua carens obsequio meo, neq; ut sic te colam quasi terram, ut sis incultus si non te colam, sed ut seruiam tibi & colam te, ut de te mihi bene sit, à quo

Colere.

mihi

mihi est ut sim, cui bene sit, &c. Idem ille in opere de Quantitate animæ euidentissime probans deum solũ esse colendũ, scribit, Quicquid anima colit ut deum, necesse est ut melius esse quàm seipsam putet. Animæ autem natura nec terra, nec maria, nec sydera, nec luna, nec sol, nec quicquam omnino quod tangi aut his oculis uideri potest, non denicp ipsum quod uideri à nobis non potest, cœlum, melius esse credendum est. Imò hæc omnia longe deteriora esse quàm est quælibet anima ratio certa conuincit, si modo eam ueri amatores ducentem per insolita quædã & ob hoc ardua constantissime atcp obseruantissime sequi audeãt. Si quid uero aliud est in rerũ natura præter ista quæ sensibus nota sunt, & prorsus quæ aliquod spacium loci obtinent, quibus omnibus præstantiorem animam humanam esse diximus. Si quid ergo aliud est eorum quæ deus creauit, quiddam est deterius quiddam par: deterius ut anima pecoris, par ut angeli, melius autem nihil. Et si quando est aliquid horum melius, hoc peccato eius fit non natura: quo tamẽ non usqueadeo fit deterior ut ei pecoris anima præferenda aut conferenda sit. Deus igitur solus ei colendus est, qui solus eius est author. Homo autem quilibet alius quanquã sapientissimus & perfectissimus, uel prorsus quelibet anima rationis compos ac beatissima, amanda tantumodo & imitanda est, eicp pro merito atque ordine, quod ei congruit, deferendum. Nam scriptum est, Dominum deum tuum adorabis & illi soli seruies. Hæc D. Augustini ratio ex natura animæ petita est. Poterit etiã alia ex natura dei qui colendus creditur deriuari contexicp ratiocinatio, in hunc modum, Illud homini colendum est quod omnino supremum excellentissimũcp,

Solus deus colendus.

nullí prorſus ſubiectum eſt, quod ad omnia ſibí ſuffi-
cit, nullius opera índíget, quod omnibus adeſſe, omní
bus opitularí, omnia q̃ exaturare poteſt, denic̃ quod
uirtutís, ueritatís ac æternitatís incommutabílis eſſe
conſtat. Cæterum cum communís fidei noſtræ profeſ
ſío ſolum deum talem eſſe cõfiteatur, & nos hactenus
idẽ per quatuor capita demonſtrauerímus, nemo pro
fecto níſí catholícæ fídeí hoſtís, alíũ quàm ſolum deũ
colendũ eſſe contendet. Sed audíamus de hoc etíam
ſcripturæ teſtímonía. Facit huc in prímís altera pars
fœderís íllíus æterní quod deus pepígit cum Abrahã
& ſemíne eíus in ſæculũ. Priore parte expoſuít deus
qualẽ ſe uelít exhíbere hominíbus & quíd ab ípſo ex-
pectemus. Poſteríore exponít quíd à nobís requírat,
nẽpe ut ípſum habeamus colamus q̃ pro deo noſtro:
unde íam ſponte ſequítur fœdífragos eſſe quícunque
deum uerũ pro deo ſuo nec habent nec colunt. Aíunt
ſanè quí cum creatore creaturas uenerantur, uel has
ſupra eum quí condídít colunt, non exprímí in fœde-
re quod ſolus deus colendus ſít, ítaq̃ cõcedunt deum
ín prímís & ante omnía colendum eſſe, ínterím uero
beatas quoq̃ anímas colí poſſe omnino contendunt.
Atquí iſta ratione ípſum fœdus uítíant quod ſolũ deũ
humano generí copulat, nõ angelos aut ullos ſpíritus
beatos: reclamant ítem ſancto deí ſpírituí, quí ín alíjs
ſcripturæ locís ſolũ deum colendum eſſe tradít. Nam
Exod. 20. cap. díſerte præcípítur, Ego domínus deus
tuus, quí eduxí te de terra Aegyptí, de domo ſeruítu-
tís. Non erunt tíbí díj alíení coram facíe mea. Duo ín
hoc præcepto audís, prímũ, Deum omníno habendũ
pro uero & unico deo, quí ſufficientía futurus ſít cul-
torí cuílíbet. Deínde alíenos deos nequaquã cum deo

uero

uero habendos esse, quod quid quæso aliud est, quàm solum deum recte coli? In 13. cap. Deut. sic præcipitur, Post dominum deum uestrum incedetis, atq; eum timebitis, præcepta eius custodietis, & uocem eius audietis, ipsi seruietis atq; ei adhærebitis. Sunt autẽ hæc omnia energetica emphaticaq;. Nam qui dicit, Ipsi seruietis, ipsi inquam: & iterum. Ei adhærebitis, ei inquã, quid aliud quæso dicit, quàm soli seruietis & adhærebitis? Rursus in 6. cap. dicit Moses, Audi Izrael, dominus deus noster deus unus est. Diliges itaq; dominũ deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, atq; tota uirtute tua. His quid poterat dici planius? Vnus modo deus est, qui tota anima toto corde totisq; uiribus diligendus est, ergo solus deus colendus est. Nam subijcitur protinus, Dominum deum tuũ timebis & illum coles, iurabisq; in nomine eius. Nec refert quod Solus hic non ponitur, cum æquipollens dictio non omittatur. Hebræus enim sermo uocabulũ solus expressit per articulum את. Dicit enim את יהוה, id est, Ipsum dominũ deum tuum timebis, ואתו, id est, Et illum coles, ut intelligamus illum & nullũ alium esse colendum. Obseruauit istud loquutionis genus Erasmus quoq; super 4. cap. Matth. annotans. Quod si quis nobis diffidit, credat uel ipsi domino Iesu citanti hunc Deut. locum apud Matthæum atq; dicenti, Scriptum est, Dominum deum tuum adorabis, & illum solũ coles. En habes uocabulum solus de quo tantopere eras anxius. Possem huius generis complurima coacerua-re testimonia si necesse esset. His qui non credunt, neque copiosioribus credent. Potest & hinc colligi solũ deum esse colendum, quod uni deo id competit, quo coli uult, pietate. Pietas enim hoc ipsum est quo deum

colimus, & quæ sola deo competit. De qua per consequentia disputabimus.

Quare colit uelit deus.

Pietas in sacris literis εὐσέβεια appellatur, bonus uidelicet & uerus cultus. Cicero finit pietatem esse per quam sanguine coniunctis patriæq; beneuolens & diligens officium tribuimus. Idem in Oratione pro domo sua ad Pontifices, Equidem sic accepi pontifices, inquit, in religionibus suscipiēdis caput esse interpretari quæ uoluntas deorum immortaliū esse uideatur. Nec est ulla erga deos pietas nisi honesta de numine eorum ac mente opinio. Et ad hunc propè modū usurpat etiam scriptura uocabulum Pietatis, pro mente uidelicet recte imbuta fide, recte de deo sentiente, uiuentecq; secundum numinis uoluntatem, id est, pietas timor dei est, fides, spes & charitas. Paulus enim, Prophanas, inquit, & aniles fabulas reijce, quin potius exerce temetipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio paululum utilitatis habet: at pietas ad omnia utilis est. Idem usurpat pietatem pro toto negotio euangelij, dicens, Si quis diuersam sequitur doctrinam, & non accedit sanis sermonibus Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, is inflatus est. Pie itaque S. Augustinus credidit pietatem uerum esse cultum dei, deum uero coli charitate, itaque pietatem aliud non esse quàm charitatem, quæ semel contineat omnia pietatis officia. Nam Charitas gemina est, charitas uidelicet dei ac proximi. Porrò Charitas dei qua nos diligimus deum, dei amorem, timorem, studiūq; habet, quo fit ut post deum solum, post æternam inquam & incommutabilem ueritatem ambulemus, illum solum ut supremum bonum complectamur, et ut dominum reuerendum ac liberalem obseruemus, reuereamurq;

uereamurq; ut patrem longe clementissimũ. Eadem charitas dictat unum esse adorandum, uni fidendum, soli accurrendum in omnibus difficultatibus, soli uota nostra nuncupanda, solumq; inuocandũ esse in rebus oĩbus. Habet præterea dei amor spem firmã, patientissimam rerum promissarum expectationem, ardorem feruentem & desiderium consequendi ingens, deniq; mundi fastidium ac contemptum, studium uero uehemens rerum cœlestium innocentiæ & omnis integritatis. At charitas proximi omnia continet officia, quæ debemus hominibus in hoc sæculo. Iubet enĩ omnibus quantum nostra fert facultas benefacere, nemini nocere. Nam qui diligit alterum, ut ait diuinus Christi Apostolus Paulus, legẽ expleuit. Siquidẽ illa, Non adulteraberis, Non occides, Nõ furaberis, Non falsum testimoniũ dices, Non concupisces, & si quod aliud præceptũ, in hoc sermone summatim cõprehenditur, nempe, Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Dilectio ꝓximo malũ non operatur. Consumatio ergo legis est dilectio. Hinc in euangelio dñs, Præceptũ nouũ do uobis, inquit, ut diligatis inuicẽ, sicut dilexi uos, ut et uos diligatis inuicẽ. In hoc cognoscent oẽs, quod discipuli mei sitis, si charitatẽ inter uos mutuã habueritis. In prophetis scriptũ est dixisse dominũ, Misericordiam uolo & non sacrificiũ. Cæterũ misericordiæ opera recensetipse dominus apud Matthæum in cap. 25.

Proinde certissimum est uerum dei cultũ constare pietate, pietatem autem charitate, at charitatem complecti timorem dei, obedientiam, fidem, spem, patientiam, innocentiam, puritatem, misericordiã, deniq; (ut paucis omnia dicã) amorẽ siue ardens & indefessum dei & hominis studium. Quod si plura cupis audire

de hoc teſtimonia, quod ſcilicet in charitate dei ac proximi & non in rebus alijs uerſetur deo placẽs cultus,
Deute. 10. audi Moſen teſtantem ac dicentẽ, Et nũc Izrael quid dominus deus tuus petit à te, niſi ut timeas dominum deum tuum, & ut ambules in cunctis uijs eius, diligas eũ, & ſeruias domino deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua? &c. Michæas quoq;, Indicabo tibi, ô homo, ait, quid ſit bonum, & quid requirat à te dominus, niſi facere iudicium, diligere pietatem, et cum ſtudio ambulare cum deo tuo? Et S. Ioannes Apoſtolus in 1. canonica cap. 3. dicit, Et hoc eſt præceptum eius ut credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuo, ſicut dedit præceptum. Apertiſſime item Paulus Chriſti ſeruus ad Theſſalonicen. ſcribit, Noſtis quæ præcepta dederimus uobis per dominũ noſtrum Ieſum. Hæc enim eſt uoluntas dei, ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſq; ueſtrum ſuum uas poſſidere cum ſanctificatione & honore, non cum affectu cõcupiſcentiæ, quemadmodũ & gentes, quæ non nouerunt deum: ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem ſuum: propterea quod ultor eſt dominus de omnibus his, quem admodũ & antea diximus uobis ac teſtati ſumus. Nõ enim uocauit nos deus immunditiæ cauſſa, ſed ad ſanctificationem. Iam & Apoſtolus domini Iacobus, Si quis uidetur, ait, religioſus eſſe inter uos, qui non frenat linguam ſuam, ſed aberrare ſinit cor ſuum, huius uana eſt religio. Religio pura & immaculata apud deum & patrem hæc eſt, inuiſere orphanos & uiduas in afflictione ſua, & immaculatum ſeipſum ſeruare à mundo. Conſtat ergo charitatem eſſe pietatem, & pietatem ueram ueri dei religionem.

Quamuis

Quamuis autẽ hæc ex ſcripturarum propinata fon tibus limpidiſſimis uel ſitientiſſimos abũde potare a deoq; & inebriare poſſint, adijciam tamen quæ de hac ipſa re ſanctiſſime diſputauit Lactantius, ideo quod mirifica & præmodum elegantia ſcripturæq; conue nientia ſint quæcunq; hic de pietate, uero cultu ſiue religione tradidit. Itaq; lib. 5. cap. 10. ſcribit, Quæ igi tur aut ubi aut qualis eſt pietas? Nimirum apud eos, qui bella neſciunt, qui concordiam cum omni ui ſer uant, qui amici ſunt etiam inimicis, qui omnes homi nes pro fratribus diligunt, qui cohibere iram ſciunt, omnemq; animi furorem tranquilla moderatione le nire. Idem lib. 4. cap. 28. Certum eſt nullã aliam ſpem uitæ homini eſſe propoſitam, niſi ut abiectis uanitati bus & errore miſerabili, deum cognoſcat, & deo ſer uiat, niſi huic temporali renunciet uitę, ac ſe rudimen tis iuſtitiæ ad cultum ueræ religionis inſtituat. Hac enim conditione gignimur ut generati nos deo iuſta & debita obſequia prębeamus, hunc ſolũ nouerimus, hunc ſequamur. Hoc uinculo pietatis obſtricti deo & religati ſumus, unde ipſa religio nomen accepit. Rur ſus lib. 6. cap. 9. dicit. Diuinæ legis caput primum eſt, ipſum deum noſſe, ſoli obtemperare, ſolũ colere. Non poteſt enim ratione hominis obtinere, qui parentem animæ ſuæ deum neſcit, quod eſt ſummum nephas: quę ignoratio facit, ut dijs alienis ſeruiat, quo nihil ſce leratius cõmitti poteſt. Et in fine cap. Ergo in dei agni tione, ait, & cultu ſumma uerſatur, in hoc eſt ſpes om nis & ſalus hominis, hic eſt ſapientiæ gradus primus, ut ſciamus quis ſit nobis uerus pater, eũq; ſolum pie tate debita proſequamur, huic pareamus, huic deuo tiſſime ſeruiamus, in eo promerendo actus omnis &

Lactantij de uero dei cultu teſtimonia.

cura & opera collocetur. Item in cap. 10. subiungit, Dixi quid debeatur deo, dicã nunc quid homini tribuendum sit, quanquam idipsum quod homini tribueris, deo tribuitur, quia homo dei simulachrum est. Sed tamen primum officium iustitiæ est coniungi cum deo, secundum cum homine. Sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia uel humanitas nominatur, quę uirtus propria est iustorum & cultorum dei, quod ea sola uitæ communis in se continet rationem. Deus enim qui cæteris animalibus sapientiam nõ dedit, naturalibus ea munimentis ab incursu et periculo tutiora generauit: hominem uero quia nudum fragilemq; formauit, ut eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq; omnia pericula & accipiat & præstet auxilium. Summũ igitur inter se hominum uinclũ est humanitas, quod qui diruperit nepharius & parricida existimandus est. Nam si ab uno homine quem deus finxit, omnes orimur, certe consanguinei sumus, & ideo maximum scelus putandum est odisse hominem uel nocentem. Propterea præcipit deus inimicitias per nos nunquã faciẽdas, semper esse tollendas, scilicet ut eos qui sunt nobis inimici necessitudinis admonitos mitigemus. Item si ab uno deo inspirati sumus omnes & animati, quid aliud quàm fratres sumus? & quidẽ coniunctiores qui animis quàm qui corporibus. Itaq; non errat Lucretius cum dicit,

Deniq; cœlesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus idem ille pater est.

Ergo pro belluis immanibus sunt habendi, qui hominibus nocent, qui contra ius humanitatis & phas

omne,

omne, spoliant, cruciant, occidunt, exterminant. Ob hanc necessitudinẽ germanitatis docet nos deus mala nunquam facere, bonum autem semper. Id autem ipsum benefacere quid sit idem ille præscribit, Præstare auxilium depressis & laborantibus, impertiri uictum non habentibus. Deus enim quoniã pius est, animal nos uoluit esse sociale. Itaq; in alijs hominibus nosipsos cogitare debemus. Non meremur in periculo liberari, si non succurrimus: non meremur auxiliũ, si negamus. Postremo omnium luculentissime de Vero dei cultu idem lib. eodem cap. 1. in hæc uerba disputat: Docebo nunc quo ritu quo ue sacrificio Deum coli oporteat. Id enim est hominis officium, in eoq; solo summa rerum & omnis beate uiuendi ratio consistit: quandoquidem propterea facti & inspirati ab eo sumus, non ut cœlum uideremus et solem (quod Anaxagoras putauit) sed ut artificem solis & cœli deum pura & integra mente coleremus. Nihil enim sancta & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, q; SOLAM INNOCENTIAM, quam si quis obtulerit deo, satis pie religioseq; litauit. Homines autem neglecta iustitia cum sint omnibus flagitijs & sceleribus inquinati, religiosos se putant, si templa & aras hostiarũ sanguine cruentarint, si focos adoleuerint ac ueteris uini perfusione madefecerint. Quicquid aspectu rarum, quicquid opere aut odore precios um est, & hæc grata esse dijs suis, non ex aliqua diuinitatis ratione, quam nesciunt, sed ex suis cupiditatibus iudicãt, nec intelligunt terrenis operibus deum non indigere. Et quæ sequuntur. Vbi ergo sunt qui nescio quẽ dei cultum nobis obtrudunt? Recensent enim infinitas monachorum regulas, hominũ opera ac merita, cultum

diuorum, ceremoniarum innumera instituta, aurum, argentum, gemmas, purpuram, pepla, faces, uasa, uestes, & res alias hisce multo uiliores. Vera religio non uersatur circa externa, sed sita est in animi pietate.

Quod sancti utriusq; testamenti oēs sola pietate deum coluerint. Cap. VI.

HAnc religionem piam, qua uni Deo omnis honor impenditur, qua solus adoratur, solus inuocatur & qua solus colitur fide, spe, charitate, & uitæ innocentia, illibatam custodierūt omnes utriusq; testamenti sancti, ut si nullum extaret de Vero dei cultu dei præceptum, uel ex tanta exemplorum copia liquidum fieret solū deum inuocandū, & unum pietate esse colendum. Quod autem talis omnino fuerit priscorum dei seruorum religio demonstrabimus nunc consequentibus, in laudem & defensionem syncerę religionis. Et de primis quidem parentibus nostris sanctaq; sobole eorum Abelo non est dubiū quin pure deum conditorem coluerint, uni adhæserint, & inuocarint solum. Declarauit hoc Abel hostia opima deo oblata & sanguine suo p nomine dei effuso. Cain uero cum esset hypocrita & impius, religionē dei syncerā primus neglexit polluitq; & pollutā tradidit posteris suis. Nam de Seth filio Adę legimus, Et ipsi Seth natus est filius & uocauit nomen eius Enos, tunc cœptum est inuocari in nomine domini. Hoc enim perinde est ac si dixisset, Hactenus per Cainitarum impietatem factum est ut nomē domini, id est maiestas dei uera q; religio parū coleretur, nunc uero cum dominus ipsi Seth daret liberos cœpit in his restaurari uerus dei cultus hactenus collapsus, cœpit & ipsum dei nomen

Primi cultores pietatis & impietatis.

men inuocari. Habemus ergo primum in mundo pie tatis ueræ cultorem extitisse Adamum, impietatis uero Cainum: at restauratorem collapsæ religionis fuisse filium Adę Seth nepotemq; illius Enos. Caini stirps prorsus excisa & absorpta est per diluuium, ne uestigio quidem relicto. A Seth pio uiro descendit longa generis serie sanctus Noë, qui solus cum filijs & uxoribus per diuinam gratiã seruatus in diluuio, soli deo gratulatoria obtulit sacrificia, solũ adorauit, soliq; uota sua nuncupauit, solum deniq; pietate uitæ iustitia & simplici obedientia, nulla re externa, coluit. De patriarchis Abraham, Isaac & Iacobo totus propè Geneseos liber testatur, quod deum non coluerint ullis templis, ceremonijs rebúsue preciosis & corruptis, sed pietate sola. Ab his uoluit deus appellari Deus Abrahã, Isaac & Iacob. Ipsi denique appellantur uiri fœderis, quod uni deo fideliter adhæserint. Et quoniam in Lege ipse dominus disertis uerbis oẽs deos alienos prohibet, se solum proponit adorandum, inuocandum & colendum, ideo quotquot sub lege uixerũt pij, solum deũ pietate coluerũt. Externas illas ceremonias agnouerunt datas esse ad tempus correctionis, & ut Christum dei filium adumbrarent. Quorum uero cultus in lege damnatur, hoc potissimũ nomine damnatur, quod non esset institutus secundum normam diuinæ legis.

Patriarchæ.

Lex.

Iosue fortissimus ille heros & populi Israelitici imperator præstantissimus, fatum suum præsentiens, in concionem conuocat totam plebem, & ad ipsam magna cum obtestatione huiusmodi uerba facit, Nũc igitur timete dominum, & seruite illi in perfectione & ueritate: et auferte deos alienos, qui in medio uestri sunt,

Iosue & principes Israelis.

& inclinate cor ueſtrũ ad dominum deum Izrael. Ad eundem modum & Iudices & Reges populi Izraeliti ci ſancti omnes, hoc nomine maximam apud omnes laudem promeruerũt, quod uni adhæſerunt domino, & deos alienos unà cum peregrino cultu exciderunt radicitus: & huc pertinet tota illa Iudicũ & Regũ Izraelis & Iuda nobilis hiſtoria. Erant ſanè qui deũ quidem colerent, ſed non ſolum, aut nõ eo ritu ac modo, quem dominus præſcripſerat, & talibus iratum fuiſſe deum prodidit ſcriptura. Placet ergo deo cum ſolus toto corde adoratur et colitur. Nam de Ioſia poſtq̃ dixiſſet propheta quod ſubuerterit ſuperſtitionẽ omnẽ omniaq̃ ſuperſtitionis inſtrumẽta cõtriuerit, ſubiungit, Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad dominum in toto corde ſuo et in tota anima ſua atq̃ in tota uirtute ſua iuxta uniuerſam legẽ Moſi, neq̃ poſt eũ ſurrexit ſimilis ei. Floruit ante Ioſiam regẽ Helias propheta celeberrimus annis circiter 280. qui & ipſe nihil ſinebat unà cum deo coli. Nam ad populũ Izraeliticum clamabat, Vſquequo claudicatis in duas partes? Si dñs eſt deus, ſequimini eum: ſin Baal, ite poſt eum. Quaſi dicat, Nullũ eſt mediũ, Deus ſolus colendus eſt, cui ſi quis aliud quoq̃ iunxerit quod uenereť, animus colentis diuidiť, atq̃ ideo à domino improbatur, qui ex totis uult diligi uiribus, ex tota anima et intelligentia tota. Sed ne omnia ueterum exempla perſequar, nónne Pſal. 107. ante Chriſti tẽpora & poſt Dauidis ſæcula ſemper cantatus eſt à pijs in eccleſia ſanctorum? Atqui is cõpoſitus eſt ad laudes dei, & diſſerit de caſibus humanis, nempe quod ea quæ nobis uidentur fortuita, omnia fiant dei prudentia bonoq̃ dei conſilio, atq̃ ideo in oĩbus caſibus non tutelares deos

ſed

sed solum deum esse inuocandum. Casus autem quos attingit hi propemodũ sunt, Afflictio siue oppressio, Error uiæ quæ infesta est latronibus, Carcer & uincula, Morbi & mortis formido, Periculũ in aquis & naufragium, Sterilitas & Fertilitas, Inopia & diuitiæ, Honores & cõtemptus. Hæc, inquit, si cui obueniunt, ne tutelari alicui deo aut fortunę accepta aut ablata ferat sed deo omnipotenti. Hinc subinde repetit, Confiteantur ergo domino ob beneficentiam eius, & mirabilia eius in filijs hominum. Repetitur & illud non semel, Et cum clamassent ad dominũ in tribulatione sua, eripuit eos ex angustijs suis: ut scilicet discamus solum deum inuocandũ esse in omnibus necessitatibus, non Iacobum, Nicolaum, Annam, Leonhartum, Sebastianum, aut alios huius generis deos, qui uocari solẽt ab incredulis in afflictionibus suis. Legatur Psalmus totus, legatur autem cum fide & diligentia, et apparebit sanctos ueteris testamenti omnes deum solum inuocasse in omnibus. Quod si addas huic Psal. 15. cui initium, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. & Psal. 24. qui incipit, Domini est terra, &c. dices ueteres deum coluisse sola pietate, iustitia, innocentia ac charitate.

Accedimus nunc ad noui testamẽti sanctos. Et sanctorum quidem omnium caput et dominus, imò sanctificator Iesus Christus, qui nobis à patre cœlesti datus est in exemplum uitæ, & qui in euangelio loquitur, Ego sum lux mundi, qui sequitur me nõ ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ, deum non coluit ullis rebus externis, sed sola pietate, nec uspiam diuorum inuocationem docuit, sed ad se potius uenire iussit, Venite ad me omnes, ait, qui laboratis & CHRISTVS.

onerati estis, & ego reficiam uos. Si quis sitit ueniat ad me, & bibat. Qui biberit ex aqua quã ego dedero ei, nunquam sitiet. Orare docens discipulos, dicit, Cum orare uultis, dicite, Pater noster qui es in cœlis, &c. Et iterum, Quicquid petieritis à patre in nomine meo dabit uobis. De summo bono, æterna uita, & officijs uitæ disputans manifeste, Hæc est uita æterna, inquit, ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum. Item, Hoc est præceptum meum ut diligatis inuicem. Hinc ergo omnes sancti noui testamenti, saluatoris insistentes uestigijs, unum deum per Christum inuocarunt & pietate uitæ coluerunt. Testantur hoc Acta & Epistolæ apostolorũ, quorum testimonijs siue exemplis in præsenti quod aliâs sint manifestissima Lectorem onerare nolui. Ex istis enim quæ adduximus hactenus, constare puto, ueram religionem uereq; religiosos ab initio mũdi à solo deo pependisse in utroq; testamento: hanc item de religione doctrinam, ueram, priscam, diuinam, prophetică, apostolicam, indubitatam, catholicam & orthodoxã esse doctrinam, quam qui defixam tenuerit in pectore suo absq; dubio nunquam peribit, neq; mutilam aut hæreticam, sed perfectissimam & orthodoxam sectabitur religionem.

Patres & doctores ecclesiastici.

Addam nunc huius generis quædã ex sanctis patribus doctoribusq; ecclesiæ: non quod existimẽ prolata scripturæ testimonia & exempla rei præsenti non sufficere, sed ut quibusdam inseruiam qui plus nimiũ mirantur priscorum sentẽtias. Ergo Eusebius Eccles. hist. lib. 4. cap. 15. de beato Polycarpo scribens, inserit apographum epistolæ cuiusdã Smyrneñ. ecclesiæ, ad Philomelienses, contextam de uita & interitu sancti Polycarpi.

Polycarpi. In eo exponit Christianos mortui episcopi sui corpus efflictim postulasse, at Iudæos omni modo obstitisse, Nicetamq; quendam caussam explicasse ob quam uideatur corpus negandum esse Christianis, ne uidelicet relinquentes illum qui crucifixus est, Polycarpū colere incipiāt. At qui his opponūt sancti, Ignorantes miserrimi, quia neq; Christum aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit, neq; alium quenquam colere: quoniam uerum deū, & qui solus colendus sit nouerimus: martyres uero tanquā discipulos domini diligamus & ueneremur, quasi integre fidē magistro seruantes & domino, quorum nos quoq; in fide & perseuerantia charitatis optamus esse participes. Et paulò post iterum aiunt, Nos ambusta ossa preciosissimis gemmis chariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, collegimus, ac sicuti conueniebat ex more cōdidimus. Quo in loco etiam nunc, præstante domino, solennes agimus celebresq; conuentus, maxime quidē in die passionis eius, sed & cum eorum memorias qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad præcessorum uiam exemplis insignibus suscitentur. Hactenus Smyrnensis ecclesiæ uerba recensui. Acta sunt illa imperantibus M. Aurelio Vero & Antonino filio eius cum Lucio fratre. Apparet autem ex uerbis sanctæ huius ecclesiæ Asiaticæ, quod primitiua ecclesia uni soliq; deo adhæserit, diuis neq; inuocatis neq; cultis. Euidens est illud quod aiunt, Christum aliquando non possumus deserere: quod perinde est ac si dixissent, Christū nunquā possumus deserere. Addūt caussam, Quippe qui mortem pro totius mundi salute sustinuit. Sanguine ergo suo nos mercatus est, effectiq; *Primitiua ecclesia.*

sumus peculium eius. Rursus, Non possumus, inquiunt, alium quenquã colere. Subijcitur denuo caussa, Quoniam uerum deum, & qui solus colendus sit nouimus. Verus, aiunt, deus, & solus quidem colendus est. Dicat aliquis, Quo ergo loco martyres habebunt? Respondent, Martyres ut domini discipulos uenerамur ac diligimus, ueluti eos qui magistro ac domino fidem seruarunt, optamusq; in fide & constantia illorum fieri consortes. Ergo in quem finem collegerunt martyris ossa? Non in alium, quàm ut ex more conderent, id est, sepelirent, Quia apud omnes Gentes pietatis officiũ & ultimus uidebatur honor, corpora iuste sepelire. Quod autẽ in loco sepulturæ agebantur conuentus, id quidem non fiebat ad cultum, sed quemadmodum ipsi sese interpretantur, ut sequentium animi ad præcessorũ uiam exemplis insignibus suscitentur. Fuit enim priscis mos coire in concionẽ et audire martyrum encomia, ut pulchris exẽplis singuli incitarentur ad egregia facinora. Meminit eius ritus S. Cyprianus lib. epist. 4. epist. 5. Et Erasmus in Concionatore suo, Olim certis diebus, inquit, populus conueniebat ad nihil aliud quàm ad εὐλογίαν, sic enim appellant & Græci gratiarumactionem, Illic propheta aut episcopus magnificis uerbis attollebat diuinã in omnes creaturas bonitatẽ, populus psallebat hymnis & canticis spiritualibus domino. Prædicabatur itẽ laus piorum, martyrum maxime, qui morte sua deum glorificauerunt.

Tertullianus. Tertullianus in Apologetico suo cap. 30. per ironiam, Sed uos ait, religiosi, qui salutẽ quæritis ubi non est, petitis à quibus dari non potest, præterito eo in cuius est potestate. Insuper eos (Christianos) debellatis

qui

qui eam sciunt petere, qui etiã possint impetrare, dum sciunt petere. Nos enim pro salute Imperatorũ deum uocamus æternum, deum uerum, & deum uiuum: ad cœlum inquam suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denicq; sine monitore, quia ex pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus uitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæsaris uota sunt. Hæc ab alio orare non possum, quàm à quo scio me consequuturum, quoniam & ipse est qui solus præstat, et ego sum cui impetrare debetur famulus eius, qui eum SOLVM obseruo, qui ei offero opimam & maiorem hostiam, quàm ipse mandauit, orationem de carne pudica, de animo innocẽti de spiritu sancto profectam: non grana thuris unius assis, nõ à radice arboris lachrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinẽ reprobi hominis mori optantis, & post omnia inquinamenta etiam cõscientiam spurcam, ut mirer cum hostiæ probentur penes uos à uiciosissimis sacerdotibus, cur præcordia potius uictimarum quàm ipsorum sacrificantiũ examinantur? Hæc omnia Tertulliani sunt, ex quibus colliqueſcit ueterem sanctorũ ecclesiam inuocasse orasseq; deum solũ, coluisseq; uitæ fideiq; sanctimonia & puritate, nõ rebus externis, muneribus scilicet corruptis uel sacrificijs.

Cyprianus sanctus dei martyr & Carthagineñ. ecclesiæ episcopus dignissimus, in Tractatu de Vanitate idolorum inter alia, Vnus igitur omnium dominus deus est, inquit: Neq; enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnium teneat potestatem. *Cyprianus.*

Hic uniuersa quæcunq; sunt uerbo iubet, ratione dispensat, uirtute consummat. Videri nõ potest, uisu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est: & ideo sic deum digne æstimamus dum inæstimabilem dicimus. Quod uero templum habere possit deus, cuius templum totus est mundus, & cum homo latius maneat intra unam ædiculam uim tantę maiestatis includat: in nostra dedicãdus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomẽ dei quæras, Deus nomen est illi. Illic uocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est, Deo qui solus est, dei uocabulũ totũ est. Ergo unus est & ubiq; totus diffusus est. Huius generis multa leges & in Tractatu contra Demetrianum, in quo pluribus ostendit ueram religionẽ uersari non circa externa sed interna, circa iustitiã scilicet & fidẽ.

Romanus martyr apud Prudentium.

Romanus inclytus ille Christi martyr apud Prudentium in libello cui titulum fecit Peristephanωn ante iudicem Asclepiadẽ assistens causſamq; religionis Christianæ diligenter exponens, postquam de Deo abunde dixisset, tandem transitum ad alia faciens, subiungit,

Cognoscis ipsum, nunc colendi agnoscite
Ritum modumq;, quale sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ uota poscat, quos sacerdotes uelit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Aedem sibi ipse mente in hominis condidit,
Viuam, serenam, sensualem, flabilem,
Solui incapacem posse nec destructilem,
Pulchram uenustam præminentem culmine,
Discriminatis inclytam coloribus.

Illic

Illic ſacerdos ſtat ſacrato in limine,
Foresq; primas uirgo cuſtodit fides
Innexa crines uinculis regalibus,
Poſcit litari uictimas Chriſto & patri
Quas ſcit placere, candidatas, ſimplices.
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, caſtitatem corporis,
Dei timorem, regulam ſcientiæ,
Ieiuniorum parcitatem ſobriam,
Spem non iacentem, ſemper & largam manum.
Ex his amœnus hoſtijs ſurgit uapor,
Vincens odorem balſami, thuris, croci,
Auras madentes Perſicorum aromatum,
Sublatus inde cœlum aduſq; tollitur,
Et proſperatum dulce delectat deum.
Hanc diſciplinam quiſquis infenſus uetat,
Vetat probatum uiuere, & ſanctum ſequi,
Vetat uigorem mentis alte intendere,
Noſtriq; acumen ignis ad terram uocat,
Nec excitari uim ſinit prudentiæ.
O merſa limo cæcitas Gentilium,
O carnulenta nationum pectora,
O ſpiſſus error, ô tenebroſum genus,
Terris amicum, deditum cadaueri,
Subiecta ſemper intuens, nunquam ſupra.

Licebit autẽ ex huius præſtantiſſimi martyris confeſſione, liquido æſtimare, quæ fuerit fides & religio omnium aliorum Chriſti martyrum, hoc eſt, quod omnes ſancti dei martyres non alia re crediderint deum quàm ſola pietate colendũ eſſe, neq; alium quenquã quàm ſolũ deum in omnibus neceſſitatibus inuocandum. Hic ſanctus dei martyr nephas eſſe putat ſubie-

cta, id est uisibilia, terrena siue externa semper respice re & animum ad cœlestia per fidem ac spiritum non posse aut uelle eleuare.

Augustinus. Sanctus Augustinus in lib. de Vera religione cap. 55. sic scribit, Nõ sit nobis religio humanorũ operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominũ mortuorum. Quia si pie uixerint, non sic habẽtur ut tales quærant honores, sed illũ à nobis coli uolunt, quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionẽ. Si autem male uixerint, ubicunq; sint non sunt colendi. Et paulò post addit, Hoc etiam ipsos optimos angelos & excellentissima dei ministeria uelle credamus, ut unum cum ipsis colamus deum, cuius cõtemplatione beati sunt. Neq; enim & nos uidendo angelos beati sumus, sed uidendo ueritatem, qua etiã ipsos diligimus angelos & his congratulamur. Nec inuidemus quod eò paratiores uel nullis molestijs interpedientibus per fruuntur, sed magis eos diligimus, quoniam & nos tale aliquid sperare à communi dño iussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non seruitute nec eis tẽpla construimus. Nolũt enim se sic honorari à nobis, quia nosipsos, cum boni sumus, templa summi dei esse nouerunt. Recte itaq; scribitur hominẽ ab angelo, phibitum ne se adoraret, sed unũ deũ sub quo ei esset & ille conseruus. Qui aũt nos inuitant ut sibi seruiamus & tanq; deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli uolũt, sed istos hoïes perpeti minus, illos uero colere magis periculosum est. Omnis enĩ hominũ dominatus in hoïes aut dominantium

tium aut seruientium morte finitur: seruitus autē sub angelorum malorum superbia propter ipsum tempus quod est post mortē magis metuēda est. Et in fine propemodū addit, Religet ergo nos religio uni omnipotenti deo. Quia inter mentē nostrā, qua illum intelligimus patrē & ueritatē, id est lucem interiorē, per quam illū intelligimus, nulla interposita creatura est. Ipsum ergo dei donū (spiritus sanctus) cū patre & filio æque incōmutabile, colere & tenere nos cōuenit, unius substantiæ trinitatē, unū deum à quo sumus, per quē sumus, in quo sumus, à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus, principiū ad quod recurrimus, formā quam sequimur, & gratiā qua reconciliamur, unū deum quo authore conditi sumus, & similitudinē eius per quā ad unitatē reformamur, & pacē qua unitati adhæremus, deū, &c. Quod si cui libet addat huius generis & alia ex 10. lib. de Ciuitate dei cap. 19. & 16. item ex lib. 22. cap. 10. rursus ex libro 8. cap. ult.

De Superstitione & erroris origine. Cap. VII.

EXposuimus bona fide sententiam, doctrinā & fidem prophetica priscam & apostolicam de Deo deiq; religione uera, ueroq; cultu numinis, nempe quod unus modo uerus, uiuus & æternus deus sit, qui solus spiritu adorari per Christū, inuocari, & coli uelit fide, iustitia, spe & charitate. Igitur consequens est ut nunc dicam de superstitione quæ religioni pietatiue opponitur, hoc est ut explicem unde originem trahat error, & qualis omnino esse uideatur. Superstitio ergo, ne quis forte aberret *Superstitio,*

in nomine, falsi dei religio est, quemadmodum pietas aut religio ueri dei cultus. Nã uetustas superstitiosos appellauit non eos quidẽ qui suos optant filios superstites, quemadmodũ falso existimauit Cicero, omnes enim optamus: sed aut eos qui superstitẽ memoriam defunctorum colebant, aut qui parentibus suis superstitibus, eorum colebant imagines domi tanquã deos penates. Ergo qui nouos sibi ritus assumebant, ut in deorum uicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos uocabant antiqui superstitiosos. Eos uero qui publicos & antiquos deos colerent, religiosos nominabãt. Vnde Vergilius Maro,

Vana superstitio ueterumq; ignara deorum.

Verum cum ueteres quoq; deos inueniamus eodem modo consecratos esse post obitum, superstitiosi recte dicuntur qui multos falsosq; deos colũt, aut qui uerum deum nõ eo ritu modoq; colunt, quo ipse coli uoluit. Religiosi autem qui uerum deum solum & iusto modo uenerant. Proinde Falsa religio, error, siue superstitio in hisce potissimum capitibus uersari uidetur, Vel cum plures deos, hoc est, cum non unum & solum deum, uel aliquid unum quod tamen deus non est colimus, uel cum unà cũ uero deo colimus etiam deos alios, uel cum deum quidem uerum & solum ueneramur, sed ritu peregrino, id est, nõ eo modo quem ille nobis præscripsit, quin potius quem aut ipsi ex nobis confinximus, aut ab alijs inuentum recepimus. Atq; hæ quidem formæ relucebunt clarius in ipso rerum tractatu, quo de origine erroris ageẽ. Ego ut perspicatiora solidioraq; sint omnia, primũ dicam de origine erroris siue superstitionis apud Gẽtes, deinde de initijs

ínitijs corruptæ religionis apud Iudæos, poſtremo de Chriſtianorum ſuperſtitione circa ueri dei cultum.

Gentes priſcas unum uerum deum cognouiſſe, uarijsq; appellaſſe noïbus, et quę noïnum ratio ſit. Ca. VIII.

ET deum quidem ſeſe aperuiſſe Gentibus, teſtis eſt Apoſtolus Paulus Romanis ita ſcribens, Retegitur ira dei è cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, qui ueritatem in iniuſtitia detinent, propterea quod illud dei cognobile illis manifeſtũ eſt, Deus enim illis manifeſtauit. Etenim inuiſibilia eius ipſaq; eius æterna potentia & diuinitas intelliguntur ex creatione mundi, nempe ſi expendantur opera eius. Denicq; Gentes manifeſtatum deum cognouiſſe idem teſtatur & ait, Vt iam ſint inexcuſabiles, eò quod cum deum cognouerint, non ut deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt. Iam & teſtimonia ſapientum quorundam inter Gentes euidẽter demonſtrant Gentes non ignoraſſe Deũ, imò docuiſſe hunc non rebus externis ſed iuſtitia & integritate eſſe colendum. Nam Orpheus ad Muſæum interprete Ioan. Franc. Pico ſic cecinit,

Teſtimonia Gentium de Vno Deo.

Diuino aſſideas uerbo quod conſpice ſemper,
Quod mentis nauem flectat, tu ſcande per arctum
Et ſolum ſpectato ducem, qui præſidet orbi.
Is per ſe genitus ſolus qui cuncta creauit,
Omnibus aſſiſtens, nemo eſt qui hunc uiderit unquã
Mortalis, ſed cuncta procul cernuntur ab ipſo
Atq; malum unde bonum miſeris mortalibus infert.
Hic ſiquidem firmum ſortitus in æthere cœlum eſt,
Aureus huic thronus eſt, pedibus iacet arida tellus
Et dextra Oceani uelocis littora cingit

Hunc metuunt celsi montes, hunc flumina, pontus.

Et Sibylla apud Iustinum martyrem in admonitorio Gentium in hæc carmina uocem resoluit,

Vnus enim deus est solus non æditus ingens,
Omnia conspiciens non uisibilis induperator,
Quem moritura caro potis est cõprehendere nunq̃.

Item alicubi,

Felices illi in terris omnino futuri,
Qui summum coluere deum & laudare priusquam
Degustent quicquam, freti pietate, putarunt
Qui mutos lapides, qui templa altaria bruto
Sanguine quadrupedum fœdata refellere discunt,
Vnius inq̃ dei laudem procumbere norunt.

Sophocles quoque, Vnus inquit reuera, unus est deus, qui terram struxit & cœlum, qui maris nitentes undas, & uentorũ minas. Mortales plurimi corde aberrantes in animæ perniciem simulachra struximus lignea, lapidea uel auro tecta uel ebore, quibus festiuitates & sacra fecimus pie in hunc modum colere existimantes. Pythagoras autem qui suæ dogmata philosophiæ per mystica symbola exposuit, uti declarant hi, qui eius uitam descripserunt, de uno deo uidetur sensisse ea quæ digna sua in Aegyptũ profectione habeantur; quippe cum rerum principium unitatem cõstituerit, & hanc ipsam omnium bonorũ causam existimauerit, allegorice docuit unum & solum esse deum. De Platone hæc, pdidit Iustinus martyr, Plato Mosis aliorumq̃ prophetarum de uno deo demonstraturus doctrinam, quã dum esset in Aegypto percepit, ueritus tamen quæ Socrati acciderant, ne in se Anytum quendam et Meletum excitaret, quibus apud Athenienses læsæ diuinæ maiestatis accusaretur, metu uidelicet cicutæ,

cutæ, uarium quendã & tectum inuolucris sermonẽ de Dijs molitus est, quo eorum posset opinio stare, qui plures deos autumarent, eodemq; pariter ijs assentiri, qui contraria illis arbitrarentur: sicuti facile est deprehendere ex ijs quæ scripta reliquit. Bessarion uero in Calumniatorẽ Platonis lib. 2. cap. 5. in hęc uerba de Platone testatus est, Appellat Plato in usu ciuili sermo neq; publico primum illud aut unum & ineffabile implicite sub nomine Iouis: quod si Græce dicis ut ille loquutus est, id significatur quod uitam in se contineat, & cæteris omnibus præstet. Quo nomine nihil aptius deo summo & optimo attribui potest, quãdo nos quoque uitam in deo esse dicimus, & quicquid creatũ est in illo fuisse, & uiuere nil posse sine dei semper uiuentis uiuificatione. Idem lib. 2. cap. 4. Fuerunt proculdubio, inquit, Plato & Aristoteles Gentiles, & plures uterq; diuinitates superiores & inferiores opinatus est: non tamen usqueadeo in errorem uulgi lapsi sunt, ut fabulas quasdã obscenas & inanes statuas coluerint, sed deum unum omnium rerum principium ingenitum omnino & omni caussa uacantem posuere. Multas præterea alias substantias easq; æternas, sed à primo illo gradatim descendentes, ut aliæ superiores aliæ inferiores habeantur, uerum omnes ad unum primũ referri indeq; pẽdere, atq; à primo & proximis primo esse productas. Quod si quis ipsa Platonis de Deo uerba & sententiã cognoscere cupit, habet Parmenidem & Timæum Platonis, opera elaborata & in quibus theologiam naturaliumq; rerum scientiam tradere conatus est. Aristoteles in libro de Mũdo, interprete Budæo, disertis uerbis confitetur, & ait, Vetus sermo est à maioribusq; proditus inter omnes homines, uniuer-

sa tum ex deo tum per deum constituta fuisse atque co agmentata, nullamq; naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra dei præsidium suæ ipsa de mum tutelæ permissa sit. Quocirca ueterum nonnulli eò usq; profecti sunt ut hæc omnia dictitarent deorum esse plena hauriríq; eorum spectra ab hominibus oculis & auribus reliquisq; sensibus. Sententiæ illi quidē fundamenta iacientes diuinæ fortassis potentiæ non item diuinæ naturæ congruentia. Hactenus Aristot. uerba recensui. Iam & Ciceronis uere sanctam de Vero dei cultu sentētiam annoto ex 2. lib. de Natura deorum, Cultus deorū is est optimus idemq; castissimus atq; sanctissimus pietatis, ut deos semper pura, integra, incorrupta & mente et uoce ueneremur. Quibus uerbis congruit per omnia sanctum illud ac decantatum Catonis distichon,

De Vero dei cultu gentilium sententia.

Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Seneca epísto. ad Lucilium libro 15. ubi damnasset receptum tum in mundo deorum cultū, id est gentilem, mox sic scribit, Primus est deorum cultus, deos credere. Deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est. Scire illos esse qui præsident mundo, qui uniuersa ut sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum nec habent. Cæterum castigant quosdam & cohercēt & irrogant pœnas, & aliquando spe boni puniunt. Vis deos propitiare? Bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est. Ecce altera quęstio, quomodo hominibus sit utendū? Quid agimus? quæ damus præcepta? Vt parcatur sanguini humano? Quantulū est ei nō nocere, cui debeas prodesse?

deſſe? Magna ſcilicet laus eſt ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipiemus ut naufrago manum porrigat, erranti ut uiam monſtret, cum eſuriente ut panẽ ſuũ diuidat? Quando omnia quæ præſtanda ſunt ac uitanda, dicam, cum poſſim breuiter, hanc illi formulam officij tradere? Omne hoc quod uides, quo diuina atque humana concluſa ſunt, unum eſt, membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos ædidit, cum ex ijſdem & in eadem gigneret. Hęc nobis amorem indidit mutuum, et ſociabiles fecit. Illa æquum iuſtumq; compoſuit. Ex illius cõſtitutione miſerius eſt nocere q̃ læ-di. Ex illius imperio paratæ ſunt iuuantis manus. Iſti Verſus & in pectore & ore ſint, Homo ſum, humani nihil à me alienum puto. Habeamus in cõmune quod nati ſumus. Societas noſtra lapidũ fornicationi ſimilli ma eſt, quæ caſura, niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur. Tantum Seneca. Quæ haud dubie prophetica & apoſtolica eſſe diceres, niſi Senecæ authoris gentilis nomen prodidiſſem. Proinde ex tot poëtarum & philoſophorum teſtimonijs oſtenſum aperte ſatis exiſtimo, Gentes ſimul unum uerumq; deum & cultum eius uerum cognouiſſe.

At dicat hic aliquis, Si Gentes unũ & uerũ deum cognouerunt, quî factum eſt ut tot extent in poëtarũ & philoſophorum libris deorum nomina? Hæc ſanè deo uero attributa eſſe docebimus ad ſignificandam eius potentiam & ſapientiam, & initio non in hoc inuenta ut ſignificarent plures eſſe deos. Teſtimonia huius in promptu ſunt haud pauca, Orpheus enĩ apud Iuſtinum, quem paulò ante citabamus, in Admonitorio gentium, ſic canit,

Plura ſunt dei nomina, ſed unus eſt deus.

Iuppiter & Pluto, Phœbus, Dionyſius unum eſt.

Sed cur bis loquimur? deus astat in omnibus unus. Et Iamblichus in libro de Mysteriis apud Lod. Cœlium, Opifex intellectus, inquit, qui & ueritatis est dominus atq; sapientiæ, quatenus in generationem progrediens occultam latentium rationum potẽtiam traducit in lucem, Amum Aegyptiaca lingua uocatur: quatenus autem sine mendacio peregit omnia & artificiose simul cum ueritate Phtha nuncupatur. Græci uero hunc Vulcanum nominant, artificiosum duntaxat considerantes: quatenus uero est effector bonorũ, appellatur Osiris, aliasq; denominationes habet, propter potentias actionesq; differentes. Clarissime uero omnium Aristoteles in libro de Mundo scribit in hæc uerba, Vnus porrò deus cum sit, pluribus nominibus appellatus est, à suis ijs utiq; effectibus omnibus denominatus quorũ specimen ædere ipse solet. Atqui eum quidẽ tum Ζῆνα tum Δία uocant inter se cõpositis utentes nominibus atq; è regione collocatis, tanquam duabus his uocibus significare uelint, per quẽ uiuimus. Is Crono, id est Saturno, & Chrono, id est tempore ortus esse dicitur, nimirum ab æuo sempiterno ad alterũ æuũ pertinens. Vocat & Fulgurator & Altitonans et Aetherius & Fulminator & Pluuius, à pluuijs utiq; et fulminibus alijsq; operibus è quibus uocabula ipsa deducta sunt: quin & Frugipotens & Custos urbiũ uocitatur, & Natalicius, Septicius, Cortalis, Gentilitius et Patrius, uidelicet à cõmunione quæ diuino ipsi numini ijs cum rebus intercedit. Ad hęc Sodalitius & Amicitiæ prẽses, tũ Hospitalis, Castrẽsis, Trophæalis, Expiator, Sanguinarius & Supplex & Placabilis, ut Poẽtæ loquuntur: denicq; Seruator dicitur, & Assertor, & ut semel oĩa cõplectar, Cœlestis & Terrenus, ab omni

natura

natura ſorteq; nomen adeptus, utpote qui omniũ rerum author ſit. Quamobrem quæ de ipſo in Orphicis carminibus dicta ſunt, haud quaquã perperam dicta ſunt. Equidem neceſſitatem ipſam etiam nihil aliud q; deum dici cẽſuerim & intelligi, cui ἀνάγκη ex eo nomẽ eſt quod natura quædã ſit immobilis: eundemq; εἱμαρμένην, id eſt fatum dictum à ſerie rerũ conſerta inoffenſoq; tenore procedente: quod alio nomine πεπρωμένην ideo appellauerũt, quod ab eo omnia terminata ſunt ac nihil in rerũ natura infinitũ eſt. Hæc ex Ariſtotele uerbotim exſcripſimus. Cum his Ariſtotelicis conſpirant hæc Senecæ ex 4. lib. de Beneficijs cap. 7. in hæc uerba pronũciata, Quoties uoles tibi licet aliter hunc authorem rerum noſtrarum compellare, & Iouem, id eſt optimum maximum rite dices, & Tonantẽ & Statorẽ, qui non (ut hiſtorici tradiderunt) ex eo quod poſt uotum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtetit, ſed quod ſtant beneficio eius oĩa, Stator Statilioq; eſt. Hunc eundemq; & Fatũ ſi dixeris non mentieris. Nam cum Fatum nihil aliud ſit q; ſeries implexa cauſſarum, ille eſt prima omniũ cauſſa, ex qua cæteræ pendent. Quæcunq; uoles illi nomina, ppríe aptabis, uim aliquam effectumq; cœleſtem continentia. Tot appellationes eius poſſunt eſſe quot munera. In 8. cap. ſubiungit, Ergo nihil agis, inquit, ingratiſſime mortaliũ, qui te negas deo debere, ſed naturæ. Quia nec natura ſine deo eſt, nec deus ſine natura, ſed idẽ eſt utrunq;, nec diſtat officiũ. Si quod à Seneca accepiſſes, Anneo te diceres debere, uel Lucio, non creditorem mutares ſed nomen. Quoniã ſiue prænomen eius, ſiue nomen dixiſſes, ſiue cognomen, idẽ tamẽ ille eſſet. Sic nũc Naturã uoca Fatũ Fortunãq;, oĩa eiuſdẽ dei noĩa ſunt, ua

rie utētis ſua poteſtate. Et Iuſtitia, Probitas, Prudētia, Fortitudo, Frugalitas, unius animi bona ſunt: quicquid horū tibi placuit, animus placet. Tantū Seneca. Quod ſi quis præterea alia apud philoſophos ac poëtas dei nomina expendat, inueniet uni uero deo ſingula congruere, imò ipſa non poſſe citra crimen læſæ maieſtatis illis qui díj dicuntur communicari. Iuppiter enim dictus eſt deus, quaſi nos dicamus iuuans pater. Mercurius quod medius inter homines intercurrat & ubiq; præſens ſit. Seneca Mercuriū dictum putat quod ratio penes illū eſt numerusq; & ordo & ſcientia. Quocūq; te flexeris ibi illū uidebis occurrentē tibi. Nihil ab illo uacat. Opus ſuū ipſe implet. Neptunum appellarunt à nando. Deus enim maris etiam dominus eſt & omnium aquis innantium. Pluto dicitur ob diuitias. Nā díues eſt dominus et liberali manu omnibus creaturis ſuis diſtribuit facultates ſuas. Appellatur etiam Mauors quia magna uertit & ſapientia potentiaq; ſua cœlum hoc rotat. Saturnus quia oēs ſuas creaturas exaturat, et Iſmenius omniſcius ac Liber pater, nimirum à liberando. Canit enim propheta, Dominus ſoluit compeditos, dominus illuminat cæcos. Seneca Liberum patrem appellatum arbitratur quia omnium parens ſit, quod primum inuenta ſeminum uis eſt, conſultura per uoluptatem. Iam & Apollo dictus putatur à perdendo. Græce enim ἀπόλλυμι perdere eſt: mihi autē uidetur deus Apollo dictus quaſi aſpellens, quod ſolus omnia mala aſpellat. Macrobius lib. Saturnaliorum 1. hanc quoq; explicationem nominis plus approbat. Euſebius de Præparat. euangel. exiſtimat Oſirim perinde eſſe ac ſi tu dicas Multioculus, at hoc uocabulum maxime congruit deo uero, cuius prouí-

dentia

dentia ſapientiaq; geruntur in mundo oĩa. Pan idem dicitur, quia uniuerſæ naturæ dominus eſt. Græcis enim πᾶν omne ſignificat. Cæterum quod deo legun-tur etiam tribui uocabula fœminea, nemo factum exiſtimet propter ſexum in deo ſignificandum diſcrimi-nandum ue, ſed ad exprimendam eius proprietatem, uim ſiue potentiã. Proinde Iuno appellatur quod uir-tute ſua iuuet ubiq;. Venus quod ui ſua ad omnia ue-niat & penetret per omnia. Ceres uocaſ quaſi geres, nimirum à proferendis fructibus. Minerua à minis ha bet nomen. Nam metuenda eſt diuina illa potẽtia. Iſi-dem priſcã dictam eſſe arbitrantur. Itaq; notarunt eo uocabulo priſcam, id eſt æternam dei potentiam. νεμε-σάω ſuccenſeo eſt, & νεμέω diſtribuo, inde uero deriua-ri uidetur uocabulum Nemeſis, quod deo attributum ſignificat in deo uim eſſe prauis ſuccenſentem & bo-nis bona diſtribuẽtem. Ariſtoteles, Quin et eundem, ait, deum Nemeſim appellatum uideo, quaſi poteſta-tem diuinã eius quod uiſum eſt cuiq; diſtributricem, Adraſtiam etiam quaſi cauſſam quandã natura cõpa-ratam, quam fallere nemo queat aut uitare. ἕστα de-niq; dictum, quaſi ſemper exiſtentem. Idem ille deus & Diana dictus eſt, quod diem dei efficiat uis. Lucina item quod in lucem ædat partũ. Appellatur item Ve-ſta, ἑστία Græce, quod ui ſua ſtat, nullius ope et ſuſtenta tione indiget. Nam & Ouidius Veſtam terrã eſſe exi-ſtimans Faſtorum 6. dicit,

Stat ui terra ſua, ui ſtando Veſta uocatur.

Et iterum,

Nil aliud Veſtam quàm puram intellige flammam.

Certe Chaldæi ſub ſpecie ignis deum coluerunt, quod intelligerent ignem nonnihil referre puritatem & lu-

cem æterni numinis, imò scriptura diuina non semel deum sub parabola ignis effigiat. Sed quis infinita illa dei nomina per compendium & in transcursu enumeraret explicaretq; omnia?

Huc pertinere uidetur & illud Ciceronis quod lib. de Natura Deorum secundo in hunc modum legitur, Naturæ deorum ex magnis beneficijs eorum nõ sine caussa & à Græciæ sapiẽtissimis & maioribus nostris constitutæ nominataeq; sunt. Quicquid enim magnã utilitatem generi afferret humano, id non sine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaq; tum illud quod erat à deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant, ut cum fruges Cererem appellamus, uinũ autem Liberum. Ex quo illud Terentij, Sine Cerere & Baccho friget Venus. Tum aũt res ipsa in qua uis ineſt maior aliqua, sic appellatur ut ea ipsa uis nominetur Deus, ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas uidemus proxime à M. Aemylio Scauro: ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata. Vides Virtutis templum. Vides Honoris à M. Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Liguſtico à Quinto Maximo dedicatum. Quid Opis? Quid Salutis? Quid Concordiæ, Libertatis, Victoriæ? Quarũ omnium rerum quia uis erat tanta ut sine deo regi nõ posset, ipsa res Deorum nomen obtinuit. Hęc Cicero. Claret autem ex istis omnibus priscas illas Gentes uerum deum agnouisse, uarijsq; appellasse nominibus, non quod plures deos esse crederent, sed quod infinitam dei potentiam uocabulorum copia aliquo modo adumbrare cogitarent.

Dei nomẽ patentißimum.

De

De Origine erroris circa Deos Gentium, & quibus modis increuerit superstitio. Cap. IX.

QVid autem ista, ais, faciunt ad demonstrandum erroris originem? Si enim hic peccatū est à Gentibus, uideri poterat etiam peccatū esse à scriptoribus sacris, qui uerū illum & unū deum Elohim appellant deos inquā, & plurima quoq; Deo uocabula attribuunt. Atqui nos non dicimus hac in parte quicquam peccasse Gentiles: in eo potius uidetur peccatum, quod posteri istarum rerū imperiti, tot existimarunt esse deos, quot repererūt dei uocabula. Hic autem plurimum potuit Sathanæ astutia & quorundam hominū Sathanica temeritas atq; superbia. Nam Sathanas ad antiqua cōuersus præsidia, ad mendatia inquā & dolos, quemadmodū primis nostris parentibus imposuit docuitq; ambire diuinitatē, ita nūc quoq; ambitiosos quosdā homines adgressus persuasit ut diuina sibi auderent usurpare nomina, lidem illi natales quoq; mentiti, nescio quas fabulas de generatione Cœli, Terræ ac fluminum, impij & audaces homines commentabantur. Itaq; qui apud Gentes nominantur theologi, hoc est uani & impij hominum seductores, tres numerant Ioues, ex quibus primum & secundum aiunt natos esse in Arcadia, alterū patre Aethere, alterum patre Cœlo, tertiū faciunt Cretensem, filium Saturni, cuius sepulchrum in ea Insula ostenditur, egregium profecto immortalis dei argumentum. Ita numerantur & complures Vulcani. Primus Cœlo natus fertur, ex quo & Minerua Apollinē eum genuit, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse uoluerunt. Secundus Nilo natus, Opas, ut Aegyptij appellant, quem custodem esse Aegypti uolunt. Tertius

Homines impie sibi usurpant dei nomina.

è tertio Ioue & Iunone, qui Lemni fabricæ tradit præfuisse. Quartus Menalio natus, qui tenuit Insulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabantur. Apollinum antiquissimus is fuit quem nunc ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum. Alter Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa Insula cum Ioue ipso certamẽ fuisse traditur. Tertius Ioue tertio natus & Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt adueniſſe. Quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse. Quis uero huius generis delyria recenseat omnia? satis sit ista exempli uice protulisse. Qui hisce nugis delectatur habet quo fruatur Hesiodi Theogoniam, qui Varrone & Augustino testibus primus in hoc genere author fuit, habet item 3. lib. Ciceronis de Nat. deorũ, & ex neotericis 23. Philologiæ librum R. Volater. In Actibus Apostolicis legimus Elymam quendam impostorem & pseudoprophetã se appellari uoluisse Bariehuh, quod perinde est ac si tu dicas, Filius Iouis aut Iehouæ, hoc est uiuentis dei. Verum digne tractatus ab Apostolo Paulo, stultitiæ suæ pœnas pendit. Nam cum cursui obstaret euangelij, Apostolus intentis in ipsum oculis, dixit, O plene omni dolo & omni uersutia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis inuertere uias domini rectas. Et ecce nunc manus domini super te, et eris cæcus non uidens solem usq; ad tempus. Hic inquam Paulus diuinitatẽ istorum deorum recte æstimans, omnes in uniuersum nõ dei filios aut deos, sed diaboli filios, & omnis iustitiæ hostes appellitat, qui quę faciant ex diabolica uersutia doloq; sathanico faciant, quippe cum cęcati diabolica prauitate ac audacia, uias domini rectas non cessent peruertere.

Huius

Huius generis est quod Iustinus martyr apud Eusebium lib. Eccles. histo. 2. cap. 13. de Simone Mago scripsit. Is enim urbem Romam ingressus, utens adminiculo assistentis sibi et adherentis dæmoniacæ uirtutis, quam πάρεδρον uocant, breui tempore in tantum malorum uenit profectum, ut etiã simulachri à ciuibus Romanis, tanquam deus, honore potiretur. Artes ergo milleartificis sathanæ serpentisq; tortuosissimi et lubricissimi uersutia, deniq; hominum quorundam impia temeritas & ambitio diabolica errorem circa deos inuenerunt & propagarunt in mundo, idq; omniũ primo nominum dei abusu & indecenti impiaq; usurpatione. Hinc enim factum est ut quæ prisci dixerant de Ioue, Saturno, Apolline, hoc est de Deo uero, id posteri priscæ ueritatis ignari dictum crederent de impuris illis nebulonibus qui interea dei nomina sibi imposuerunt & dei loco sese statuerunt.

Nostri uocant Familiarem uel famulantẽ spiritum.

Antiquior tamen paulò uidetur illorũ error esse, qui astra primum coluerunt. De his Lactantius in 2. Institut. lib. cap. 14. Noë, inquit, filium Cham propter scelus ingenij q; prauitatẽ abdicauit atq; expulit. At ille profugus in eius terræ parte consedit quæ nunc Arabia nominat, eaq; terra de nomine suo Chanaan dicta est, & posteri eius Chananæi. Hæc fuit prima gens quæ deum ignorauit, itaq; ignorantiam diuinitatis posteris suis reliquit. Ab hac gente proximi quiq; populi multitudine increscente fluxerunt, huc atque illuc dispersi, omnes Insulas & orbem totum repleuerunt, & à stirpe sanctæ radicis auulsi nouos sibi mores ac instituta pro arbitrio condiderunt. Sed omniũ primi qui Aegyptũ occupauerunt cœlestia suspicere atque adorare cœperunt. Et quia neq; domicilijs tege-

Homines colunt astra.

bantur propter aëris qualitatem (nec enim ullis in ea regione nubibus subtexitur cœlum) cursus syderũ & defectus notauerunt, dum ea sæpe uenerantes curiosius atq; liberius intuerentur. Postea deinde portentificas animalium figuras quas colerent cõmenti sunt, quibusdam prodigijs inducti. Cæteri autẽ qui per terram dispersi fuerunt admirantes elementa mundi Cœlum, Solem, Terram, Mare, sine ullis imaginibus ac templis uenerabantur, & his sacrificia in aperto celebrabant, donec processu temporum potentissimis regibus templa & simulachra fecerunt. Nam illis temporibus quando propter hominum raritatẽ qui agrestẽ uitam, sine ullo rectore uiuebant, non est dubiũ quin reges suos summis laudibus & nouis honoribus ornare cœperint, ut etiam deos appellarent: siue ob miraculum uirtutis hoc uere putabant rudes adhuc & simplices, siue ut fieri solet in adulationem præsentis potentiæ, siue ob metum, & quod uiderent reges omnino non iam ut reges sed deos se & appellari & salutari uelle, sicut modo diximus, siue ob beneficia quibus erant ad humanitatem composíti. Quod Plinius in historia mundi docet, dicens, Hic est uetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus ascribant: quippe & omnia nomina deorũ ex hominum nata sunt meritis. Congruit cum his Plinianis Cicero in 2. lib. de Natu. deorum in hæc uerba disputans, Suscepit autem uita hominũ consuetudoq; communis, ut beneficijs excellentes uiros in cœlum fama ac uolũtate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber, hinc etiam Romulus, quem quidam esse Quirinum putãt: quorum cum remanerent animi atque æternitate fruerentur,

Quas ob causas homines relati sint inter deos.

dij

dij rite sunt habiti, quum & optimi essent & æterni. Et alio loco atque alio in plerisq; ciuitatibus intelligi potest acuendæ uirtutis gratia, aut quo libẽtius reipub. caussa periculum adiret optimus quisq;, uirorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. Hac scilicet ratione etiam Romani suos Cæsares consecrauerunt & Mauri reges suos. Sic paulatim religiones esse cœperunt, dum illi primi qui eos nouerant & ritu suos liberos ac nepotes, deinde omnes posteros imbuerunt. Sic per populos atq; regiones uaria sacra susceptа sunt.

Rursus ubi apud posteros in obliuionem dei uenit set diuina potentia & prouidentia, quam in deo agno uere priores, uniuersi gubernatio pluribus distribui cœpit, unde mira deorum turba creditur exorta, qui iam non ut instrumenta summi dei, sed tanquam dij ipsissimi à uulgo habiti sunt ac culti. Fingebant ergo reges aut heroes suos homines inquam illustres in cœlum esse receptos & à deorum primo atque supremo deos creatos, & huic quidẽ demandatam esse ignis, illi aëris, & alteri cuipiam maris atq; terræ curã. Cœpere demũ & Mensibus præfici dij nominati, & artibus & morbis, & omnibus singulisq; hominũ membris, imò actionibus mortalium abiectissimis, uidelicet ne tanta deorum turba in cœlis otiari, uel supremus ille Deus omnium uel minimarum rerum curam habere crederetur. Ita uero increuit deorũ numerus inter Gentes, ut Oenomaus tradiderit triginta millia deorum in orbe terrarum fuisse culta, quod & ipsum uates asserit Hesiodus. Huc pertinent pudendi illi Romanorum dij deæq;, Deus Sterculius, Cloacinus, Pauor, Pallor, Rubigo, Febris, Fornax, Mutinus, Vir-

Dij præsiciuntur singulis in orbe rebus

ginensis, Subigus, Prema, Iugatinus, Domiducus, Domicius, Manturna, Partunda, Priapus: & nescio qui alij. Strabo igitur de Situ orbis lib. 17. refert quosdam Aegyptios duplicē posuisse Deum, Immortalem qui omnium sit conditor, & Mortalē qui ex beneficijs collatis pro cuiusuis placito et nomine celebretur & munere colatur. Antiquitas enim nil aliud existimabat deum esse quàm prodesse mortalibus. Vnde legum, uini, frugū authores, & quicunq; ad uitæ commoditatem aliquid contulissent, eos pro dijs habebat, adeò ut pro dijs quoq; beluas quasdam coluerit, uelut apud Aegyptios Ciconiam, quod serpentes arceat atque conficiat. Istorum stultitia inuenit & dæmonas, quos Apuleius animalia ingenio rationabilia & animo passiua, corpore uero aëria, tempore ęterna, dixit. Esse autē illos quibus nos perturbationibus affectos. Eos Romani ueteres Medioxumos nūcuparūt, quod ueluti intercessores, deo minores, hominum autē natura sint maiores. Hos existimant cōcepta à nobis uota ad deū deferre, & illinc nobis diuina munera ueluti μεσίται conferre. Et hic locus postularet quædam & de Genijs addere, nisi istis nugis plus nimium aliâs auditores pios oneraſſem. Scripsit de ijs alioqui non indigna lectu Eras. in opere Adagiorū Chil. 1. cent. 1. adagio. 72. Genius malus.

Præposte-ra pietas succesſo-rum.

Iam & pietas, id est superstitio eorum qui successerunt plurimum contulit ad errorē, iuuit & superbia. Nam ut diuina stirpe nati uiderentur, diuinos honores parentibus detulerunt deferriq; præceperunt. Te stat hoc Maro, qui scribit Aeneā sic præcepisse socijs,

Nunc pateras libate Ioui precibusq; uocate
Anchisem genitorem.

Cui

Cui non tantum honores diuinos & immortalitatem,
uerumetiam uentorum tribuit potestatem,
Poscamus uentos, atq; hæc mea sacra quotannis
Vt be uelit posita templis sibi ferre dicatis.
Idem scilicet de Ioue Liber, & Pan, & Mercurius, & Apollo fecerunt, ac postea de his ipsis successores eorum.

Accesserunt etiam poëtæ & cõpositis ad uoluptatem carminibus in cœlum deos sustulerunt, sicut faciunt qui apud reges etiam malos Panegyricis mendacibus adulantur: quod malum à Græcis ortũ est, quorum leuitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitauerit ac totí offuderit orbi. Idem illí magistri, naturales res fabulis contexerunt, ex qua ratione magna fluxit erroris uis & deorum multitudo, qui inducti specie humana fabulas poëtis suppeditauerunt, hominũ autem uitam superstitione omni referserunt. Atq; hic locus à Zenone tractatus, post à Cleanthe & Chrysippo pluribus uerbis explicatus est. Tractarũt idem argumentum & Palæphatus, Leontius, Landinus & Fulgentius. Cicero in 2. de Natu. deorum, A physicis rebus, inquit, bene atque utiliter inuentis, tracta est ratio ad commentitios & fictos deos: quæ res genuit falsas opiniones errores q; turbulentos et superstitiões penè aniles. Et formæ enim nobis deorum, & ætates et uestitus ornatus q; noti sunt. Genera præterea, cõiugia, cognationes, omnia q; traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Nam & perturbatis animis inducuntur. Accipimus enim deorũ cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec uero, ut fabulæ ferunt, bellis prælijs q; caruerunt, nec solum ut apud Homerum cum duos ex-

Poëtarum mendax impietas.

ercitus contrarios alij dei ex alia parte defenderẽt, sed etiã ut cum Titanis ut cum Gygantibus sua propria bella gesserunt. Hæc & dicuntur & creduntur stultissime, & plena sunt futilitatis summæq; leuitatis. Tantum gentilis ille Tullius.

Sacerdotũ nequitia. Post poëtas propagarunt errorem in mũdo Sacerdotes ministri deorũ, homines nequissimi, uani iuxta ac auari, qui non deorum sed suæ gloriæ suiq; uentris negotium agebant. Quicquid hi stulto popello proponebant, tantum non adorabatur pro oraculo. Et quidem conciliarunt sibi authoritatem ex ementitis oraculis, ex signis mẽdacibus, & arte magica, in qua multi extiterunt artifices absolutissimi. Ocultabant se præterea incesti, impuri ac uagi spiritus in templis, in adytis, in simulachris, & sacrificijs omnibus præsto erant, & portentosa exercebant ludibria, quibus obstupefacti stolidi homines, fidem magis atq; magis errori accommodabant. Inde est quod ab augure lapis nouacula incisus est, & quod Iuno Veiensis migrare se Romã uelle respondit, quod Fortuna muliebris periculũ denunciauit, quod Claudiæ manum nauis sequuta est, quod in sacrilegos & Iuno Nudata & Locrensis Proserpina & Ceres Milesia uindicauit, & Hercules de Appio, & Iuppiter de Atinio, & Minerua de Cæsare. Hinc quod serpens urbem Romam pestilentia liberauit, Epidauro accersitus. Nam illuc δαιμονιάρχης hac ipsa in figura sua sine dissimulatione perductus est: siquidem legati ad eam rem missi draconem secum miræ magnitudinis attulerunt.

Simulachra deorum. Horum nebulonũ, id est sacerdotum arte, regum arrogantia, sathanæ instinctu, populiq; stultitia inuenta sunt deorũ simulachra, & ornatus, id est luxus templorum

plorum ſtatuarumq; theatricus. Sciebant hac uanitate plurimum delectari uulgum adeoq; & capi & in errore retineri. Vere enim Lactantius contra Gentes, Tanta homines imaginum, inquit, cupiditas tenet, ut iam uiliora dicantur illa quæ uera ſunt: auro uidelicet gemmis & ebore delectantur. Horum pulchritudo ac nitor pręſtringit oculos, nec ullam religionem putant ubicunq; illa non fulſerint. Sed de Simulachris paulò poſt plura dicemus.

Iam & opinio uetuſtatis & maiorum exemplũ feli citasq; idololatrarum, errorem plurimum promouit. Tanta uero fuit uetuſtatis authoritas ut in illam inquirere nephas eſſe duceretur. Ex hoc enim ueram credunt eſſe religionem ſuam quod eam ueteres tradiderunt atq; cuſtodierũt. Symachus Præfectus urbis Romæ ad Valentinianum, Theodoſiũ & Arcadiũ Aug. pro ueteri Deorum religione, cõtra noſtram fidẽ diſſerens, inter alia, Romam nunc putemus, inquit, aſſiſtere atq; his uobiſcũ agere ſermonibus, Optimi Principes, patres patriæ, reuereminí annos meos, in quos me pius ritus adduxit: utar ceremoníjs auitis. Neque enim me pœnitet, uiuam meo more, quia libera ſum. Hic cultus in leges meas orbẽ redegit. Hæc ſacra Annibalem à mœnibus, à Capitolio Sennonas repulerũt: Ad hoc ego ſeruata ſum, ut longæua reprehendar? His inquam modis & hac ratione increuit & tandem ſuperauit apud Gentes ſuperſtitio. *Opinio uetuſtatis & exemplum maiorum.*

De initijs & progreſſu idololatriæ, & quod Gentes priſcæ deum coluerint abſq; ſimulachris. Cap. X.

QVoniam uero ſimulachrorũ deorum meminimus, ideo nunc quoq; de initijs idolorum gentilium quædam annotanda uidentur. *Idolum.*

εἴδωλον Idolon Græce, ſpecies eſt Latine, aut ſi mauis ſimulachrum, quod à ſimulando nomen accepit. Nam ſimulachra tum demũ fiebant, cum diſ in animo prius electi eſſent atque formati. Concipiebat enim aliquis Deum ſibi in mente, quem colendum exiſtimabat, & hunc mox imitamento quodam foris exprimebat, uel ſtatua poſita, uel monumento aliquo conſecrato. Cæterum ut idola quidem alia fuerunt fuſa, alia ſculpta, alia ficta picta' ue, ita alia fuerũt deo uero conſecrata, alia diſs & hoibus, alia uero aſtris aut creaturis aliis. In pleriſq; tamẽ deum & uirtutes eius adeoq; id quod ſignificabatur, non ſignum ipſum ſiue idolum, colere uideri uolebãt: quanquam rudes quoq; inter Gentes fuerint, quemadmodũ & hodie reperiunt inter Chriſtianos, qui ipſum idolum uenerabãtur. Et progreſſu quidẽ temporis factũ eſt, ut pleræq; Gentes ipſa etiam ſigna adorarint.

Idolorum inuẽtores. Varia autẽ traduntur apud ſcriptores claſſicos de primis idololatris in mundo. Sunt enim qui principiũ ſimulachrorum referunt ad Prometheum Deucalionis patrem, Iapetiq; filium. Sunt alij qui deducunt ad Herculem. Plinius lib. 34. de Statuis quæ hominibus conſecrabantur differens, nil certi de earum origine tradit. In 4. cap. Effigies hominum, inquit, non ſolebant exprimi niſi aliqua illuſtri cauſſa perpetuitatem merentium. Et mox, Athenienſes neſcio an primi omnium Harmodio et Ariſtogitoni tyrannicidis publice poſuerint ſtatuas. Hoc actum eſt eodem anno, quo & reges Romæ pulſi. Excepta deinde res eſt à toto orbe terrarum, humaniſſima ambitione. Et iam omniũ municipiorum foris ſtatuæ ornamentũ eſſe cœpere, prorogariq; memoria hominum, & honores legi æuo, & baſibus

basibus inscribi, ne in sepulchris tantum legerentur. Mox forũ & in domibus priuatis factum atq; in atrijs. Honos clientum instituit sic colere patronos. Togata effigie antiquitus statuæ dicabantur. Placuere & nudæ tenentes hastam, ab epheborum gymnicis exemplaribus, quas Achilleas uocant. Græca res est nihil uelare: at contra Romana ac militaris thoracas addere. Idẽ lib. 35. cap. 3. De picturæ initijs incerta, ait, nec instituti operis quæstio est, Aegyptij sex millibus annorum apud ipsos inuentam, priusquam in Græciam transiret affirmant, uana prædicatione, ut palàm est. Græci autem alij Sicyone, alij apud Corinthios repertam, omnes umbra hominis, lineis circumducta. Itaq; talem primam fuisse, secundam singulis coloribus & monochromaton dictam, postquam operosior inuenta erat, duratq; talis etiam nunc. In cap. 12. multis agit uariaq; texit idem ille author de inuentoribus plastices. Inter alia sic scribit, Fingere ex argilla similitudines Dibutades Sicyonius figulus primus inuenit, Corinthi filiæ opera, quę capta amore iuuenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit, quibus pater eius impressa argilla, typum fecit, & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit, eumq; seruatum in nymphæo donec Corinthum Mummius euerteret, tradunt. Egregium scilicet principium habuit res uehementer stolida & uecors. Vtcunq; uero hæc habeant & ut maxime incertum sit quis primũ apud Gentes simulachra posuerit, hoc tamen longe certissimum est, quod usus simulachrorum antiquissimus est. Nam ut nullas è sacris coniecturas commemorem, nónne de Rahel Syra manifeste legimus quod Deos patris sui Laban ab-

ſtulerit? At unde Laban idola niſi ex maiorũ traditione accepiſſet? De his enim ſic legis Ioſue 24. cap. Sic dixit dominus deus Izrael, Trans fluuium ſederunt patres ueſtri ab antiquo Thærah pater Abrahã & pater Nahor, ſeruieruntq; diis alienis. Conſtat autem ex libro Geneſeos Laban Bathuelis fuiſſe filium, Bathuelem uero Nahoris, fratris Abrahæ.

Cauſſæ idolorum. Quicunq; uero idola primum inuenerũt inſtituerunt q; uel ad repræſentandum uel colẽdum deos, uiſum eſt his certe hoc mediũ fore congruentiſſimum, quo coniungerent numini. Hoc enim cum crederent eſſe cœleſte, inuiſibile & impalpabile, ipſi uero cultores eſſent terreni, qui rebus capiuntur uiſibilibus, exiſtimarunt idola cõmodiſſima fore media, in quibus ſimul ipſe coleret deus inuiſibilis, & ipſi afficerent commonerẽturq; uiſibiliter. Hoc cõſilio & hac ratione uidentur Deo idola eſſe poſita. Diis has ob cauſſas & hoc modo conſecrata uidentur, Amici & ſubditi, id quod & Plinius, quanq; ſtrictius, annotauit, immodico amicorum & principũ deſiderio languentes, imaginibus ſolatij quiddã quærebant, & illos quodã modo oculis ſuis repræſentabãt. Factũ primo aliqua ex parte excuſabat gratitudo, excuſabat et amoris teneritudo. Quis enim hæc duo ſtatim accuſaret? Quid peccat obſecro qui amici ſeruat monumentum? An uero mala eſt gratitudo quæ benefactoribus exhibetur? At ſubdolus ſathan arma ſuis oppugnationibus idonea oblata eſſe gaudebat. Erat amor et ſtudium iſtud cultorum impurum, gratitudo iniqua. Memores ſanè erãt hominum eorum qui benefecerant, dei interim & beneficiorum eius obliuiſcebãtur. Prædicabant quæ ab hominibus acceperant, quæ à Deo, negligebant. Immortales præterea

terea fingebant quos ipsa natura ipsumq; fatum mortales fuisse ostenderat. Itaque animaduertens diabolus fomiti adhibitam scintillam, mox ingens excitauit incendium, dum efficit ut iam etiam signa coli incíperent, & in signis pro dijs adorarentur, qui nunquam fuerant boni homines. Accessit materia preciosa & ornatus elegans, quæ idolis maiestatem addebant. Accessit ipsa sathanæ uis, quæ per responsa fallacia & miraculorum præstigia ista reddebat ueneranda & tremenda. Accessit & regum tyrannis, quæ perdebat redarguentes, amabat fouebatq; obsequentes. Accessit successorum arrogantia. Sed de ijs satis dictum uidetur in proximo capite. Præterea cum illis persuasum esset Deum esse quicquid uel bona daret uel pelleret noxia, inde corporibus inanimis & belluis consecratæ leguntur statuæ, leguntur & cultæ.

Hic tamen nemo existimauerit idololatriam protinus & apud omnes inoleuisse simul atque signa fieri cœpere. Nam ad tempus tantum habebantur pro memoraculis, non pro instrumentis religionis, tandem uero in ijs cœpit religio collocari. Fuerunt etiã Gentes, quæ deum sine instrumentis huiusmodi coluerũt, imò non defuerunt qui damnarunt & proscripserunt idola. In 8. cap. uidere est quid de illis senserit & Sibylla & Sophocles. Seneca cultum idolorum improbat. Et Seres populus uetustissimus, Eusebio teste, legem promulgarat ne quis idola ueneraretur. Persas, testibus Herodoto & Strabone, cõstat non statuarum modo hostes extitisse, sed omniũ ararũ & omniũ templorũ. Sacrificabant ipsi in loco excelso & mũdo cum imprecationibus. Certe magnus ille Persarũ rex Xerxes Græciæ templa inflammauit, quod nephas

Dij absq; idolis culti priscis.

duceret includere parietibus deos, quibus omnia patere & libera esse deberent, quorumq; hic mūdus omnium templum esset & domus, id quod de ipso retulit Cicero in 2. lib. de Legibus. De Germanis maioribus nostris scribit Corn. Tacitus in libro de Moribus Germanorum hæc uerba, Cæterum nec cohibere parietibus deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium, arbitrātur: lucos et nemora consecrant, deorumq; nominibus appellant secretum illud, quod sola reuerentia uident. Iam & Lucianus de Syria dea, Primi, inquit, hominū, quos nos scimus, Aegyptij, dicuntur & deorum notitiam percepisse & templa constituisse. Deinde uero non multo tempore post ab Aegyptijs Assyrij doctrinam de Dijs acceperunt. Antiquitus autē etiam apud Aegyptios absq; simulachris & statuis templa erant. Lactantius addit, illis ne templa quidem ulla fuisse. De Romanis testatur Plinius in 34. libro quod omnia deorum simulachra in Delubris dicata ante Asiam deuictam uel lignea fuerint uel fictilia, ex Asia uero illatā esse in templa luxuriam. Idem, Romæ, inquit, simulachrum ex ære factū Cereri primū reperio ex peculio Sp. Cassij, quem regnum affectantem, pater ipsius interemerat. Transijt & à Dijs ad hominum statuas atq; imagines multis modis. Antiqui pingebant eas bitumine, quo magis mirum est placuisse auro integere. Hoc nescio an Romanum fuit inuentum, certe etiam Romæ non habet uetustatem. His tamen significantius et planius scribens Plutarchus in Vita Numæ Pompilij, Quę de Deorum immortalium simulachris, inquit, etiam Numa statuit, quàm similima sunt prorsus Pythagoræ documentis. Nam primum principium ille neq; sensui neq;

neq; perturbationi subiectum, sed mẽtem inuisibilem & increatam esse censuit. Hic autem Romanos prohibuit existimare imaginẽ dei, aut hominis speciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos neq; picta neq; ficta dei prius species, sed in prioribus centum et septuaginta annis templa quidem ædificabãt, sacraq; tuguria erigebant, simulachrum uero nullum corporeum faciebãt: perinde atq; nephas esset deterioribus meliora assimilare, neq; aliter quàm intelligentia percipi possit deus. Qua sententia quid obsecro cõgruentius religioni nostræ dici poterat? Adduxit & approbauit hoc Numæ ac Romanorum factum & Augustinus noster, qui lib. de Ciuit. dei 4. cap. 31. sic scribit, Dicit Varro antiquos Romanos plus q; annos centum et septuaginta Deos sine simulachro coluisse. QVOD SI ADHVC, inquit, MANSISSET, CASTIVS DII OBSERVARENTVR. Cuius sententiæ suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Iudæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, QVI PRIMI SIMVLACHRA DEORVM POPVLIS POSVERVNT, EOS CIVITATIBVS SVIS ET METVM DEMPSISSE ET ERROREM ADDIDISSE: prudenter existimans deos facile posse in simulachrorum soliditate contemni. Quod uero non ait Errorẽ tradiderunt, sed addiderũt, iam utiq; fuisse etiam sine simulachris intelligi uult errorem. Hęc uerbotim ita leguntur apud Augustinum.

Et quamuis illa sic habuerint apud priscos, superauit tamen cum tempore libido & error, uicit nequitia & astutia sathanæ, ita ut tandem totus orbis oppleretẽ & idolis & idololatria. Memoracula primo fuerũt idola, testimonia gratitudinis, sed & incitamẽta uirtutis,

uerum ſuccedentibus ſibi ſæculis ad religionem tranſlata & recepta eſſe traduntur. Acceſſerunt aræ, ſacrificia, delubra, & luxurioſus deorum cultus, quo uetus ille & ſimplex, quem in cap. 8. integritate conſtare diximus, corruptus atq; pulſus eſt. Et ut prima quidem inter Gentes idola togata fuere honeſtaq;, ut eſt apud Plinium, demum uero non nuda tantum ſed etiam obſcœniſſima inducta ſunt, ſic ſacra quoq; inuenerũt poſteri impura, prophana ac nephanda: itaq; nõ religio, non ſuperſtitio, non error, ſed nequitia, ſpurca fœditas & execranda impietas tandem ſuperauit & triumphauit uictore ſathana in mundo.

Et quæ nos hactenus copioſius proſequuti ſumus, ea diuinus Chriſti Gentiumq; Apoſtolus Paulus breui compendio ſic conſtrinxit, Cum Gentes deum cognouerunt, tamen non glorificauerunt ſicut deum, neq; grati fuerunt, ſed fruſtrati ſunt per cogitationes ſuas, & obtenebratum eſt inſciens cor eorum. Cum ſe crederent eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, mutauerũtq; gloriam immortalis dei in ſimilitudine imaginis, non ſolum hominis mortalis, uerumetiã uolatilium & quadrupedum & reptiliũ. Quapropter tradidit illos deus in cupiditates cordium ſuorum, in immunditiam, ut ignominia afficiant corpora ſua inter ſeſe mutuo, qui commutarunt ueritatem eius mendatio, & uenerati ſunt coluerunt; ea quæ condita ſunt, ſupra eum qui condidit, qui eſt laudandus in ſæcula, Amen. His Apoſtoli uerbis iungã quæ in libro Sapientiæ in cap. 14. in hæc uerba leguntur, Initiũ fornicationis eſt exquiſitio idolorũ, ET ADINVENTIO ILLORVM CORRVPTIO VITAE EST. Non enim erant ab initio neq; erunt ſemper. Superuacuitas enim homi-

Rom. 1.

num

num hæc adinuenit in orbe terrarum, & ideo breuis illorum finis est inuentus. Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquã deum colere cœpit: & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente antiqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est & tyrannorum imperio colebãtur figmenta. Prouexit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant, artificis eximij diligentia. Ille enĩ uolens plus placere illi qui se assumpsit, elaborauit arte sua, ut similitudinẽ optime & quàm appositissime figuraret. Multitudo autem hominũ adducta per speciem operis, eũ qui ante tempus tanquã homo honoratus fuerat, nũc deum æstimauit. Et hæc fuit uitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt. Et nõ suffecerat errasse eos circa dei scientiam, sed & in magno uiuẽtes insciti bello, tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia faciẽtes, aut insaniæ plenas uigilias habentes, neq; uitã neq; nuptias mundas iam custodiunt, sed et alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat, & oĩa commixta sunt. Infandorum enim idolorum cultura OMNIS MALI CAVSSA EST, & initium & finis. Hæc autẽ hactenus de origine erroris Gentium circa Deos idolorũq; cultum ea qua potuimus fide disputauimus.

De origine erroris circa superstitionem et idololatriam Iudaicam. Cap. XI.

POst initia & progressum erroris gentilitij, secundo loco agemus causam superstitionis & idololatriæ Iudaicæ, demonstrãtes quem originem, quas causas, & quẽ habuerit progressum. Et dubio procul à Gentibus superstitionum idololatriæq; modos acceperunt Iudæi. Iudæos appellamus in præsenti circumcisum illum populũ qui in toto orbe celebris ante Christi aduentum claruit, & è lumbis Abrahæ patriarchæ sui generisq; authore descendit. Hic populus gratuita dei electione uocatus in ministerium dei, & ut omnibus populis in orbe pponeretur exemplum, priusquam descendisset in Aegyptum, nõ legitur Deum uel simulachro posito, uel Deos plures aut alienos, uel ritu peregrino & nõ iusto coluisse. Abstulerant quidem Iacobi uxores Syræ, serui & ancillę, Mesopotamia excedẽtes, Deos, hoc est deorum idola. Dixit enim Iacob ad domum suam & ad omnes qui secum erant, Amouete deos alienos, qui sunt in medio uestri, & mundamini. Ascendemus enim in Bethel, et ibi extruam altare deo. Cæterum mox additur, Dederunt Iacob omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quas ab auribus suspenderant, & sepeliuit illa Iacob subter querc ũ, quæ stabat iuxta Sichẽ. Id quod historiæ mandauit Moses Gene. cap. 35. Igitur Abraham, Isaac & Iacob & semen eorum, uerum deum uere & iuste coluerunt absq; idolis & ritibus peregrinis, donec in Aegypto commacularentur consortio cohabitantium. Nam Ezechielis 20. dicit dominus, Rebelles fuerunt contra me, & non uoluerunt audire me, cum singuli non abiecerint abominationes oculorum suorum,

Aegyptus officina idololatriæ.

ſuorum, neq; idola Aegyptiorũ reliquerint. Et ſtatui effundere indignationẽ meam ſuper eos, & conſummare iram meam in eis in medio terræ Aegypti: ſed feci propter nomen meum, ne ꝓphanaretur corã Gentibus, &c. Proinde in Aegypto primum cœpit populi Izraelitici ſuperſtitio & idololatria, quæ demum in deſerto palàm ab eis legitur exercita.

Poſtquam enim ex Aegypto duce Moſe in deſertum migraſſent, ibiq; legem, id eſt uiuendi normã formamq; cultus diuini accepiſſent, inſculptã digito dei in tabulas ſaxeas, prolatamq; ore dei in concione totius populi, poſt pauculos dies rebelles facti, Deũ ſuo more, & ut ipſis uidebatur commodum ac pulchrum, colere inſtituunt, ubi ſeſe Aegyptiaca illa diſciplina qua per conſortium diuturnum imbuti fuerãt exerit. Deo enim ſuo uero, uiuo & æterno qui ex Aegypto eduxerat, ſimulachrum ſiue ſtatuam ponunt auream uituli ſpeciem repræſentantem ac deum ſignificantẽ. Nemo enĩ exiſtimare debet, quod eò uenerint demen tiæ, quod uitulum adorauerint. Viderant autẽ in Aegypto ſimulachrum Apis, id eſt Tauri, ad honorẽ dei coli, transferunt ergo id in ſuam quoq; religionem, & deum uerum in illa ſpecie inſtituũt colere. Putant uero alij ab Aegyptijs cultum fuiſſe ſydus Tauri, quod Aegyptus Tauro ſubiecta uideatur. Pomponius Mela, Apis, inquit, populorum omnium in Aegypto, numen eſt, bos niger, certis maculis inſignis, & cauda linguaq; diſſimilis aliorum. Raro naſcitur, nec coitu pecoris, ut aiunt, ſed diuinitus & cœleſti igne conceptus, dieſq; quo gignitur genti maxime feſtus eſt. Paria propè his et Herodotus tradit in hiſtoria. Meminit bouis huius & Plinius in 8. cap. 46. & Solinus in cap.

Colitur deus ſub ſpecie Vituli.

45. Siue uero Deũ coluerint ipsum sub bouis specie, siue astrum, siue in astri signo deum ipsum, siue denique bouẽ Apim ipsum, siue in hoc illud quiddã, satis constat populum Izraeliticũ ad Aegyptiorũ exemplum & imitationem, Deo suo qui ipsos ex Aegypto duxerat, tauri siue uituli simulachrum statuam ue posuisse consecrasseq;. Propheta enim Psalm. 106. manifeste canit, Fecerunt quoque uitulum in Horeb & adorauerunt sculptile, & mutauerũt decus suum siue gloriam suam similitudine bouis comedentis herbam. Gloria & decus Izraelis deus erat, hanc uero gloriam suam mutarunt adeoq; & corruperunt ignominiaq; polluerunt ea re quod existimarunt Deum immortalem & æternum, maiestatem illam incomprehensibilem, uitulo similem esse, qui re uilissima pascitur, fœno, cum ille potius nutriat & conseruet uniuersa. Ergo deum uituli specie imaginarunt. Quod & ex illo apparet, quod ad Aaronẽ dixit populus, Surge fac nobis deos qui eant ante faciem nostram. Nam Mosi uiro illi qui nos duxit è terra Aegypti quid acciderit ignoramus. Hactenus itineris dux fuerat Moses, præcesserat dominus in columna ignis & nubis: ergo cum nũc abesset Moses per aliquot dies, dei detẽtus colloquio, isti nunquam rediturum arbitrantes, colligunt & dominum in specie columnæ ignis aut nubis amplius nõ præcessurum, proinde suo consilio suaq; ratione sarcire uolunt, quod hactenus uidebatur deesse, inuisibilis dei signum uisibile, iccirco dicunt, Fac nobis deos qui nos præcedant. Deos autẽ per synekdochen dixerunt pro eo quod est, Fac nobis signum deorũ. Et more suo Elohim deos, numero pluratiuo, appellarunt, quem prophetæ & apostoli in trinitate unũ agnouerũt. Et Aaron

ron postea non plura fundit idola sed unũ modo. Præterea ipse populus statuę acclamabat, Isti sunt Dij tui, ô Izrael, qui te eduxerunt è terra Aegypti. Equidem nemo tam uecors erat, ut existimaret ui & beneficio illius uituli nuper fusi, è tyrannide liberatum se nunc libertate frui: proinde quemadmodũ fieri solet ut quod rei significatæ competit, id tribuamus signo, ita hic quoq; uerba ad idolum quidem diriguntur, sed mens acclamantium eum respicit, cui signum erat positum. Igitur & Aaron, Festum, inquit, domini cras est: non ait Festum uituli aut bouis aut Apis cras est, sed Festũ domini est, aperte significans illa externa omnia fieri non in gratiam uisibilium rerum, sed in gloriam dei inuisibilis & cultum. Atqui dominus illam intentionem bonam non ita æstimauit, neque placide hoc officij ab eis recepit, sed ad Mosen dixit, Vade, descende, Corrupit populus tuus, nimirum fœdus: recesserunt cito de uia (apostatæ uidelicet facti) quam præcepi eis. Fecerunt enim sibi uitulum conflatilem & adorauerunt ipsum. Et quæ sequuntur. En corruptionem & apostasiam uocat istud deuotum populi sui factum dominus qui mentiri nescit. Et Mosis ira ob hoc facinus ita exæstuauit ut preciosas fœderis tabulas in terram impactas collíserit. E grege item idololatrarum eo die ceciderunt domini gladio hominũ tria millia. Aaron quoq; religionis antistes à Mose cogitur audire, Quid fecit tibi populus ille, quod induxisti super eum tam grande peccatum? Tam infeliciter cecidit scilicet illud in populo dei infame principium idololatriæ.

Defectio populi Izraelitici sub iudicibus.

Exemplum maiorum suorum imitati sunt posteri homines duræ ceruicis & ad uanitatẽ pcliues. Quanquam enim ex infelici maiorum exemplo, ex diuinis

legibus, & prophetarum obtestationibus intelligerẽt quantopere idololatriã & cultum peregrinũ dei deus abominaretur, attamen non temperabãt sibi omnino à simulachris, sed illa sibi uel ex Aegypto uel ex incendio & depopulatione urbium Moabiticarũ & Chananaicarum reseruarunt. Vnde Iosue ante mortẽ suam populo in concionem uocato suadet ut sublatis semel omnibus Gentium Amorrhæorumq; dijs (qui in medio uestri sunt, ait,) soli deo seruiant. Augustinus existimat illos ante Iudicum tempora nulla uel habuisse uel coluisse idola. Certe Mose & Iosue uiuentibus, ducibus inquam populi pijssimis, fortissimis seueriss imisq;, per annos LX. & amplius nemo ausus fuit uel hiscere tantillum quod oleret superstitionem. Vbi uero succederent alij atq; alij iudices populi, erupit tandem impietas. Nam & deum ipsum idolis coluerunt & Gentium deos ac idola receperunt. Sic enim legimus Iudicum 2. cap. Et seruiuit populus domino cunctis diebus Iosue & cunctis diebus seniorum, qui prolongauerunt dies post Iosue qui uiderant uniuersum opus domini magnũ quod pro Izraele fecerat. Et mortuus est Iosue filius Nun, sed & cuncta illa generatio collecta est ad patres suos, surrexitq; generatio alia post illos quæ non cognouit dominum & opus quod fecerat pro Izrael. Fecerunt ergo filij Izrael malum in oculis domini, seruieruntq; Bealim. Et deserentes dominum deum patrum suorũ, qui eduxit eos de terra Aegypti, abierunt post deos alienos, post deos populorum, qui erant per circuitum eorum, & adorauerũt eos, concitaueruntq; dominum ad iram. Dereliquerunt dominum & coluerunt Baal atq; Astaroth. Principio, Fecerunt malum, inquit, in oculis domini & seruierunt

tierũt Bealím, id eſt idolis, uel Deo uero, uel díjs alienis initiatis. Dicitur enim Baal commune uocabulum fuiſſe Hebræis, Syris, Pœnis, & Phœnicibus, & ſignificare nobis idẽ quod dominus maritus ſiue magiſter. Nã & Auguſtinus lib. Quæſt. 7. cap. 16. Baal, inquit, Punici uidentur dicere dominum. Vnde Baal ſamen quaſi dominũ cœli intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos cœli appellantur. Illius plurale eſt Baalím, ſiue ut hic ponitur Bealím: id quod tale omnino uidetur, quale apud nos Heluetios eſt quod Deum nuncupamus Gott, imitamenta autem dei, id eſt idola plura tiue Götzen: itaq; Baal deus erit, Baalím autem imagines dei. Et ueriſimile eſt ueteres Chananæos & Phœnices uerum Deum hoc uocabulo deſignaſſe nuncupaſſeq;, quod poſteri religionis priſcæ ignari, deinde tribuerunt & alijs quos crediderunt Deos eſſe, atque per ſynekdochen aut metonymiam etiã idolis. Oſtendimus enim 8. cap. antiquiſſimas Gentes deum uerũ coluiſſe uarijsq; appellaſſe nominibus. Videri poterat & illud, uocabula Baal & Baalím díjs deorumq; ſignis ideo fuiſſe impoſita, quod ipſi Baal uel Bel, aut ſi mauis Latine Belo, traditur prima apud Aſſyrios tanquam Deo ſtatua poſita: unde poſtmodũ ueluti à principio, díj deæq; omnes eorumq; ſigna omnia appellari cœperint Baal & Baalím. Vt ut autẽ id habeat, dícuntur in præſentiarum Iudæi ſeruijſſe Baalím, nimirum idolis deorum, quæ uel ipſi ex ſuis capitibus Deo uero affinxerant, uel quæ Gentes olim Deo uero conſecrarant. Deinde aliam ſuperſtitionis ſpeciem ponens, Et deſerentes dominum deum patrum ſuorũ, ait, qui eduxit eos de terra Aegypti, abierunt poſt deos alienos, poſt deos inquam populorum, qui erant per cir-

Baal & Bealim.

cuitũ eorum, & adorauerunt eos. Non cõtenti erant, inquit, Deum uerum non coluisse rite modoq; prescripto absq; idolis & secundum legem eius, nisi etiam recepissent ritum colendi deorum gentilem, turbamq; illam deorum quam uicinia tanquã deos uenerabatur. Hoc uitium imò flagitium eorum accusans propheta in Odis canit, Non deleuerunt populos, sicut eis dixerat dominus. Et commixti sunt inter Gentes didicerunt q; opera eorum. Et coluerunt idola eorum, quæ fuerunt eis in offendiculũ. Psal. 106. Postremo in genere subdit, Dereliquerunt dominum, & coluerunt Baal atq; Astaroth: per quas species haud dubie totũ examẽ deorum Gentilium, omnẽq; Gentium in peruersa religione abominationem complexus notauit. Putauit autẽ Lucianus in Syria dea Astarten priscis fuisse Lunam. Augustinus Iunonẽ credidit. Ex historia Regum constat Astarten deam extitisse Sidoniorum. Fortè nomen habet à robore & forma, quasi quis dicat fortis formatio: ut intelligamus uetustatẽ deum ipsum uocasse Astoreth quod fortis ac potens, ad effectum possit producere, quæ sapiẽtia sua formauit concœpitq; ideo enim & in fœmineo genere & numero pluratiuo poni uidetur, quod ad uim et potentiam dei referatur. Et quod in alijs Dei nominibus factum legimus, id sanè & huic usuuenisse non uero dissimile uidetur, quod posteritas id nominis alijs quoq; Dijs suis communicauerit.

Deus uerus idolo consecrato cultus.

Quod si cui adhuc nouũ est quod iam sæpe monui Iudaicam gentem & priscam quidem illam, Deum uerum coluisse simulachro posito, si hoc à nobis confictũ & non è scripturis petitum uidetur, excutiat diligentius locos quos citauimus, expendat item memorabilem

lem illam quæ de Micha in libro Iudicum cap. 17. texi tur hiſtoriam. Subtraxerat furto is Micha matri ſuæ ſi clos argenti mille & centum, mater autem neſciens fi lium furto ſubduxiſſe pecuniã, diris furem deuouet: filius hoc audiens, cum alioqui non irreligioſus eſſet, numen metuit nolensq; maledictionem in ſe hærere, furtum ingenue prodit. Mater re intellecta gaudet & furtum illud non diis alienis ſed deo uero cõſecrat per filium. Sic enim habet hiſtoria ſacra, Et cum reſtituiſ ſet mille & centum illos argẽteos matri ſuæ, ait mater eius, Conſecraui pecuniã illam domino de manu mea tibi filio meo, ut facias ſculptile & conflatile, nunc igi tur reſtituã eam tibi. Et cum ille denuo reſtituiſſet pe cuniam matri ſuæ, accepit mater eius ducentos argen teos, & dedit eos conflatori, qui fecit ex eis ſculptile et conflatile. Quid apertius quàm quod mulier uult pe cuniã conſecrari ליהוה ipſi Deo Iehouah, nec in aliũ finẽ quàm ut ex ipſa fiat ſculptile, hoc eſt ſimulachrũ dei? Id poſtquam eſſet paratum, mox ad cultum collo catin priuatas ædes, in his ſacello ſiue lararío extru cto. Videbat nimirum uir religioſus ceſſare cultũ dei in Silo, ergo cogitabat & ſibi & domui ſuæ conſulere, ideo cum nactus eſſet dei ſigna exiſtimauit ſibi proti nus ædiculam ſiue oratorium fore extruendum. Ex truit, extructo imaginem dei imponit, nimirum & ara collocata. Nam ſequitur quod omnia adornarit ſacri cultus inſtrumẽta. Per Ephod enim ac Teraphim in telligit hiſtoricus omnem apparatum eccleſiaſticum. Nam & ſacerdotem Bethlehemitã ordinat, qui ſacris præſit & ſacra exerceat. Claret autem ex illa hiſtoria, principio, quod populus Iudaicus Deum conſecrato coluerit ſimulachro. Nam ueriſimile eſt uulgo rece

ptum fuisse & usurpatũ quod de Micha & matre eius scribitur. Deinde quod furta & rapinæ ab initio materiam fomentaq; præbuerunt superstitionibus. Postremo quod idola post se trahant delubra, sacella, aras, pepla, uela, faces, sacra & sacrificia, quæ omia improbantur à domino quamuis in honorẽ & gratiam dei fiant. Nam quamuis Michæ mater hæc pulchre, diligenter bonaq; intentione ipsi etiam domino deo instituisset, peccat tamen contra dominum. Sequitur enim in historia, In diebus illis non fuit rex in Izrael, sed quisq; quod rectũ erat in oculis suis faciebat. At in lege præceptum legimus à Domino, Non faciet quisque quod rectum est in oculis suis, Deut. 12. In eodem capite certus præscribitur locus in quo se coli iubet dominus. Ideo enim & tabernaculum constitutum & ara collocata sacrificijs unica, & postmodum à Solomone templum legitur extructum. Eodem capite præscribitur etiam certus modus certaq; forma diuini cultus, à qua si quid uariasset populus, id quidem à diuinis prophetis pro fornicatione & preuaricatione habebatur, imò obiurgantes clamabãt, Dereliquistis dominum, & seruijstis dijs alienis. Id quod prophetarum sermones legentibus ubiq; occurrit. Illa uero disputauimus hactenus de origine erroris circa superstitionem & idololatriam Iudæorum, & quæ huius fuerint causſæ & firmamenta.

De progressu idololatriæ Iudaicæ. Cap. XII.

PRogressus initio haud multũ fuit absimilis, causſas modo turpiores habuit. Tẽporibus quidem Samuelis & Dauidis adde & Solomonis

monis floruit, ut magis nunquam, uera religio in Israele, sub finẽ regni Solomonici suppullulauit superstitio iterum. Cum enim Solomon diligeret mulieres alienigenas, Aegyptias, Moabitidas, Idumæas, Zidonias & Ammoniticas, quas à suorum cõiugio consortioq; lege lata, remouerat dominus, inclinauerũt cor regis, ut excelsa, id est templa arasq; in æditioribus locis constructa, ac phana dijs peregrinis in uxorũ gratiam extruere iuberet. Quam ob rem profecto fœdam & abominabilem non abs re iratus dominus, regnum amplissimum aliâs potentissimum opulentissimumq; scidit. Nam sola tribus Iuda & portio quædam circa templum Beniamitarum, domum sequuta est Dauidis, reliquæ tribus omnes crearũt sibi regem impium Iarobeam. Hic cum metueret ne Leuitarum doctrina iterum coalesceret regnũ, & Dauidis domus restitueretur in integrum se abdicato aut occiso per tumultũ, si uidelicet pro more antiquo populus legem auditurus ad templum ascẽderet Hierosolymitanum, metu, auaritia, & ambitione cæcatus, ut plebem à templo & doctrina legis auerteret, nouum ritum colendi & nouam religionem contra præcepta dei molitur sacrilegus nebulo. Facit ergo duos uitulos aureos, nimirum æterni & ueri dei signa, & ait ad populum, Satis ascendistis hactenus in Hierusalẽ. Quorsum enim opus est tantis laboribus, tantis defatigatiõibus, denicq; & sumptibus inæstimabilibus, miseram conficere plebẽ propter religionem, cum compendio & minoribus cum laboribus tum sumptibus Deo liceat seruire & hunc religione iusta colere? Didicerat impostor, præceptore sathana, religionem & utilitatem publicam prætexere suis affectibus, ac sub specie religionis formandę

Impietas Iarobeam primi regis Israelitici.

ſuum agere negotium. Profert ergo nunc dei ſimulachra & tanquam è tripode pronuncians clamat, Ecce dij tui Izrael, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Id quod perinde intelligendum eſt atq; illa populi acclamatio, cuius memini in capite præcedēte. Nolebat uideri rex impoſtor aliquid inſtituiſſe nouū aut inuſitatum, aut nouitiū ſuis deum propoſuiſſe colendū. Totidem ergo uerbis & eadē utiť acclamatione, qua olim in deſerto maiores Izraelitarum nequā uſi leguntur, haud dubie ut antiquo patrum exemplo impietatē reſtauratam faceret commendatiorē. Cum his non pugnant quæ in hæc uerba leguntur 3. lib. Reg. cap. 14. Tu malū egiſti ſuper oēs eos qui fuerunt ante te. Nam pergens feciſti tibi deos alienos & conflatiles, ut irrita res me, & proieciſti me poſt tergū tuū. Siquidē Auguſtinus lib. Quæſt. ſuper Ioſue 6. cap. 29. Quiſquis, inquit, talem cogitat deum qualis non eſt deus, alienum deum utiq; & falſum in cogitatione portat. Ipſa quoq; pietas uera dictat de deo aliter non eſſe cogitandū, q; ipſe de ſeſe in ſuo uerbo cogitari uoluit. Et Socrates, teſte eodē Auguſt. lib. de Conſonantia euangeliſtarū 1. cap. 18. dicere ſolitus erat, Vnūquenq; deum ſic coli oportere quomodo ſe ipſum colendū eſſe præcepiſſet. Id cum non obſeruaret Iarobeam, recte dicitur deos ſibi feciſſe alienos, quanquā deum uerum colere uideri uolebat. Nam negotiū populo ita proponere uidetur, ut dicat ſe de loco & modo colendi commodiorem tradere rationē, non deum nouum aut religionē alienā. Et populi ingratitudo erga deū & pphetas eius amentia, & ueritatis faſtidium, denicq; uita impœnitens, iuſto dei iudicio huiuſmodi nebulis uerborum & uafris impoſturis puniri merebatur. Ergo proſperatur, peſſimum

mum consilium in manu regis perditissimi, institutitq; duo templa cathedralia in locis sanè celebribus, nēpe in Bethel, quod sonat domū dei, et in Dan ubi aliquando fuerat insigne illud Michæ idolū ac sacerdotiū. His magnifica & preciosa idola & aras instructissimas imponit. Præterea minuit Feriarū numerum, & pro tribus unum instituit festū, nimirū ne uideretur uspiam miseram onerare plebeculam. Cōmode item ac plausibiliter istud ad finē anni, cum iam omnes fructus collecti essent, ordinauit. Sic enī opera rustica populariūq; negotia minus interrumpebantur. Sed & sacerdotes non ex una tribu, quemadmodū dominus fecerat fieriq; præceperat, sed ex oībus tribubus, imò è fece plebis delegit, ne nō similes haberēt labra lactucas. Hæc plausibilia & popularia erant & uidebantē omnia fieri & in dei gloriam & reipub. utilitatē. Ideo uero & animis promptissimis, nec sine eximia laude regis, suscepta est impia superstitio à stolido populo, qui tum demum sibijpsi per oīa ereptus nephandam idololatriā ad astra extulit, cum rex non minus temerarius quàm sacrilegus, primus prodiret ad arā, & noua sacra ipsus auspicaretur: hoc ipso facto suo comprobans laudē & præmium expectandū à domino ob institutā hanc religionem, & fulmen nequaquam esse metuendū, quod prophetæ quidā nescio quid acerbi effundentes, minabātur. Ad hūc uero modū & has ob causas, regeq; Iarobeā authore, extructa sunt in Izraele templa, aræ, & idola dei, sic institutæ sunt feriæ, inuenta sunt sacra, sacerdotes & sacrificia impia.

Durauit hic error & hęc superstitio impia in Izraelitico regno ad excidium usque & ad captiuitatem Assyriacam annos ni fallor 258. Auxerunt impietatem

Aucta est Iarobeam impietas nouis accessionibus

regis Iarobeam sequentes principes qui nulla electione iusta uenerant ad imperium, sed ipsi sese malis artibus, latrociniis, seditionibus ac parricidiis extulerãt. Inter hos primæ nobilitatis fuisse traditur Achab, de quo in Sacra historia sic legimus, Et fecit Achab filius Amri malũ in oculis domini super omnes eos qui ante eum fuerant. Nam perexiguum & leue illi uidebatur ambulare in peccatis Iarobeã filij Nebat, nisi etiã duxisset uxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Zidoniorum, igitur abijt & coluit Baal, atq; adorauit eum. Erexit quoq; aram ipsi Baal in templo Baal, quod ædificarat in Samaria. Plantauit præterea lucos, & adiecit Achab ut ea faceret quibus Deũ Izraelis irritaret. Hactenus quidẽ coluerat populus deum Izraelis, sed non eo modo quo dominus se coli uoluerat. Erexerãt statuas, posuerant plures aras, et templa extruxerant, offerebantq; illegittima sacrificia. Nũc additur Deus alienus & ritus colendi Zidonius & gentilis, & huius nephandæ impietatis author est sacrilegus ille & prophetarum omniumq; bonorũ uirorum parricida Achab. Contemptorẽ illum dei et omnis impietatis principium regem nebulonem sequuti sunt plericq; Izraelis reges, adijcientes et ipsi ex gentilium obseruationibus nephanda quædam, ne non absoluta esset falsa impia & abominanda religio: breui ergo sic creuit superstitionis, nequitiæ et idololatriæ impietas, ut dominus cogeretur gentem nephandam & pœnitere nesciam excindere. Vnde iterum testatur historia sacra & ait, Factũ est ut peccarent filij Izrael domino deo suo, qui eduxerat eos de terra Aegypti, & timerent deos alienos, & ambularent in ceremonijs gentiũ. Et misit dominus prophetas qui dicerent, Reuertimini à uijs uestris

ſtris malis, & cuſtodite præcepta mea & ceremonias meas, ſicut præcepi patribus ueſtris. Sed nõ audierũt, imò magis indurarunt ceruicem, & abierunt poſt uanitatẽ, factiq; ſunt uani & Gentibus ſimiles, quæ erãt per circumitum eorum, de quibus præceperat dominus ne ita facerent ſicut illæ. Nam dereliquerunt omnia præcepta dei ſui, feceruntq; ſibi conflatile, nempe duos uitulos, fecerũt & lucum & adorauerunt omnẽ militiam cœli & ipſum Baal coluerũt: traduxeruntq; filios ſuos & filias per ignem, & uſi ſunt diuinationibus & augurijs, uendentes ſeipſos ut facerent malum in oculis domini, & irritarent eum. Et concitatus dominus ualde contra Izrael, amouit eos à facie ſua, & non remanſit niſi ſola tribus Iuda.

Quid quod uicinam Iudæ tribũ ceu contagio quo dam peſtifero Izraelitarum corruptio infecit, ut tandẽ & ipſa poſt annos fermè 133. per magnum illum orbis monarcham Nabuchodonoſorem, unà cum urbe ſancta & templo famoſiſſimo ferro & igne excinderetur? Nam prophani reges in primis autem Achaz & Manaſſes in ipſum domini templum idola & aras & peregrinum dei cultum impijſſime importarant, præterea extruxerãt in locis amœnioribus, in collibus, ſyluis, itineribus, pratis & uallibus ſacella & delubra Deorũ, neque erat ullus uel finis uel modus idololatriæ. Ieremias enim in cap. 3. clamat, Dominus dixit ad me in diebus Ioſiæ regis, Nunquid uidiſti quid fecerit illa rebellis Izrael? Abijt enim in omnem montẽ excelſum, et ſub omnem arborem frondoſam, et fornicata eſt ibi. Et dixi poſtquam fecerat hæc omnia, Reuertetur ad me, ſed nõ eſt reuerſa. Vidit q; perfida ſoror eius Iuda. Et cum uidiſſem quod nollet reuerti, atq; ideo dimiſiſ *Idololatria tria tribus Iuda.*

sem eam dedissemq; ei libellum repudij, non expauit perfida soror eius Iuda, sed abiens fornicata est et ipsa, & polluta est terra fornicatione. Nec in omnibus istis rediit ad me Iuda in toto corde suo, sed in mendatio, dicit dominus. Quoties enī sancti principes ædictis sanctis idololatriam proscriberent & religionem ueram reducere satagerent, id quod ab Ezechia & Iosia feruenti studio præ cæteris factum constat, toties inuenti sunt in plebe et aula rebelles, qui idololatriam mallent & ueram religionem odirent cane peius & angue. Isti in ædibus suis priuatis clanculo instrumenta impietatis retinebant. Colebant sanè & ipsi deum, sed simul etiam deos, imò hos pluris faciebant quàm ipsum dominum. Hinc Sophonias Iosiæ temporibus prædicās dei nomine clamabat, Extendam manū meam super Iudam & super cunctos habitatores Hierusalem, et eliminabo de loco hoc reliquias Baal, nomen Kemorim unà cum sacerdotibus, & eos qui adorant in tectis militiam cœli, & eos qui adorant & iurant per Dominū & per Malkom, eos quoq; qui retroacti sunt à domino, & qui non quæsierūt dominum neq; inuestigauerunt eum. Audimus post reformationem factam plurimum adhuc superstitionis impiæ ac idololatriæ superfuisse in populo Iuda, in primis reliquias Baal, Kemorim item, & quod simul iurabant & in nomine dei & Malkom. Tametsi enim plerique deum colebant, paucissimi tamen unum ac solū colebant, simul enim & Baal uenerabantur. Et Kemorim nouum fuit genus religiosorum. Nomen deriuatum uidetur ab ardore. At ardorem alij referunt ad mentē, quasi fuerint seraphici quidam monachi, ob studia pietatis pectoraq; amore rerū cœlestium & diuinarum æstuantia sic appellati. Alij

referunt

referũt ad colorem ueſtium, ut fuerint atri quidam & cinericia ueſte tecti monachi. Videri poterant lararíorum fuiſſe cuſtodes, fratres Lolharti, uel ædituí aut ſacellani qui lucernarum geſſere curam: certe qualeſcunq; fuerint, ſuperſtitionis miniſtros extitiſſe certiſſimum eſt. Porrò Malkom regem ſignificat. Propheta uſurpauit pro diuo aliquo ſiue patrono deoq; tutelari, quem uel hodie noſtra lingua appellare ſolemus Himmelfürſten. Eadem uoce in eadem ſignificatione uſus eſt & Iſaías in 8. & Amoz in 5. cap. Ergo tribus Iuda dominum deum coluit ſanè, ſed non ſyncerìter & pure, cũ deos quoq; tutelares uenararetur. Poſt Ioſiæ tempora ſub regibus Ioachaz, Iehoiachím, Iehoiakin, & Zedechía ſubinde in deterius prolapſæ, ut colligere licet ex ſermonibus Ieremiæ, tandem & dilapſæ ſunt. Nam ipſa regni metropolis Hieruſalem unà cum templo & regia hoſtili igne conflagrauit, populus ipſe fame & gladio interíit, & reliquiæ abductæ ſunt in Babylonem. Hoc autem condignum moribus ſuis ſuperſtitioní & idololatríæ retulere præmium.

Poſt captiuitatem Babylonícam & reparatam urbem uidẽtur Deum coluiſſe purius, niſi quod ſub Antiochí temporibus quidam turpiter deficerent ad Gentes: id quod in præſenti latius perſequi nolo. Sufficiũt enim iſta opinor noſtro inſtituto, & erroris originem idololatríæq; Iudaícæ initium & progreſſum compendio cognoſcere uolenti.

De origine erroris circa Diuos Chriſtianorum & quomodo increuerit ſuperſtitio. Cap. XIII.

REſtat nunc ut dícamus de príncipíjs errorũ circa ſuperſtitionem Chriſtianorum. Nõ dícam hic de omnibus ſuperſtitionibus illorũ,

sed de diuorũ & imaginum cultu duntaxat. Nec ignoro esse qui mirentur sermonis nostri nouitatem & pugnantiam. Nam Christianum esse pugnat cum omnibus superstitionibus. Qui enim Christo per fidem insitus est, solum deum in Christo inuocat, solum pietate colit. Id uero si factum esset proximis sæculis, nemo de Christianorum superstitione scriberet: nũc uero cum plerique superioris sæculi homines aditum sibi ad deum per diuos parauerint, & horum signa coluerint plus quàm gentiliter, condonabitur mihi à lectoribus paulò æquioribus loquutionis nouitas & quod de origine erroris circa diuos Christianorum & quomodo increuerit superstitio, scribere ausim.

Quemadmodum itaq; poëta Satyricus neminem putat repente factum esse turpissimum, sic semper in rebus mortalium factum uidemus, ut malorum maxima sub boni specie irrepserint. Specimina eius rei exhibuimus tibi non pauca in superioribus capitibus, at tamen non pigebit & aliud proferre de Monachismi exordio. Cum Decij & Valeriani imperio Christum confitentibus exquisita & horrenda pararentur à ministris nequitiæ tormenta, multi è Christianorum grege imbecillitati carnis parum fidentes atq; ideo abnegationem diuini nominis & pœnas intolerandas metuentes, putauerunt & puritati fidei & saluti corporis fuga esse consulendum. Itaq; relictis urbibus & facultatibus suis, in uastum se proripuere hæremum, ubi se in antra abdiderunt atq; latibula, alij scenas sibi tugurijaq; extruxerunt. At ubi remisisset furor persequentium & iam etiam lanienæ cessassent tyrannorum, in casis illis suis sua sponte sibi uiuẽdum existimarũt, ne immundo mundi consortio polluerentur. Itaq; deo in his

Origo uitæ Monasticæ.

his seruientes toti incumbebãt precibus, lectionibus, meditationibusq; sacris, denicq; & laboribus, quibus uictum sibi quærebant. Rigebant tum monachorum, id est solitariorum hominum digiti callis magis quàm annulis aureis. Floruit autem id uitæ institutum primum & maxime apud Aegyptios. Leguntur quædã huius generis apud S. Hierony. in Vita Pauli primi hæremitæ: & August. in libro de Moribus ecclesiæ catholicæ cap. 31. Quis non illos miretur, inquit, & prædicet qui contemptis atq; desertis mundi huius illecebris, in communem uitam castissimã sanctissimamq; congregati, simul ætatem agunt, uiuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla peruicatia turbulenti, nulla inuidia liuidi, sed modesti, uerecundi, pacati, concordissimam uitam & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt? Nemo quicquam possidet proprium. Nemo cuiquã onerosus est. Operantur manibus ea, quibus et corpus pasci possit, & à deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis quos decanos uocant, eò quod sint denis propositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neq; in cibo, neq; in uestimẽto, neq; si quid aliud opus est uel quotidianæ necessitati, uel mutatæ, ut assolet, ualetudini. Illi autem decani cum magna solicitudine oĩa disponentes & præsto facientes quicquid illa uita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem patrem uocant. Hi uero patres nõ modo sanctissimis moribus sed etiam diuina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt ijs quos filios uocant, magna sua in iubendo authoritate, magna illorũ *Patres Monachorũ.*

in obtemperando uoluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de suis quisq; habitaculis, dum adhuc ieiuni sunt ad audiendũ illum patrem, & conueniunt ad singulos patres audiendos terna ut minimũ hominum millia: nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit differentis oratio, uel gemitu, uel fletu, sed modesto & clamore nacuo gaudium significantes. Corpus deinde reficitur, quantum saluti & salubritati sat est coërcente unoquoq; concupiscẽtiam, ne se profundat uel in ea ipsa quæ præsto sunt parca & uilissima. Ita non solum à carnibus & uino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab his etiam quæ tanto concitatius uentris & gutturis prouocant appetitũ, quanto quasi mundiora nonnullis uidentur, quo nomine solet turpe desiderium exquisitorũ ciborum quod à carnibus alienum est ridicule turpiterq; defendi. Sanè quicquid necessario uictui redundat, nam redundat plurimum ex operibus manuũ & epularum restrictione, tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis qui distribuunt comparatum est. Nullo modo nanq; satagunt ut hæc sibi abundent, sed omni modo agunt ut non apud se remaneat quod abundauerit, usqueadeò ut oneratas etiam naues in ea loca mittant quæ inopes incolunt. Hæc prolixius fortassis ex Augustino quàm decebat hisce nostris inseruimus de antiquorum Anachoretarum & Cœnobitarum uita, sed uolui ut obiter ex ijs æstimares quàm probe maioribus suis nostri respondeant monachi, quibus nil aliud in ore est quàm patrũ uita, regulæ & exemplũ. Nunc redeo. Aegyptiorũ exemplum sequuti sunt &

aliarum

aliarum nationum homines, unde multis in locis extructa sunt cœnobia, hoc est ædiculæ siue tabernacula in quibus à bonis, communibus uiuebatur impensis. Græci enim κοινόβιον cœnobium appellarunt contubernium in quo in commune uiuitur, nimirum à uitæ fortunarumq; societate. Tandem uero cœperunt in cœnobijs illis tersiora coli studia, artium uidelicet ac disciplinarum, ut coniectari licet uel ex nono cap. 11. lib. histo. Eccles. & ex octauo cap. eius libri quem nuper scripsi De functione Episcoporum. Habebatur præcipue in istis & pauperum & infirmorum cura. Vnde nimirum illud manauit dictum uetus, Monasteria monachorum, sunt disciplinarum pietatisq; scholæ & pauperum xenodochia. Ex monasterijs prodierunt multi uiri eruditi ecclesiarum doctores & episcopi, morum candore & literarum uaria scientia clari. Id quod principum uirorum nobilium ac popularium animos adeò commouit, ut opes amplissimas monasterijs certatim affunderent. Pulchrum enim & pium uidebatur pietatis studia iuuare, sine quibus religio incolumis esse nequit. Pulchrum & pijssimum uidebatur & pauperum subuenire inopiæ, quos tantopere suis commendauit dominus. Quis non probaret sancta hæc instituta? Quis non laudaret eorum pietatem, qui suas facultates ad rem & sanctam & ecclesiæ perutilem, contulerunt? Sed quid sequutum est? Religio peperit diuitias & filia deuorauit matrem, id est opes pepulere pietatem & induxerunt luxum. Neglecta autem pietas errori locum aperuit, error uero omnia superstitione oppleuit, superstitio denique bonas literas oppressit, proq; hís barbariem plantauit. Luxus pauperibus ualedicere, egenos

negligere, equiſones & canum magiſtros conducere, palatia extruere, aulas regias inſtituere, Alcinoiq; hortos adornare docuit. Quæ ſanè, ut nihil addã turpius, in oñibus ſæculi noſtri monaſteriis uidere licet. Quæ ſtus eſt magno animi dolore de his ante annos quadringentos Bernardus ad Vuilhelmum ſcribẽs abbatem, cũ tamen illius tẽpora noſtris collata uideri poterant apoſtolica. In noſtris etenim Cœnobiis ita corrupta ſunt omnia, ut non poſſint fieri corruptiora. Increuit enim ad ſummum iniquitas eorum. Quid quod ex illis ipſis hodie potiſſimũ oppugnantur pietatis & bonarum literarum ſtudia? Ex illis prodeunt qui populum domini plus quàm Aegyptiaca ſeruitute premũt. Atqui corruptio tanta plumbeo quod dici ſolet pede, & neſcio qua ſub pietatis ſpecie in eccleſiam Chriſti irrepſit.

Gradus ad inuocationem et cultum Diuorum.

Ad eundem modum in eccleſia domini primũ quidem ſuperſtitio circa diuorum cultum, deinde error circa idololatriam receptus eſt. Plericq; enim intentione, quod dici ſolet, bona fecerũt quicquid hic fecerũt. Et principia fuerũt huiuſmodi ut uix potuerint à quo quam culpari. Nam initio cum funeſtas clades, latrocinia ſæua, & parricidia execranda perpeti cogeretur ſanctorum eccleſia, qui paulò cordatiores erant, occiſorum corpora ſepeliebant, ſepultiſq; inſtituebant annuas memorias, non ad cultum quidẽ illas, ſed ad memoriam cõſtantiæ eorum atq; uictoriæ, ad animanda pauitantium pectora, denicq; ad ſignificandam corporis reſurrectionem, qua cõfirmati fideles, uitam aſperarentur caducam, & uitam eligerent hac multo potiorem, qua nũc, (in ſpe reſuſcitationis depoſito cadauere) fruantur ſancti dei martyres. His iungebat deus

& rex

& rex martyrum Christus miracula, non ut illis inuitaret nos ad cultum martyrũ, sed ut fidei & doctrinæ confessæ testimonium ferrent, deinde ut immortalitatem occisorum testarentur, postremo ut simili gloria se quoq; coronandos sperarent, qui propter nomen Christi mori quàm uiuere magis eligerent. Hæc & his similia in sacris conuentibus inculcabant episcopi, & ad constantiam & ad martyria facienda exhortabantur auditores. Id quod in cap. 6. etiam attigimus, ubi ex Eusebio quædam de beato Polycarpo episcopo retulimus. Ista uero nemo damnare potuit, neq; hodie si fiant damnari possunt. Sanctis enim dum uiuerent in terris, tanquã organis & uasis (uerbis Augustinus autor) ad omnia bona opera usus est spiritus sanctus. Quod si paterna uestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tanto charius est posteris, quãto erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipsa spernẽda sunt corpora, quæ utiq; multo familiarius atq; coniunctius q̃ quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum uel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt & exequiæ celebratæ & sepultura prouisa, ipsiq; cum uiuerent hæc de sepeliendis suis corporibus filijs mandauerũt. Et Tobias sepeliẽdo mortuos Deũ promeruisse, teste angelo commendatur. Ipse quoque dominus die tertio resurrecturus religiosæ mulieris bonum opus prędicat prædicandũq; cõmendat, quod unguentum pretiosum super membra eius effuderit atq; hoc ad eum sepeliendum fecerit: & laudabiliter in euangelio commemorantur, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atq; honorifice tegendum sepe-

liendumq; curarunt. Verum istæ quoq; authoritates non hoc admonent quod insit ullus cadaueribus aut aridis ossibus sensus aut diuinitas, sed ad dei prudentiam, cui placent etiã talia pietatis officia, corpora quo que mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. Attamẽ ex initijs illis modicis nihilq; superstitionis habentibus, error suppullulauit, unde tandem erupit religionis puræ pernicies. Nam Aurel. Augustinus in lib. de Cura pro mortuis gerenda ad Paulinum, Si nonnulla religio est, inquit, ut sepeliantur corpora sanctorum, non potest nulla esse quando ubi sepeliantur attenditur. Disputat autem in eo libro, Vtrum prosit cuiq; post mortem, quod corpus eius apud sancti alicuius memoriam sepelitur? Et in capite 4. Non ob aliud, ait, uel memoriæ uel monumenta dicuntur ea quæ insignita fiunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui uiuentium oculis morte subtracti sunt, ne oblíuione etiam cordibus subtrahãtur, in memoriam reuocant & admonendo faciunt cogitari. Nam & Memoriæ nomen id manifestissime ostendit, & Monumentum eò quod admoneat mentẽ, nuncupat. Propter quod & Græci μνημεῖον uocant, quod nos memoriam seu monumentum appellamus: quoniam lingua eorum memoria ipsa qua meminimus, μνήμη dicitur. Cum itaq; recolit animus ubi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine martyris uenerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Tantũ Augustinus. Ex quibus uerbis ultimis potissimum uidere licet quò tandem reciderit res. Expositi quid hactenus factitatum sit à pijs apud martyrum memorias, & quare illas extruxerint sancti: nunc uero audis quid de illis

Impietatis ueræ ac eruditionis iustæ pesti fera lues.

de illis disputari cœperit, & quod ipse locus iam dicatur uenerabilis, imò quod addatur commendatio & oratio martyrum mortuorum, tanquam patronorū, pro defunctis. Disertis enim uerbis paulò ante hæc dicit, Non uideo quæ sunt adiumenta mortuorum, nisi ad hoc, ut dum recolunt ubi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquam patronis susceptos apud dominum adiuuandos orando commendent.

Præterea cœpere Christianorum sacra super corpora ceu super dominica mensa celebrari. Cœpere & ossa exhumari trãsferriq;, & in urnas siue tumbas condi aureas & reponi in Oratoria. Ad hæc accurrebant undiq; populorum cateruæ, uisisq; & auditis uirtutibus, quas apud corpora sanctorum operabatur dominus, plus nimium mirabãtur sanctos. Quibus deinde factis & exemplis magni nominis uiri ueneratione diuorum propugnarunt. Nam S. Hieron. contra Vigilantium disputans in hæc uerba scribit, Male facit ergo Romanus episcopus, qui super hominum mortuorum Petri & Pauli, secundum nos ossa ueneranda, secundum te uilem puluisculum, offert domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Ergo sacrilegi sumus quando apostolorum basilicas ingredimur. Sacrilegus fuit Constantinus imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt? Sacrilegus dicendus est nunc & Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem uilissimam & cineres dissolutos in serico & uase aureo portauerunt?

Ad hæc Hieronymiana & id pertinere uideri poterat quod ita legis in 8. cap. 22. libri Auguſt. de Ciuitate dei, Miraculum eſt quod Mediolani factum eſt, cum illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum notitiam potuit peruenire, quia grandis eſt ciuitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora martyrũ Protaſij & Geruaſij. Concurrebat ad corpora martyrum, ait, populus, his nimirum multo plus deferens uenerationis quàm conueniebat. Verũ hic uulgi, qui nil moderati habet, mos eſt, & euangelica hiſtoria teſtis eſt uiuente in terris Chriſto multo plures uidendi Lazari quàm ipſius ſaluatoris gratia ueniſſe in Bethaniam.

Iam & Hieronymus in eadem illa contra Vigilantium Criminatione, contendit, Diuos omnino orare pro nobis. Sic enim argumẽtatur, Dicis in libello tuo, quod dum uiuimus mutuo ꝓ nobis orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, præſertim cum martyres ſui ſanguinis ultionẽ obſecrantes, impetrare non quiuerũt. Si apoſtoli & martyres adhuc in corpore cõſtituti, poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas uictorias & triumphos? Vnus homo Moſes impetrat à deo ueniam ſexcentis milibus armatorum: & Stephanus imitator domini ſui, et primus martyr in Chriſto, pro perſequutoribus ueniam deprecatur, et poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint minus ualebant? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas cõdonatas, & poſtquã reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto tunc ora clauſurus eſt, & pro his qui in toto orbe ad ſuum euangelium crediderunt, mutire non poterit?

Ex his

Ex his autẽ ſæculum poſterius collegit Diuos omnino ut opitulatores in omnibus neceſſitatibus eſſe inuocandos. Ipſis itaq; extruxerunt templa, poſuerunt aras, conſecrarunt ſtatuas, inſtituerunt ſacerdotia, feſta & huius generis ſuperſtitioſas obſeruationes innumeras, increuitq; progrediendo ſuperſtitio, ut tandẽ & ſeipſam uicerit & nihilhabuerit diſcriminis ab impietate Gentili. Gentes enim, quemadmodũ ſuperius expoſui, non aliud putabant eſſe deum, quàm prodeſſe mortalibus. Vnde frugum, uini, legũ authores prodijs colebant: uenerabantur ipſas quoq; belluas, ſicut Arabes & Aegyptij, Romani anſerem Capitolinum. Chriſtiani uero quia ſenſimus nos adobrui beneficiorum ſiue miraculorum frequentia, hoc eſt, quia uidimus quoſdam morbis ſuis leuari apud martyrum tumbas, & quoſdã impetraſſe, quod in nomine Deorum ſibi petierant concedi, ideo de Diuis tanquam ipſis bonorum collatoribus, & ueluti de Dijs quibuſdam opinionem concepimus, atq; adeò & diuinis honoribus illos ſumus proſequuti. Cœpit & increuit hoc malũ eo potiſſimum tempore, quo pax & tranquillitas reddita eccleſijs, ardor fidei remiſiſſet & ſtudium faciendi martyrij deferbuiſſet: tum enim ſecurius theologicari ac philoſophari quibuſdam concedebatur. Olim cum grauis perſequutio pulſaret premeretq; Chriſto conſecratos, ardebat fides in Deum, & hæc reſcindebat ſuperuacaneas diſputationes & animi phantaſmata. Egregie enim S. Iacob. apoſt. Exploratio fidei parit patientiam, inquit, patientia autem abſoluit opus, adeò ut abſoluti ſimus omnibus partibus, & nullatenus diminuti. Iam & in illa pace eccleſiarum, cum externi hoſtes perſequi deſijſſent, oboriebantur bella inteſtina,

cumq; omnibus negotium faceret Arrius primũ, deinde Aetius, hinc Eumonius, postea Macedonius, & post illos Nestorius, Euthyches & multi alij prauis dogmatis euangelij syncerítatem deprauantes, paucissimi erant inter antistites religionis, qui populi superstitione obseruata herbescẽtem errorem falce diuini uerbi demeterent, aut quid ex talibus initijs aliquando prouenturum expenderent. Irrepsit itaq; non intellectus neq; obseruatus in ecclesiam diuorum inuocatio & cultus, eundoq; per temporũ successiones uires acquisiuit, & idola cum idololatria post se traxit. De quibus suo loco disputabitur.

Doctores quosdam priscos meminisse orationis diuorum in cœlo pro nobis, sed ideo neq; inuocationem neque cultum illum qui hodie in usu est, uel probasse uel tradidisse. Cap. XIIII.

ET quamuis errori maximo occasionem dederint quorundam doctorum & sanctorum hominũ scripta, constat tamen uel ex ipsorũ testimonijs, neq; tenuisse neq; tradidisse talem diuorũ inuocationem & cultum, qualem hodie obtrudunt ecclesiæ, qui patrum scripta iactitant. Crediderũt illi defunctos sanctos, hoc est animas beatas adhuc in eodẽ nobiscum corpore & in eadem charitate uersari: unde ex humanitatis affectu collegerũt illos de salute nostra sollícitos esse, atq; ideo pro nobis fratribus suis orare apud dominũ, perinde atq; hic in terris mutuis precibus nos domino commendamus. Interim uero non docuerunt quicquam uel ab illis beatis spiritibus petere, uel in illos ullam fiduciã collocare, itaq; uenerationem & charitatẽ illorum, non inuocationẽ & cultum tradiderunt.

tradiderunt. Crediderunt enim omne auxilium nõ à creaturis sed à deo petendum, hunc solum inuocandũ & colendum, in hunc omnẽ fiduciam & spem nostrã collocandã esse. Illi ijdem patres miraculorũ siue uirtutum operationes non diuorũ sed dei potentiæ tribuerunt, factasq; crediderunt ad testimoniũ dandum doctrinæ ueritatis. Solus Hieronymus quædã de ossium uirtutibus & reliquiarum ueneratione confidentius, & si dicere phas est, imprudentius effutiuit.

Scripsit sanè ad Cornelium sanctus dei martyr Cyprianus lib. epist. 1. epist. 1. Memores nostri inuicem simus, cõcordes atq; unanimes utrobiq;, p nobis semp oremus, pressuras & angustias mutua charitate releuemus. Et si quis hinc nostrũ prior diuinę dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio. Verum idem ille in sermone de Lapsis, manifeste dicit, Solus dominus misereri potest. Veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt, solus ille potest largiri, qui peccata nostra portauit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo deo esse non potest maior, nec remittere aut donare indulgentia sua seruus potest, quod in dominum delicto grauiore cõmissum est, ne adhuc lapso & hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictũ, Maledictus homo qui spem habet in homine. Dominus orandus est, dñs nostra satisfactiõe placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne iudiciũ de patre solus accepit. Addit his protinus, Tametsi opera iustorum multum ualeant apud iudicem, attamen non statim de diuina maiestate concedi quod fuerit humana pollicitatione promissum. Quid, in- *Cyprianus.*

quit, iustius Noë, qui cum repleta esset terra peccatis, solus inuentus est iustus in terris? Quid glorioſius Daniele? Quid ad facienda martyria in fidei firmitate robustius? in dei dignatione felicius? qui toties & cum confligeret uicit, & cũ uinceret superuixit? Quid Iob in operibus promptius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore submissius, in fide ueriusꝫ nec his tamen si rogarent concessurum se deus dixit. Nam cum Ezechiel pro delicto populi deprecaretur, Terra, inquit, quæcunꝫ peccauerit mihi ut delinquat delictum, extendam manũ meam super ipsam, & obteram stabilimentum panis, et immittã in eam famem, & auferam ab ea hominem & pecora. Et si fuerint tres uiri ij in medio eius Noë, Daniel & Iob, non liberabũt filios neque filias, ipsi soli salui erunt. Adeò non omne quod petitur in præiudicio petentis sed in dantis arbitrio est: nec quicquam sibi usurpat aut uindicat humana sententia, nisi annuat & censura diuina. Et paulò post, Contra euangelium facere non possunt, qui de euangelio martyres fiunt. Nemo, fratres dilectissimi, infamet martyrum dignitatem, nemo eorum glorias destruat & coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume, nec dicere aliquid aut facere cõtra Christum potest, cuius & spes & fides & uirtus & gloria omnis in Christo est. Hæc omnia leguntur apud Cyprianũ. Igitur si solus potest largiri ueniam dominus, si seruus donare non potest indulgentia sua quod in dominum delicto cõmissum est, si maledictus est qui spem suam collocat in homine, si dominus nõ creatura orandus, si non in arbitrio petentis sed dantis stat quod petitur, si iustissimi se solos liberant & nõ filios suos aut filias, si denicꝫ martyres contra Christum nil dicunt & nil faciunt,

ciunt: quantulum obsecro illud est quod ex authoritate S. Cypriani pro dogmate suo de Inuocatione & cultu deorum proferre possunt? Videri profecto poterat id dicti aut sententiæ ad Cornelium optimo uiro iam charitate & humanitate feruenti excidisse uerius quàm pronunciatum esse ut dogmati nouo daret principium.

Augustinus in libro de Pastoribus cap. 8. sic scribit, Sunt etiam Montes boni, Leuaui oculos meos in montes: unde ueniet auxilium mihi. Et uide quia non in montibus tibi spes est, Auxiliũ, inquit, meum à domino qui fecit cœlum & terrã. Noli putare iniuriam facere te montibus sanctis, quando dixeris, Auxilium meum non in montibus, sed à domino qui fecit cœlũ & terram. Ipsi montes hoc tibi clamãt. Mons erat qui clamabat, Audio in uobis schismata fieri, ut unusquisque uestrũ dicat, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Christi. Leua oculos in istum montẽ, audi quid dicat, & in ipso remaneas. Audi etiam quid sequatur, Nunquid Paulus crucifixus est pro uobis? Ergo postquam leuaueris oculos tuos in montes, unde uenit auxilium tibi, id est in authores scripturarum diuinarũ, attende omnibus medullis suis omnibus ossibus clamantem, Domine quis similis tibi? ut securus sine ulla iniuria montium dicas, Auxiliũ meum à domino qui fecit cœlum & terram. Non solum tunc tibi non succensebunt montes, sed tunc amabũt, tunc magis fauebunt. Si in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur. Angelus multa diuina & mira ostendens homini, ab homine adorabatur, tanquam leuantem oculos in montem, ait ille se reuocans ad dominum. Noli, inquit, facere, illum adora. Nam ego conseruus tuus

Augustinus.

sum & fratrum tuorum. His quid obsecro dici poterat planius? Omne auxilium à Deo est, & hic in omnibus difficultatibus inuocandus est. Si spem tuam in deum ponis, amant te sancti, si in ipsis ponas fiduciam contristabuntur. Vis ne apertius aliud?

Idem contra Faustum Manichæum, sic dicit, Populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur atq; orationibus adiuuetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamuis in memorias martyrũ constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre aut Paule, aut Cypriane? sed quod offert̃, offertur deo qui martyres coronauit, apud memorias eorũ quos coronauit, ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illũ quo adiuuante possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac uita coluntur sancti homines dei, quorum cor ad talem pro euangelica ueritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto deuotius quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus, iam in uita feliciore uictores & in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, qui Græce Latria dicitur, Latine dici uno uerbo non potest, cum sit quædam proprie diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendũ docemus nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibẽt, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, uel cuiquam

quam martyri, uel cuiquam sanctæ animę, uel cuiquã angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corrípitur per sanam doctrinam, siue ut corrigatur, siue ut caueatur. Ipsi enim sancti uel homines uel angeli exhiberi sibi nolunt quod uni deo deberi norũt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cum cõmoti miraculis quæ per eos facta sunt Lycaonij tanquã díjs immolare uoluerunt: conciſſis enim ueſtimentis suis, confitentes et persuadentes se deos non esse, ista sibi fieri uetuerunt. Apparuit & in angelis, sicut in Apocalypsi legimus angelum se adorari prohibentem ac dicentem adoratori suo, Conseruus tuus sum & fratrum tuorum. Ista sibi planè superbi spíritus exigunt, diabolus & angeli eius, sicut per omnia templa & sacra Gentilium. Quorum similitudo etiam in quibusdam superbis homínibus expressa est, sicut de Babyloniæ quibusdam regibus memoriæ cõmendatum tenemus. Vnde sanctus Daniel accusatores & persequutores pertulit, quod regis ædicto propositó, ut nihil à quoquã deo peteretur, nisi à rege solo, deum suum, hoc est, unum & uerum deum adorare deprecaríq; deprehẽsus est. Et reliqua. In his primum obseruandum cẽseo quod dicit, Populum Christianum memorias celebrare martyrum ad excitandam imitationem, & ut eorum meritis, id est, perpetuæ uitæ post uictorias consociemur. Deinde quamuis addat, Et ut orationibus adiuuemur: mox tamen subiungit, Non ponimus martyribus altaria, nec offerimus illis sacrificia. In 22. lib. de Ciuitate dei cap. 10. idipsum significãtius exponens scribit, Gentes díjs suis & templa ædificauerunt, & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autẽ Martyribus nostris non templa, sicut Díjs, sed memo-

rias sicut hominibus mortuis, quorum apud deum uiuunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni deo & martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines dei, qui mundum in eius confessione uicerunt, suo loco & ordine nominantur. NON TAMEN à sacerdote q̃ sacrificat INVOCANTVR. Quia Dei sacerdos est non illorum. Ipsum uero sacrificium est corpus Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Et diserte in præsenti dicit, Colimus martyres cultu dilectionis ac societatis, quo & in hac uita coluntur sancti dei homines. Quibus uerbis nihil poterat ad rem nostram aliud dici appositum magis. Præterea, Nec colimus nec colendum alium, inquit, docemus quàm unum deum, cultu uidelicet latriæ. Et mox ostendit sacrificia pertinere sub titulũ latriæ, unde manifestum fit soli deo sacrificandum esse. Constat autem orationes sacrificia esse sanctorum: colligimus ergo orationes uni deo non diuis immolari, hoc est, solum deum à uere religiosis & nõ diuos inuocari. Huc pertinet quod mox adijcitur, Sancti uel homines uel angeli id sibi tribui nolũt quod uni Deo deberi norũt. Hinc enim concludimus nolle illos preces & inuocationem nostram. Superbi & diabolici spiritus id sibi usurpant quod solius dei est. Ergo ut Daniel noluit quicquam ab ullo postulare præter quàm à solo deo: ita religiosi omnes, omnibus creaturis contemptis, solum in precibus suis deum uocabunt, à solo uota cordis sui postulabunt.

De Miraculis circa memorias martyrum factis.

De Miraculis ad memorias martyrum æditis, idem Augustinus lib. de Ciuit. dei 22. cap. 8. postquam complura recensuisset signa, tandem concludit, Postremo propter

propter quod omnia ista dicuntur à nobis in eum, qui ascendit in cœlũ cum carne, in qua resurrexerat, credidit (martyr uidelicet Stephanus) & ideo per eũ tanta fiunt, quia pro ista fide animam posuit. Et in sequenti capite 9. Cui, inquit, nisi isti fidei attestantur illa miracula in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne & in cœlum ascẽdisse cum carne? Nam & ipsi martyres huius fidei martyres, id est, huius fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes, mundũ inimicissimum & crudelissimum pertulerũt, eumq; non repugnando, sed moriendo, uicerũt. Pro ista fide mortui sunt, qui hæc à domino impetrare possunt, propter cuius nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit mira eorum patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur. Audis, opinor, diuinæ potentiæ ascribi miracula circa memorias martyrum ædita. Audis illa à deo non in hoc designata esse, ut uel ossa sanctorum ueneraremur, uel nomina sanctorum inuocaremus, sed ut euangelio Christi crederemus, cui hæc adhibita sunt testimonia. Congruũt cum his quæ de Miraculis apostolorum legimus in Actis Apostolicis. Ibi enim Petrus & Ioannes ascendunt in templum oraturi deum et docturi populum, uident autem ad portam iacere miserabilem quendam claudum, quem mox in nomine Iesu Christi restituunt ac morbo liberant. Hoc simul atque populo innotuit, adsunt frequentes, mirantur, imminent apostolis, & hos tantum non, ut uiuentes deos, adorant: Petrus uero, Viri Izraelitæ, inquit, quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute aut pietate effecerimus ut hic ambularet? Deus Abraham, Isaac & Iacob, deus patrum nostrorũ glorificauit filium suum Iesum, quẽ

uos coram Pilato negastis, &c. Principio plebis errorẽ remouet Petrus, deinde prædicat Christũ. Cum enim cerneret sibi tribui à plebe omnem æditi miraculi uirtutem, in primis mentes illorum à se ad Christũ cõuertit. Et quia duo sunt Virtus nempe & Meritum, quibus hoïes permoti diuis et magnis aliâs hominibus res tribuimus diuinas, ideo utraq; in præsenti remouet & cum indignatione quadã dicit, Quid miramini super hoc aut nos quid intuemini, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκόσι περιῳατεῖν αὐτόν, quasi ppria potentia nostro ue merito seu pietate effecerimus ut hic ambularet? Hic per subiectionem intelligendum est, Neutiquã ita habet. Nã mox subdit quomodo res habeat, Deus Abraham, Isaac & Iacob glorificauit filium suũ Iesum, quẽ uos tradidistis. Falluntur itaq; omni modo qui miraculorum operationem, uel meritis uel uirtuti sanctorum tribuunt, aut qui ex miraculis olim per deum uel sanctorum uel angelorum ministerio patratis, colligunt diuos & angelos inuocandos atq; colendos esse ut opitulatores. Similis locus est in Actis cap. 14. quem nos 3. Cõmenta. libro in Acta ædito copiose tractauimus.

Ex illis autem constat miracula & uirtutes à deo, ad memorias martyrum, ideo fuisse exercitas, ut animi infidelium conuerterentur ad Christum, & ut fideles infirmiores intelligerent testimonium, fidẽ ac confessionem martyrum sanam esse, præterea spiritus eorum uiuere apud deum in gloria, ut ut tractati fuerint in hoc sæculo ignominiose. Constat itẽ sanctos patres non fuisse consortes eius erroris, qui hodie à Pontificijs de Inuocatione & cultu diuorum irreligiose defenditur.

Excutitur

Excutitur ſancti Auguſtini opinio de orationibus ſanctorum in cœlo & eorum patrocinio. Cap. XV.

AM quod beatus Auguſtinus opinatur animas iuſtorum in cœlis orare pro nobis, coniecturis, nullis argumentis aut ſcripturæ teſtimonijs probat: igitur citra ſalutis noſtræ periculum & ſine iniuria uiri bene meriti, ea opinio à nobis negligi poteſt. Nam quod putat illas de ſalute noſtra ſollicitas eſſe, atq; ideo deum orare pro nobis, aut ſalutẽ noſtram illi commendare, idq; propter conſortium eiuſdem corporis & propter charitatem, quis non uideat illo corporis conſortio, hoc non effici, ut ideo ſint pro nobis ſolliciti & anxij, atq; ex ea anxietate orẽt pro uiuentibus ſancti? Si enim participarent nobiſcũ adhuc in infirmitatibus noſtris noſtriſq; tangerentur affectibus, ſollicitudine ſcilicet, dolore ac cõmiſeratiõe, quomodo perfecta eſſet ipſorũ beatitudo? de qua tamẽ legitur, Abſterget deus omnẽ lachrymã ab oculis eorũ: & mors ultra nõ erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra: quia prima abierũt. Et dixit qui ſedebat in throno, Ecce noua facio oĩa. Et dixit mihi, Scribe, quia hæc uerba fidelia ſunt et uera. Quod ſi hæc uerba fidelia ſunt & uera, certa & indiſſolubilia, nẽpe quod priora in futuro ſæculo tranſeũt, ſi omnia noua fiunt, non poſſunt pro nobis anxij eſſe ſancti. Nam anxietas & ſollicitudo dolorem habent, & ſunt ex eorũ numero quæ hic dicuntur priora. Conſortium ſiue communio ſanctorũ nõ in eo eſt quod beatæ animæ adhuc nobiſcũ in infirmitatibus participant, ſed in eo potius quod tam uiui q; mortui ſancti, cõciues ſumus dei, fratres Chriſti, oĩm munerũ dei participes, dei filij et cohæredes. Hoc uero quid facit ad ꝓbationẽ eius quod

Sancti in cœlo exuerunt affectus.

Cõmunio ſanctorũ.

ſancti orãt, p nobis in cœlo? Iſti qui nũc uiuũt in cœlis cũ Chriſto rege ſemel omnes affectus exuerunt et obliti priorum fruuntur nũc ſupremo bono. Hi uero peregrinantur & agunt adhuc in exilio, ſperant tamẽ ſe breui merito & precibus Chriſti redemptoris ad confratres recipiendos in æternã gloriam, quam, diſſolui cupientes, gemitibus inenarrabilibus deſiderant.

Charitas ſanctorũ in cœlo.

Quod ad Charitatem attinet beatorum ſpirituum, non dubium eſt quin animæ defunctorum faueant & bene uelint humano generi, maſſæ ſuæ & coëqualibus: uerum quia exuta carne toti iam uiuũt in uoluntate dei, nec quicquam amplius ſentiunt reliquiarum carnis, & quia palàm uident tantopere homines diligi à deo beneficẽtiſſimo, qui filium ſuum proprium illis conſtituit & interceſſorem & oratorem imò & exoratorem in omnibus, id quod & ſolius Chriſti gloriæ ſentiunt competere, gratulantur hoc nomine generi humano, exultant & in ſæcula ſæculorum laudant domini philantropiam, intelligentes omnino nobis neque neceſſarium eſſe, neq; ſe decere, ut officium Chriſti ad ſe rapientes, pro nobis orent.

Atq; utinam contigiſſet beatiſſimo patri Auguſtino antagoniſta aliquis in hac cauſſa. Proculdubio exercitatus tandem ſcripſiſſet & certiora & puriora. Nam idem aliquando in ea ſententia fuit, ut exiſtimaret cõſenſum in euangeliũ eſſe ex nobis, hoc eſt quod fidem illam quam habemus prædicato euangelio gratia dei non præueniret: ſed certamine aſſiduo & uariis bellis exercitatus, melius ſentire didicit. Nam in lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 3. Nõ ſic pius, inquit, atq; humilis doctor ille ſapiebat, Cyprianum beatiſſimum loquor, qui dixit in nullo gloriandum quando noſtrum

noſtrum nihil ſit. Quod ut oſtenderet adhibuit Apoſtolum teſtem, dicentem, Quid autem habes quod nõ accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Quo præcipue teſtimonio etiam cõuictus ſum, cum ſimiliter errarẽ, putans fidem qua in deum credimus, non eſſe donum dei, ſed à nobis eſſe in nobis, et per illam nos impetrare dei dona, quibus temperanter & iuſte & pie uiuamus in hoc ſæculo, &c. Et ſanè ſi uel ſuſpicari potuiſſet, quę à poſteris ex illa de orationibus beatarum in cœlis animarũ opinione deducta ſunt, non meminiſſet eius, ſat ſcio, uel uerbo, maxime cum aliâs ſe torſerit mirum in modum in negotio ſtatus animarum poſt hanc uitam, adeò ut in 13. cap. libri De cura pro mortuis gerẽda aperte dicat animas in cœlis ſanctorum noſtris rebus neq; hic intereſſe neque quid hic agaẽ illic noſſe. Verba uiri ſancti ſi quis requirat hæc ſunt, Si rebus uiuentium intereſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos, quando eas uidemus alloquerentur in ſomnis, ut de aliis taceã, meipſum pia mater nulla nocte deſereret, quæ terra mariq; ſequuta eſt ut mecum uiueret. Abſit enim ut facta ſit uita feliciore crudelior, uſqueadeò ut quando aliquid angit cor meum, me triſtem filium conſoletur, quem dilexit unice, quem nunquam uoluit mœſtũ uidere. Sed profecto quod ſacer Pſalmus perſonat, uerum eſt, Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem ſuſcepit me. Si ergo dereliquerunt nos parentes noſtri, quomodo noſtris rebus & curis interſunt? Si autẽ parentes non interſunt, qui ſunt alij mortuorum qui nouerũt quid agamus quid ue patiamur? Iſaias propheta dicit, Tu es pater noſter. Quia Abraham nos neſciuit & Izrael non cognouit nos. Si tanti

Mortuos ignorare quid agãt uiui.

patriarchæ quid erga populum ex his procreatũ ageretur ignorauerunt, quibus deo credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est, quomodo mortui uiuorũ rebus atq; actibus cognoscendis adiuuandisq; miscentur? Quomodo dicimus eis fuisse consultũ, qui obierunt antequam uenirent mala, quæ illorũ obitum consequuta sunt, si & post mortem sentiunt quæcũq; in uitæ humanæ calamitate contingunt? An forte ista nos errando dicimus & hos putamus quietos, quos inquieta uia uiuorum sollicitat? Quid est ergo quod pijssimo regi Iosiæ pro magno beneficio ꝓmisit deus, quod esset ante moriturus, ne uideret mala quæ uentura illi loco et populo minabat? Quę dei uerba sunt, Hæc dicit dominus deus Izrael, Verba mea quæ audisti, & ueritus es à facie mea cum audisti quæ loquutus sum de isto loco, & qui commorantur in eo ut deseratur & maledictio sit et conscidisti uestimenta tua & fleuisti in conspectu meo & ego audiui dicit dominus Deus sabbaoth. Nõ sic, Ecce ego appono te ad patres tuos & apponeris cum pace, & non uidebũt oculi tui omnia mala quæ ego induco super locũ istum & qui commorantur in eo. Territus iste dei cõminationibus fleuerat, & sua uestimenta conscíderat & fit omnium malorum futurorum de properatura morte securus, quod ita requieturus esset in pace ut illa omnia non uideret. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non uident quæcũq; aguntur aut eueniunt in ista uita hominum. Hæc Augustꝰ qui planè negat defunctorum spiritus beatos rebus nostris cognoscẽdis iuuandisq; misceri: imò palàm dicit istos ignorare penitus quid agatur in uita hominum. Hoc si uerum est, ut falsum esse nequit, quod è sacris scripturis probatur, frustra profecto

cto nescientium patrocinio cõmendatur uel mortuorum uel uiuentium salus ac necessitas, frustra credun tur orare apud dominum propter præsentem necessitatem, qui nesciunt nos constitutos esse in periculis ac necessitatibus. Atqui erudiri possunt, inquis, de rebus nostris, uel ab angelis, uel ab ijs qui à nobis ad istos cõcedunt, uel ab ipso Deo. Verum cum hi modi reuelationis in scripturis nullibi tradantur, atq; ideo incertissimi sint, Quid obsecro à certissimis ad dubia conuerti mur? Audis doctissimum & sanctissimum uirum Augustinum in hac caussa sibijpsi non satisfeciſſe, quin imò ita se torsisse, ut tandem cõfessus sit nescire diuos res nostras, neq; illos tangi ulla rerum nostrarũ cura & sollicitudine: proinde nil peccaueris uel in ipsam pietatem, uel in seruum dei Augustinũ, si à dubijs ad compertissima conuersus, credas requiescere in Deo beatos spiritus, & Christum solum caussam nostram agere apud patrẽ, orare atq; exorare, qui solus inter Deũ & hominem mediator patronus ac interceſſor à Deo constitutus est.

Excutitur S. Hieronymi opinio de Sanctorum patrocinio & precibus in cœlo, deq; eorum reliquijs. Caput XVI.

NEnimus ad scripta S. Hieronymi qui Diuorum orationes pro nobis paulò confidentius tueẽ & ecclesiæ obtrudit, hac in re beato Augustino acrior. Mirandum uero uirum tantum hoc quicquid est dogmatis de diuorũ pro nobis oratione uel patrocinio, usqueadeò infirmis imposuisse epicherematis. Quis enim facile dixerit, eadem in cœlis facere sanctos, quæ aliquando fecerunt in terris? Atqui

nihil aliud dicit Hieronymus, neque alijs argumentis probat sanctos in cœlis orare pro nobis, Si, inquit, orauerunt in terris, quanto magis post coronas victorias & triumphos? Si itẽ Paulo in terris oranti animas donauit ducentas septuaginta sex, certe multo plures donabit oranti in cœlis. Benefecit quidem dominus hominibus super terram per ministerium & propter preces seruorum suorum agentium in terris, sed in quem finem obsecro? ut uerbo & doctrinæ ministrorum crederemus. Cæterum ministri omnes concordi doctrina tradiderunt solum deum inuocare in qualibuscũq; necessitatibus. Doctrina autẽ de Orationibus sanctorum ꝓ nobis in alio sæculo, sollicitat nos à deo & spem nonnullam in creaturas ponere suadet. Id quod extra contrauersiam ipse etiam Hieronymus impugnauit. Nam Commẽtario in Ezech. cap. 14. Iustitia iusti erit super eum, inquit, & iniquitas iniqui super eum commorabitur. Vnusquisq; peccato proprio morietur & iustitia sua saluabitur, frustraq; dicunt Iudæi, Abrahã pater noster, cum opera Abrahã non habeant. Quod si in aliquo fiducia est, in solo domino cõfidamus. Maledictus enim omnis homo qui spem ponit in homine: quamuis sancti sint, quamuis prophetę. Legimus, Nolite confidere in hominibus. Et iterum, Bonũ est confidere in domino quàm in principibus. Non in principibus tantum sæculi sed & in principibus ecclesiarũ, qui suas tantum animas si iusti fuerint liberabũt. Hæc Hierony. sunt. Speremus ergo in domino deo, et cum non extet in omnibus libris Canonicis uel iota de orationibus sanctorum in cœlo pro nobis, aut ullũ exemplum quod illi nobis apud deum patrocinentur, arbitrabimur elumbe illud argumentum, Sancti orarunt

pro

pro hominibus in terra, orãt ergo in cœlis pro ijſdem, tanto uiro excidiſſe non expenſum.

Reliqua quæ idem author ſcripſit contra Vigilantium ſine modeſtia, maxima cum amarulentia & cum furore quodã ſcripſit, unde acutiſſimi iudicij D. Eraſ. Roterodamus nõ immerito dixit, In Vigilantium ita cõuitijs debacchatur Hierony. ut pluſculũ in eo modeſtiæ cogar deſiderare: utinam argumentis duntaxat egiſſet & à conuitijs temperaſſet. Tolle enim conuitia Caupo Calagurítanus, Dormitantius, Herculis monſtra, Leuiathan et Behemoth. Tolle iurgia, rixas, forenſemq; uerſutiam. Tolle exclamationes, translationes, tragicas amplificatiões, ampullas & ſeſquipedalia uerba, & nihil penè relinquetur Lectori, quod uel prophe ticam uel apoſtolicam redoleat ſimplicẽ pietatem. Inter alia clamat, Quis aliquando adorauit martyres? Quis hominem putauit deum? Id ſi proficiſcebatur ex animo, cur non ſinebat bonus uir hominum oſſa pro more uetuſto ſepeliri? An uero illi tantum adorãt qui palmis ſublatis flexisq; poplitibus id pro deo ſalutant quod adorant, & non illi quoq; qui uel metu perculſi, uel ſpe elati, in genua procumbunt totoq; corporis habitu teſtantur auguſtius aliquid ſe de re præſenti ſentire quàm de homine. Certe Cornelius Centurio hoc modo in terram prouolutus et Petrum adorans, audit à Petro, Surge & ego ipſe homo ſum. Itaq; ſi Martyres nemo adorat, nemo ante oſſa & martyrũ tumbas procidit, & animo ſpe pleno ſeſe martyribus commẽdat, aut metuit ne ſatis purgatus in conſpectum reliquiarum ueniat. Atqui ipſe Hierony. diſertis uerbis dicit, Quando iratus fuero & aliquid mali in animo meo cogitauero, et me nocturnum phantaſma deluſerit, baſi- *Adorare martyres.*

licas martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo contremisco. Itaq; uerbis negat se Hieronymus adorare martyres, mẽte omnino adorat. Quis enim nesciat horrorem & metum de commisso scelere soli deo deberi? Nam propheta clamat, Dominum exercituum sanctificabitis, ipse sit timor uester, et ipse pauor uester. Et Petrus conspecta Christi uirtute mirifica, pcidit ad genua Iesu, & ait, Discede à me domine, quia homo peccator sum. Iccirco nisi etiam mens à solo deo pendeat tota, non satis fuerit dixisse, Quis adorauit martyres? Quis hominẽ putauit deum? Si deum non credis, noli illum metuere, noli ei fidere. Si hominem putas, è humo sumptum esse agnoscis, igitur si in humum ponatur nõ irascēris. Quorsum enim attinet mortuorũ cadauera in aureos loculos seruare, in oratoria reponere, ante illa cereos accendere, procumbere & orare?

Principes nimio religionis studio peccarunt.

Nimius est & in eo S. Hierony. quod ait, Ad sanctas Andreæ reliquias rugiunt dæmones, quasi uero propter ossa S. Andreæ arida rugiant, & non magis propter Christum, quem prædicauit Apostolus Andreas. Et expressius in eadẽ Apologia, Responde, ait, quomodo in uilissimo puluere & fauilla nescio qua, tanta sit signorum uirtutumq; præsentia? Et iterũ addit, Spiritus ille immundus sæpe hoc uilissimo tortus est puluere imò hodieq; torquetur. Quis hic non uideat bonum patrem sibi excidisse prorsus, & ossibus dedisse aridis, quod uiui serui dei nunquam sibi dari dubio procul siuissent. Ista uero nescio quibus Cæsarũ siue principum & Episcoporum exemplis approbare commendareq; uolens, dicit, Quod si reliquias sanctorum transferre & in aureos loculos recondere non licet,

cet, sacrilegus fuit cum Cõstantino Arcadius, omnes episcopi nõ solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem uilissimam & cineres dissolutos in serico & uase aureo portauerũt. In religionibus autem recipiendis uel ponendis nihil probat ullorum hominum factum, nisi prius cõstet recte esse factum. Porrò recte fit quod non sine authoritate uerbi dei aut cõtra legem dei fit. Quod si tota euoluas Biblia, si reuoces sub calculũ omnia utriusq; testamenti sanctorum dei hominũ exempla, non reperies unum uerbũ de colligendis aut transferendis colendisue reliquijs sanctorũ. His tamen nolumus sanctis dei hominibus Constantino diuo, Arcadio sancto, Helenæ denicq; principis matri, aut episcopis beatis, nominis gloriam illustrem obscurare, nolumus Christo credentibus sacrilegij crimen imponere. De Iudæis suis scribit Christi Apostolus Paulus, Testimonium illis perhibeo quod studium dei habent, sed non secundum scientiam. Et sine zelo istos non fecisse quod fecerunt nihil ambigo, interim uero certissimũ est hoc facto suo ingentem posteris impingendi occasionem dedisse, unde cõsequens est ipsos peccasse contra dominum. De Iosaphat principe sanctissimo sacra historia sic retulit, Iosaphat ambulauit in uijs Dauid patris sui primis, et non sperauit in Baalim, sed in Deo patris sui & perrexit in præceptis illius, & non iuxta peccata Izrael. Hæc leguntur 2. lib. Paral. cap. 17. Et in 20. cap. addit, Ambulauit in uia patris sui Asa, nec declinauit ab ea faciens quæ placita erant coram domino. Veruntamen excelsa non abstulit, & adhuc populus non direxit cor suum ad dominum deum patrũ suorum. Quis uero hunc sanctissimum principem seruum dei propter errorem illum notauit sacrilegij, rur-

sus quis ideo approbauit quod fecit? Sic damnare nõ debeo sacratissimos dei principes & amicos Constantinum Arcadium & episcopos beatos, multo minus sacrilegij accusare, quos credo cum Christo imperatore summo in cœlis beatissimos uiuere, interea factum illud eorũ quod exemplo scripturæ caret, probare nõ possum nec debeo. Gedeon inter iudices Izraelis incorruptissimus cum esset, nimio tamen & immodico religionis studio peccauit contra dominum. Collectis enim è præda hostium annulis aureis, Ephod sibi parauit, non ad cultum quidem, sed ad memoraculum, ut per illud posteris significaret & ad memoriam reduceret mirabilem illam à deo collatam sibi uictoriam. Initio itaq; non admodum grande scelus erat, temporum successione increuit amplius. Nam sacra historia testatur et ait, Fornicatiq; sunt omnes Izraelitæ post ipsum in Ophra, & factum est ipsi Gedeoni & domui eius in ruinam. Verbum domini consuluisset Gedeon, & nõ animi sui intentionẽ bonam, si sapuisset. Quod si Cæsares Augusti & ecclesiarum antistites clari scripturã consuluissent, haud dubie non aperuissent mortuorũ sepulchra neq; ossa ad cultum exposuissent. Cui enim diuo quantumuis laudato, istud uel in ueteri uel nouo testamẽto contigit? De Mose scriptura dicit, Mortuus est igitur in monte Nebo Moses seruus domini, in terra Moab, iuxta uerbũ domini: & sepeliuit eum in uale in terra Moab, contra Bethpeor, & nullus hominũ cognouit sepulchrũ eius usq; in hodiernũ diem. Mortuus quidem & sepultus dicitur Moses, sed non exprimitur quis eũ sepeliuerit, attamen uerisimile est quod deus ipsum angelorum ministerio mãdauerit telluri. Proinde nõ est uel canonisatus uel translatus, imò ne hodie

Sanctorũ reliquiæ apud ueteres neque translatæ neq; seruatæ.

hodie quisquam eius sepulchrũ nouit. Quod si ad gloriam dei & hominum salutẽ pertineret corporũ translatio, dominus profecto nõ abscondisset tantas tam dilecti & fidelis serui sui reliquias. Nam Moses citra controuersiam prophetarũ fuit maximus, de quo in libro Numerorum cap. 12. sic legis, Si fuerit uobiscum propheta domini in uisione cognoscar ab eo, atq; in somno loquar cũ eo. Non talis est seruus meus Moses, qui in uniuersa domo mea est fidelis. Ore ad os loquor cũ eo, nõ in ænigmatibus & similitudine uidet dominũ. Citat præterea eum locũ D. Paulus in epistola ad Hebræos; & tamen uir tantus non transfertur nec ponitur in aureum aut argenteum loculum, nulla ei basilica extruitur, non circumfertur in pompa & frequenti superstitiosorum turba hominum. Neq; uero deerant isti rei cõficiundæ homines idonei qui sponte aliâs negotium perfecissent nullisq; pepercissent sumptibus. Præterea scriptum est in apocryphis certamen obortũ esse inter angelos & diabolum super corpore Mosis, cuius quidem & Iudas in epistola sua meminit, nimirum quod diabolus conaretur corpus uiri dei seruare & hominibus superstitiosis proferre ad cultum, angeli contra boni offendiculum præsentientes, ueræ pietati & saluti hominum consulere satagerent. Solius Iosephi corpus uel ossa in sarcophago retenta tradita referuntur in sacris populo Izraelitico, sed non ad cultum. Nemo enim ante Iosephi tumbam procumbebat aut geniculabatur, nemo inferebat arcam in oratoriũ publicum, nemo incendebat ipsi cereos. Ioseph autem hac ratione uoluit populi sui fidem in promissionẽ dei de hæreditanda terra Chananitica adiuuare. Ita enim dixit ad fratres suos, En ego morior & dominus uisita

bit uos, & educet uos è terra hac in terram quam promisit patribus nostris. Et iterum adiurans fratres suos ait, Certo uisitabit uos deus, & asportabitis ossa mea hinc. Paulus quoq; fidelissimus huius facti interpres, Per fidem, inquit, Ioseph moriens egressionis filiorum meminit, deq; ossibus suis mandauit. Id est, quia nihil dubitauit de uerbo & promissione dei, iccirco iussit fratres suos ossa sua ad egressum ex Aegypto secũ asportare in terrã Chanaan. Tam uidelicet de Deo securus ac certus erat, fore ut populus Izraelis duceretur ex Aegypto in terrã Chanaan patribus promissam. Post Mosen inter prophetas nõ uixere celebriores Samuele & Helia. At non legimus illi ullam memoriam fuisse cõstitutam. Nam scriptura sacra simpliciter de morte & sepultura eius sic testatur: Mortuus est autem Samuel & congregati sunt omnes Izraelitæ & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Rama. Hic aũt uiuus integer anima & corpore, curru igneo, translatus est non in basilicam aliquam sed in cœlum, partim ut in eo exemplo haberemus specimen immortalitatis & præmij excellentissimi ac incomparabilis, quod deus prophetis suis fidelibus parauit, partim ut hominibus præriperetur omnis occasio colendi sancti corpus. Hac causa credimus et Deiparæ uirginis Mariæ purissimum thalamum & spiritus sancti templũ, hoc est sacrosanctum corpus eius deportatum esse ab angelis in cœlum. De Heliseo narrat scriptura, Mortuus est autem Heliseus, & sepelierũt eum, uenerũtq; turmæ Moabiticæ in terram: & factum est cum quidã sepelirent hominem et uiderent turmam, proiecerunt mortuum in sepulchrũ Heliſei, qui deuolutus tetigit ossa Heliſei, atq; reuixit, stans super pedes suos. Et tamen

men post miraculũ tantũ non legis ossa esse uel translata, uel peregrinationem ad S. Helíseum institutam, uel templum extructum. In Ecclesiastico legis, In uita sua fecit monstra Helíseus & in morte mirabilia operatus est. Nam mortuum prophetauit corpus eius, attamen in istis omnibus non pœnituit populus & non recessit à peccatis suis. Constat igitur hoc miraculum æditum esse non ad docendum cultum deorum, sed ad inculcandam pœnitentiam populo, Vnde diserte dicitur mortuum corpus prophetasse. Sub Iosía príncipe sancto, cum ossa pseudoprophetarũ cremarentur uiri dei sepulchrum seruatum legitur non dirutũ: uerum ideo nullus illi cultus instituitur. Inter natos mulierũ non surrexit maior, uel Christo teste, Baptista Ioanne, sed Matthæus in historia euangelica, Cæso Ioanne accesserunt discípuli eius, inquit, & sustulerunt corpus eius ac sepelierunt. De Stephano primo Christi martyre scribit Lucas in Actis, Curauerũt unà Stephanũ uiri religiosi, feceruntq; planctum magnũ super eum. Quod si salubris & utilis esset ecclesiæ Christi corporum translatio, profecto ea non caruisset uetus illa ante Christum & primitiua apostolicaq; ecclesía. Et si domino placeret seruos suos quos honorare uult isto modo honerare, haud dubie honoribus illis nõ caruissent tanti serui dei. Proinde nemo miret quod religiosissimorum alioqui regum, príncipum & sacerdotum facta scripturis contraria approbare nolui, & quod S. Hieronymi argumenta propemodum betacea appellaui. Merito enim pluris facio scripturæ sanctæ argumenta & exempla, cuius authoritas omnibus sancta, certa, indubitata & inuiolabilis esse debet.

Fateor autem ingenue ueras prophetarum, apo-

Veræ sanctorũ reliquiæ.

stolorum, martyrum & omnium sanctorũ priscorum olim in uera fide Christi mortuorum reliquias & monimẽta siue memorias uel pura uitæ fideiue exempla, uel literas esse quas post se reliquerunt, nõ corpora sepulta. Habent sanè corpora suam quoq; spem & gloriam, de qua alibi diximus, uerum nos in sanctis dei non carnem, non sanguinem, non ossa, non staturam & habitum corporis miramur, sed animum sanctum, pium, diuinum, purum, syncerum, incorruptum, integrum. At exempla uitæ siue libri testimonia et indices adeoq; & specula quædam formæq; expressissimæ animi sunt: igitur ueræ sanctorum reliquiæ ipsa inquam sanctorum pietas & libri eorũ uenerandi sunt, in quibus animum & spiritum illum suum planè nobis delinearunt & ceu testamento delegarunt. Cæterum præposterè religiosi uidentur illi qui craneum decaluatũ deosculantur, & ipsum capitis sensum non magni faciunt. Redimus iam ad alia quoque S. Hieronymi argumenta excutienda.

Excutiuntur & alia quædam S. Hieronymi contra Vigilantium argumenta. Cap. XVII.

QVid uero iniquius, quàm quod tãtus uir sic argumentatur? Scribit aduersum hæresim tuam quæ olim erupit aduersum ecclesiam, ne & in hoc quasi repertor noui sceleris glorieris, Tertullianus uir eruditissimus insigne uolumẽ quod Scorpiacum uocat, rectissimo nomine, quia arcuato uulnere in ecclesiæ corpus uenena diffudit, quæ olim appellabatur Caina hæresis, & multo tẽpore dormiens uel sepulta nunc à Dormitantio est suscitata. Hæc Hieronymi uerba sunt. Liber autem quem allegat Tertulliani, non

ni, nõ extat, sicut huius uiri & alia, extat tamen Liber de hæresibus, in quo nihil tale de Cainis inuenias. Nã ubi differit de Ophitarum & Chaldæorum, qui Caini sunt, erroribus, dicit Cainos docuisse carnis non esse sperandam salutem. Vnde fortassis Hieronymus ansam sumpsit hæresim eiaculandi in Vigilantium, quasi is carnis resurrectionem neget, qui carnis ueneratio nem prohibet. Nã paulò ante idẽ Hieronymus, Mortuum, inquit, suspicaris, & iccirco blasphemas. Lege euangelium, Deus Abraham & deus Isaac & deus Iacob, non est deus mortuorum sed uiuorum. Et iterum ἐρωνεκῶς dicit, Errant episcopi qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum in quibus puluis uilissimus. Interim uero non negabat Vigilantius carnis salutem uel resurrectionem, sed cultui superstitioso resistebat. Proinde translatione et uersutia forensi uidetur Hierony. illa produxisse in Vigilantium, inuidiæ faciundæ gratia. Qui copijs diffidunt Imperatores aperto Marte urbes non oppugnant, sed ad cuniculorum uertuntur latrocinia. Pari ratione ex obliquo argumentorum exercitum ducit Hierony. nimirum ut arcuato uulnere perimat, qui ut militari sternat nihil habet. Quo illas quoq; sequelas pertinere arbitror, quæ ad inuidiam faciendam nõ ad respondendum inducuntur. Cuius quidem generis illud est quod sequitur, Miror quod non dicas nequaq; perpetranda esse martyria: quod cum dixeris, imò & si non dixeris, ita habeberis quasi dixeris, &c. Hoc autem quid aliud est obsecro quàm calumniari? At quis dixerit sic à cordato & æquo antagonista commode responderi? Fateor Tertullianum carni humanæ tribuisse plurimum, sed illud non tribuit, quod Hieronymus

Hæresis Cainitarum.

uideri uult, reſuſcitandam credit, colendã non credit. Legatur elegans eius liber quẽ de Reſurrectione carnis ſcripſit. Fateor item ab ipſis etiam Apoſtolorũ temporibus hæreſim eorum cœpiſſe, qui carnis negarunt ſalutẽ: ſed nemo fuit ante Hierony. cuius lucubrationes in meas manus peruenerint, qui tanta cõfidentia oſſium, fauillarum atq; cinerũ cultum propugnarit. S. Auguſtinus in libello ſuo de hæreſibus tradit Cainos nimia mentis caligine cæcatos adoraſſe hominem Cain: & Hieronymum non pudet eos appellare Cainitas qui homines & hominum oſſa adorare nolumus. Aptius ſanè hæreret illis fœdus ille titulus, qui hominum mortuorum cultum docent & defendunt.

Hæreſis Eunomianorum.

Huic haud abſimile eſt quod paulò ante ſic producit, Rides de reliquijs martyrũ & cum authore huius hæreſeos Eunomio, eccleſijs Chriſti calumniã ſtruis, nec tali ſocietate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra eccleſiam loquitur? Omnes enim ſectatores eius baſilicas Apoſtolorum & Martyrũ nõ ingrediuntur, ut ſcilicet mortuũ adorent Eunomiũ, cuius libros maioris authoritatis arbitrantur q̃ euangelia. Hactenus Hierony. qui admodum acer & uehemens eſt, et mirifice gaudet totus q̃ regnat in hyperbolicis loquutionibus & exaggerationibus. Negotium reuera ſic habet. Fuit Eunomius Arrij portio ingens, ideo diuinitatem Chriſti negabat, unde non poterat non aſpernari apoſtolorum & martyrũ de Chriſto teſtimonia, ſed & ipſa ſanctorũ corpora & quæ circa hæc miracula Chriſti uirtus in argumentum diuinitatis effecit. Aediderat libros contra Chriſtum, & miracula ſanctorum apoſtolorum uirtuti tribuebat ſathanicæ. Id quod ſequentia quoq; Hierony. uerba teſtabuntur.

buntur. Ait enim, Nisi forte in morem Gentilium impiorumq; Porphyrij & Eunomij has præstigias dæmonum esse confingas, & nõ uere clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Proinde contemnebat sanctorum corpora & quæ circa hæc fiebant uirtutes. Eunomius, quia contemnebat Christum dei filium. Quod si Christum fuisset amplexus, testes Christi non reiecisset. Cæterum qui aliquem nomine Christi recipit, non mox recipit ut colat aut ut adoret. Solus deus adorandus est & colendus, atque ideo apostolos & martyres Christi recipimus, quia solũ adorare ac colere docuerunt. Videmus ergo & hæc sicut & superiora magis forensi processu, quàm modesta & theologica collatione ab Hieronymo producta esse. Non negabat diuinitatem Iesu Christi Vigilantius, neq; reijciebat, aut calcanda esse docebat corpora martyrum, aut quæ circa ipsa fiebant miracula, quemadmodũ ex damnata perfidia fecerat Eunomius, sed unũ iubebat colere deum, quem martyres prædicassent, quo & miracula ædita pertraherent: ossa mortuorum uenerari prohibebat: nihilominus orthodoxe sentientem de Christo & diuinitate eius, urget Hierony. hæretici probroso & omnibus exoso uocabulo, cum non ignorare potuit Eunomij & Vigilantij fidem longe lateq; inter se discrepare. Sed tradunt hoc rhetores ut illos personis nominibus & titulis inuisis urgeamus, quos iustis argumentis conuincere non possumus.

Hæc autem hactenus ad Hierony. argumenta contra Vigilantium conscripta & ædita respondere ideo uolui, quod uideã multos esse uiros bonos qui sibi metuunt à labe & crimine siue nota hæreseos, & qui toti adhuc pendent ab authoritate S. Hieronymi. Viderũt

hi, opinor, quàm infirmis nitatur argumentis orator et disputator alioqui illustrissimus & inuictissimus. Viderunt immerito hæreseos telum ab Ophitis siue Cainis & Eunomio petitum retortum esse in Vigilantium, & filium dei & resurrectionem carnis confitentem. Proinde nõ est quod metuant uel Ophiticam uel Eunomianam maculam: plus deferent indubitatis scripturarum testimonijs, quàm argumentis Hieronymi inualidis: maxime cum non ideo credendũ sit cuiquam hominũ in rebus religionis præcipue quia uel sanctus est uel eruditus, sed quia id quod docendum sibi sumpsit sacrarum literarum testimonijs docere & approbare potest. Illa uero quæ hic disputauimus non ex affectu in uituperium aut criminationem sancti uiri disputauimus, sed in ueritatis patrocinium & commodum Lectorum. Per cætera agnosco eximia dei dona in hoc seruo Christi, linguarum peritiam, eloquentiam, explanandi perspicuitatem, disputandi artem, ardorem non tepidum, diligẽtiam admirabilem, & patientiam laborum planè infractam.

Recensentur scripturæ loci qui uidentur docere Intercessionem & Inuocationem sanctorum, & explicantur. Cap. XVIII.

QVando autem in confutationem eorum incidimus quibus ueteres Orationem sanctorum in cœlo pro nobis & cultum reliquiarũ defensa putarunt, unde demum error Intercessionis & Inuocationis sanctorum dimanauit, agè addamus his & ea argumẽta quibus hodie nostri homines utuntur ad tradendam defendendamq; sanctorum & intercessionem & inuocationem. Ex scripturis sanctis hæc proferunt

proferunt testimonia. Gene. 48. dicit Iacob, Angelus qui redemit me ab omni malo benedicat pueros istos, & inuocetur nomen meum super ipsos, & nomen patrum meorum Abrahã & Isaac. In eo testimonio duo urgent, Prius quod Iacob se fatetur redemptũ esse ab angelo, & quod hic benedicat. Posterius quod clare dixit, Inuocetur nomen meum & patrum meorũ super ipsos: id enim tantundem ualere, quantum si dixisset, Inuocabunt nomen meum & nomen patrum meorũ. 1

Huic addũt locum Exodi 32. cap. ubi Moses orat, Recordare domine Abrahã, Isaac & Izrael seruorũ tuorum, quibus iurasti per temetipsum, &c. En, inquiũt, Moses orat pro populo, & orat per nomen sanctorum patriarcharum demortuorum. Addunt et aliud ex 19. cap. 4. lib. Regum, Ego protegam ciuitatem istam ait dominus, ut saluẽ eam propter me, & propter Dauid seruum meum. An non apertũ est, inquiunt, propter merita & preces sanctorum parci peccatoribus, integrasq; gentes & urbes illorũ patrocinio seruari? Rursus ex Zachariæ 1. cap. hoc proferũt, Et dixit angelus domini, Domine exercituum usquequo tu non miserebéris Hierusalem & ciuitatum Iuda, quibus iratus fuisti? Ex eo planum est, aiunt, angelos nostra sollicitari miseria & orare pro nobis. Idem sunt hominum custodes & comites adeoq; & duces. Nã in 23. cap. Exodi legitur, Ecce ego mitto angelũ meum, ait dominus, ante faciem tuam, ut custodiat te in uia, & introducat te in locum quem tibi paraui. Et in Psalmis, Angelis suis mandauit de te, ut in omnibus uijs tuis custodiant te, & ut manibus suis tollant te, ne uspiã impingas in lapides pedem tuum. Dicuntur angeli & præsides regnorum, quod ipsis sint creditæ prouinciæ, ut uidere 2 3 4

5 est Danielis 10. Ex 5. cap. Iob illud citant, Voca obsecro, est ne aliquis qui respondeat tibi: & ad aliquem sanctorũ cõuertere. Palàm iubemur nos ad sanctos in
6 tribulationibus conuertere. Ex Apocalypsi proponũt duos locos, Priorẽ ex 5. cap. Et cũ accepisset librũ, quatuor animalia & uiginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramẽtorum, quæ sunt precationes sanctorum. Posteriorem ex cap. 8. Et alius angelus uenit & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de precationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus de precibus sanctorũ
7 è manu angeli coram deo. Iam & ex Apocryphis duo proferunt, Prius ex 3. cap. Baruch, Domine omnipo-
8 tens deus Izrael, audi nunc orationem mortuorũ Izrael. Posterius ex 15. cap. 2. lib. Machabæorum, ubi Iudas Machabæus manifeste uidet & audit defunctos
9 Oniam & Ieremiã orare pro populo Iudaico. Ex Psalmis autem illa duo obijciunt testimonia. Primum ex Psal. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiã meã dño, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac
10 orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Secundũ ex Psal. 150. Laudate dñm in sanctis eius, &c.

Plura isti habent quæ pro cõfirmatione erroris sui proferunt, uerũ ne rerũ confusio Lectori offundat obscuritatem, primum ad ea quæ proposita sunt quanta possum breuitate respondebo, deinde alia quoq; istorum argumenta subiungam. Et principio ad ea quæ
1 & 4 in genere de Angelis obiecta sunt, hos benedicere & orare pro nobis, hos esse præsides, duces custodesq; et hominum & regnorum, malumus Veterum respon-

siones

siones quàm nostras rationes proferre. Lactantius ergo lib. Institut. 2. cap. 17. Deus, inquit, neque nomine cum solus sit, eget, neq; angeli cum sint immortales dici se Deos aut patiuntur aut uolunt, quorũ unum solumq; officiũ est seruire nutibus dei, nec omnino quic quam nisi iussu eius facere. Sic enim mundum à Deo regi dicimus, ut à rectore prouinciam: cuius apparitores nemo socios esse in regẽda ꝓuincia dixerit, quamuis illorum ministerio res geratur. Et hi tamẽ possunt aliquid præter iussa rectoris, per ipsius ignorantiam, quæ est conditionis humanæ. Ille autem præses mundi & rector uniuersi qui scit omnia, cuius diuinis oculis nihil septum est, solus habet rerum omnium cum filio suo potestatem, nec est in angelis quicquam nisi parendi necessitas. Itaq; nullum honorem sibi tribui uolunt, quorum honor in deo est. Illi autem qui desciuerunt à dei ministerio, quia sunt ueritatis inimici et præuaricatores, Dei nomen sibi & cultum Deorum uendicare conantur. Cum his Lactantij uerbis consentiunt per omnia quæ in hæc uerba scripsit S. Augustinus lib. de Ciuit. dei 10. cap. 12. Quæcunque miracula siue per angelos, siue quocunq; modo ita diuinitus fiunt, ut dei unius, in quo solo beata uita est, cultum religionemq; commendent, ea uere ab eis uel per eos qui nos secundum ueritatẽ pietatemq; diligunt, fieri ipso deo in illis operante credendum est. Et mox, Et cum exaudiunt angeli eius, ipse in eis exaudit, tanquam in uero nec manufacto templo suo, &c. Et in cap. 16. Si qui ergo angeli sibi expetunt sacrificium, inquit, præponendi eis sunt qui non sibi sed deo creatori omniũ cui seruiunt. Hinc enim ostendũt quàm syncero amore nos diligunt, quando per sacrificium non sibi, sed ei

Operari Deum per angelos, sed opus ipsum & gloriã omnem Deo esse tribuendam.

nos subdere uolunt, cuius & ipsi contemplatione beati sunt, & ad eum nos peruenire quærunt, à quo ipsi non recesserunt, &c. Et quamuis hæc ad obiecta de Angelis omnia semel satis esse queant homini non contentioso, adijciemus tamen & paucula illa perspicuitatis gratia, Angelis uidelicet id tribui ut remotiori causſæ, quod reuera domini proprium est, angelorum ut ministrorum instrumẽtorumq; attributum magis. Nam in Exodo dominus planis uerbis de angelo suo pronunciat, Nomen meum est in medio illius: quod quid aliud est, q̃, Quod ille agit, nomine meo, uirtute, iussu & potentia mea agit. Ita Stephanus quoque, Expletis, inquit annis XL. apparuit illi in deserto in monte Sina angelus domini. Et mox addit, Et facta est uox domini ad eũ, Ego sum Deus patris tui, deus Abraham, deus Isaac & deus Iacob. En aperte deum uocat quem iam appellarat angelum, nimirum quod intelligeret angelum dei nomine & iussu facere quod faciebat. Cũ illo congruit quod dicitur angelus domini liberasse urbem Hierosolymorum, cæsis ex Assyriorum exercitu centũ & octogintaquinq; millibus hominum: & quod Isaię 37. cap. legimus, Ego protegam ciuitatem istam, ait dominus. Rursus angeli in multis gessere Christi domini typum. Hinc Augustinus lib. Quæstio. in Exodum 2. cap. 3. Clamauit ad eum dominus, inquit, de rubo. Dominus in angelo, an dominus angelus ille, qui dictus est magni consilij angelus? & intelligitur Christus. Quò fortassis & illud pertinet quod apud Tertullianum in lib. contra Praxeam sic legimus, Filius est qui & ab initio iudicauit turrim superbissimam elidens linguasq; dispersens, orbem totum aquarum uiolentia puniens, pluens super Sodomam.

Christus magni consilij angelus.

mam & Gomorram ignem & sulphurem, deus à deo. Ipse enim & ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usq; ad Patriarchas & Prophetas, in uisione, in somno, in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper quæ erat persequuturus infinita, semper ediscebat & deus in terris cum hominibus conuersari, non alius quàm sermo qui caro erat futurus. Ediscebat autem ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus filiũ dei descendisse in sæculum, & retro tale quid gestum cognosceremus. Ergo nil mirum est si liberatio & id genus alia complura tribuantur in scriptura angelis. Nam propter Christum saluatorem tribuuntur. Hic cum sit benedicto Abrahæ promissa, non potuit Izrael melius animi sui fidem exprimere quàm illis uerbis, Angelus qui redemit me ab omni malo, benedicat pueros istos. Nam intellexit magni consilij angelum, dominum Iesum, qui est benedictio, salus, iustitia & sanctificatio populi sui.

Quod autem apud Zachariam dicitur angelus domini conqueri & angi propter populi Izraelitici exilium, adeoq; & orare dominũ, ut misereatur eius, hypotyposis siue suffiguratio est rei præsentis. Obijciuntur sæpe prophetis huiusmodi spectra, & proferuntur narrationes fictæ, nõ ut historiæ, sed sicut docendi exemplaria ac formæ, non ut in his hæreamus, sed ut ex comparatione propositam rem rectius faciliusq; intelligamus. Micheas coram regibus Achab & Iosaphat prophetans clamat, Vidi dominum sedentẽ super solium suum, & cunctus exercitus cœlorũ stabat iuxta eum, ad dextram eius & ad sinistram eius. Et dixit dominus, Quis persuadebit Achab ut ascendat & cadat in Ramoth Gilead: & dixit unus sic, alius uero sic. E-

Angelus in Zacharia orat pro populo.

greſſus autem ſpiritus quidam ſtetit coram domino, & ait, Ego perſuadebo ei. Et ait dominus ad eum, In quo? Et ille ait, Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit, Perſuadebis & prævalebis, egredere igitur & fac ſic. Hæc hypotypoſis eſt. At quis hinc colligat ad eum quem audiuit modum communicare cum ſpiritibus conſilia, & per interualla planè humano more pferre decreta ſua deũ? Satis eſt autem ſi collatione quadam ex illa ſuffiguratione intelligamus Deum ipſi Achab iratum eſſe, atq; ideo decreuiſſe iuſto iudicio illum mendacijs pſeudoprophetarum ad lanienam & ad necem adducere uel le qui ueritati aurẽ accõmodare renuit. Ita apud Zachariam ſatis fuerit intelligere, Deum hypotypoſi quadam demonſtrare prophetæ, quod ipſum populi ſui abunde hactenus afflicti miſereatur, & quod iam ſtatuerit flagellũ transferre in Gentes barbaras, quæ populum dei hucuſq; afflixerunt. Id cum ſimpliciter potuiſſet pronunciare, maluit tamen propter ἐνεργίαμ & euidentiam in ſchemate proponere. Loquutionum ergo ſcripturæ ignari ſunt, qui ex huiuſmodi figuris colligunt ſanctorũ patrocinia. De miſericordia, auxilio & iuſto dei iudicio loquebatur in præſenti propheta, nihil autem de ſanctorum patrocinio: oportebat ergo in ſtatu & conſilio authoris perſtare, & non aliena & nihil ad rem facientia proferre. Iam ut donemus iſtos orare & pro nobis eſſe ſollicitos, quantulũ id quæſo proderit nobis, niſi prius deo ſimus reconciliati? Dicebat ad Moſen dominus, Vade & aſcende hinc tu & populus quem eduxiſti de terra Aegypti, ad terram quam promiſi patribus tuis: & mittam ante te angelũ meum, ego autem non aſcendam in medio tui, eò quod

Irreconciliatis nihil proſunt preces ſanctorum.

quod populus sis duræ ceruicis, ne forte cõsumam te in uia. En promittebat dominus angelũ & angeli ductum atq; custodiã Mosi ac populo eius: sed audi quid mox sequatur, Audiens autem populus uerbũ istud malum, luxerũt, nec posuit ullus ornamentum suum super se. Verbum malum uocat scriptura auxilium et custodiam angelorum, cum deum adhuc iratum nec reconciliatum nobis habemus. Igitur Moses totus in hoc est ut reconcilietur dominus. Hoc autem neq; ambit neq; efficit, preces & orationes angelorum petendo, sed totum sese deo uiuo, uero & æterno effundendo. Cæterum qui deo reconciliati sunt, intelligunt per Christum dei gratia se deo esse reconciliatos, itaq; à solo deo pendent, in solo exultant, in uno omnia habent, angelorum autem patrocinio opus non habent, uni deo cor contritum & spiritum offerũt humiliatũ. Id quod et angelis gratum est, dicente in euangelio saluatore, angelos gaudere de conuersione peccatorum ad pœnitentiam. Demus ergo operam omnes ut recte conuertamur ad dominum, ut domino recõciliemur, id quod non fiet angelorum intercessione, sed Christi domini gratia & conciliatione. Nónne iuxta apostoli uerbum, omnes angeli sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos qui hæredes erũt salutis? Quin potius ergo miremur, colamus & inuocemus dominum angelorum & hominum, nõ hominum conseruos. Cum Ioannes cecidisset ante pedes angeli audit ab angelo, Vide ne feceris. Cõseruus enim tuus sum & fratrum tuorum prophetarũ, & eorum qui seruant uerba libri huius, Deum adora.

Ad illud autem Inuocetur nomen meum super ipsos, respondemus miseros & indoctos homines nõ in- *Inuocetur nomẽ meũ super eos.*

telligere idiotismũ linguæ sacrę, atq; ideo ex falso colligere falsum. Iacob qui & Izrael adoptabat filios Ioseph, Ephraim et Manassen, in numerum filiorum suorum, uidelicet ut cum his sortirentur æquam hæreditatis portionem. Igitur meum, inquit Iacob, nomen, non filij mei Ioseph, portabunt, appellabunturq; Iacobi siue Izraelis, & non Iosephi filij, aut nepotes mei. Apud Isaiam in cap. 4. clamant mulieres uiduæ, Panẽ nostrũ comedemus, et uestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuũ super nos, & aufer opproprium nostrum. Quis uero hinc colligit mulieres à uiris inuocãdas esse? Atqui similis est utrobiq; loquutio. Dicit autem propheta septem mulieres pro uno uiro delitigaturas: quo schemate magnã figurat uirorum cladem. In ista autem uirorum inopia & raritate, offerent (inquit) mulieres uiro alicui opes suas, cum aliâs à uiris accipiant, non dent, tantum ut inuocetur nomen uiri super eas, id est, ut cognomẽ sortiantur uiri, & auferatur ab ipsis opproprium, hoc est, ut admittantur ad uiri contubernium & concubitũ unde pariant sobolem. Sterilitas enim uitio atq; probro dabatur mulieribus Iudaicis. Et quæ uel hodie in consortium coniugium ue uiri ueniunt mulieres, cognomen à marito accipiunt. Ita enim Corneliam Pisonis uxorem, appellamus Cornelią Pisonis, id quod est super Cornelia inuocari nomen Pisonis. Pari modo et ratione eadem Populus dei et Templum dei dicitur super quod inuocatum est nomen domini, id est quod nomen dei indipiscitur & Populus dei & Templũ dei appellatur: quemadmodũ uidere est Ieremiæ 14. cap. & 3. Reg. 8. Daniel in cap. 9. Domine respice, ait, ciuitatem, super quam inuocatum est nomen tuum, id est,

quæ

quæ tuo nomine appellatur, Ciuitas uidelicet dei.

Quin & isto inscitiã suam produnt quod pro Sanctorum intercessione illud obijciunt quod Moses domino supplicans clamauit, Recordare domine patrũ nostrorum Abraham, Isaac & Iacob, quasi uero id tantundem polleat, quantum id quod nunc in ore habẽt, Sancte Abrahã ora pro nobis, aut condona nobis peccatũ, aut effice tuis apud deũ precibus, ut is nobis condonet peccata. Aliud uero & quod illorum sententiæ uel ex diametro repugnet tradidit Isaias in 63. cap. dicens, Vbi est zelus tuus & fortitudo tua, ô domine, commotio uiscerum tuorum & misericordiarum tuarum, super me continuerunt se? Tu enim es pater noster. Siquidem Abraham non cognouit nos, & Izrael ignorauit nos. Tu uero domine es pater noster, & redemptor noster, à sæculo est nomen tuum. Moses ergo illos non inuocabat quos haud dubie non ignorabat se nescire, uerum deum patrem & redemptorem unicum inuocat, & hunc promissionum suarum commonefacit. Nam apertis uerbis, Recordare, ait, seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, & dixisti ad eos, &c. Ideo ergo dixit, Recordare patrum, quia deus iureiurando interposito promisit patribus se deum fore seminis eorũ, cuius promissionis in præsenti deum commonefecit. Et huc pertinere uidetur quod ipse dominus Exodi 3. dixit, Dominus deus patrum uestrorum deus Abraham, deus Isaac et deus Iacob misit me ad uos: hoc est nomen meum in perpetuũ, & hoc memoriale meum in generationem & generationẽ. Proinde uoluit deus ita appellari, imò & orari, hoc est promissionum suarum, non propter se, sed propter nos commonefieri.

Recordare Abrahã Isaac & Iacob. 2

Similis propemodum ratio est & in illo quo audí-
Protegam ciuitatem illam propter me & propter Dauid seruũ meum.
uimus dixisse dominum, Protegam ciuitatẽ istam propter me & propter Dauid seruũ meum. Nam 2. Reg. cap. 7. promittit Deus Dauidi semen ac regnum cum firmum tum perpetuum, dicens, Cum impleti fuerint dies tui, dormies cum patribus tuis, & ego suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, atque firmabo regnum eius. Ipse ędificabit nomini meo
3 domum, & ego confirmabo solium regni eius usq; in sæculum. Ego ero ei in patrẽ et ipse erit mihi in filium. Et si inique aliquid egerit, castigabo eum uirga humana & plagis filiorũ hominum: misericordia autẽ mea non recedet ab eo, sicut abstuli à Saul, quem sustuli à facie tua. Hæc exponuntur à plerisq; de rege Solomone & regno eius, sed nullus interpretum negat eadem & de semine Dauidis, id est posteris siue sequẽtibus regibus exponi posse. Nam manifestum est plerisq; regibus & ipsi regno parsum esse propter præsentem promissionẽ dei. Certe in rebus Abiæ refricatur hæc promissio. Tertio enim lib. Reg. cap. 15. sic legimus, Non fuit cor Abiæ rectum cum deo, sicut cor Dauidis: sed propter Dauid dedit ei dominus deus eius lucernam in Hierusalem, ut suscitaret filium eius post eum, & firmam faceret Hierusalem. Hoc uero perinde est ac si dixisset, Ideo non perdidit Abiam deus, regnum & urbem regiam, quia promiserat dominus misericordiam suam se à domo Dauidis non ablaturum, neq; unquã permissurum ut careret uel semine regio, uel regnum dilaberetur. Igitur Abiæ parsum esse constat propter promissionem Dauidi factam, necessarium est ergo ut et Ezechiæ parsum sit ppter hanc promissionẽ, ideoq; sententiæ istæ, Protegam ciuitatem istam propter me

& pro-

& propter Dauid seruum meum, &, Protegam ciuitatem istam propter me & propter promissionem Dauidi factam, æquipollent. Poterat & sic responderi, Vrbi & regno parsum esse propter Deum & Christũ eius. Nam prophetæ per antonomasiam ipsum Christum appellarunt Dauidem. Et promissio cuius paulò ante meminimus è 7. cap. 2. libri Regũ reuera in Christo completur. Dominus apud Ezechielẽ in 34. cap. Ego, inquit, suscitabo super oues pastorem unum qui pascat eas, scilicet seruũ meum Dauid: ipse pascet eas, eritq; pastor earum. Ego autẽ dominus ero eis in deũ, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum: ego dominus loquutus sum. Similis locus extat apud Ieremiam in 23. cap. Nemo autem ex omnibus interpretibus locos illos aliter quàm de Christo exposuit, & 10. cap. in euangelio Ioannis coarguit eos de Christo esse exponẽdos. Iccirco pepercit urbi regiæ dominus propter Christum dominum, quem oportebat in urbe Hierosolymorũ inclarescere eiusq; fama & doctrina euangelica inde in totum mundũ propagari. Vnde & Daniel propheta pro reparatione templi & urbis preces ad dominum fundens inter alia orat, Exaudi deus noster orationem serui tui, & illumina faciem tuã super sanctuarium tuum, quod est desolatũ, propter dominum. Quasi dicat, Aliud merebãtur mores nostri, sed memineris domini, id est Christi quem promisisti nobis. Nam per Isaiam & Micheam promiserat, Futurũ est in nouissimo dierum & erit mons domus domini præparatus in uertice montiũ, eleuabiturq; ipse supra uertices, & cõfluent ad eum populi, Ibunt gentes multæ & dicent, Venite, ascendamus in montem domini, & ad domum dei Iacob, & docebit nos de uijs suis, am

bulabimusq; in semitis eius. Quoniam de Zion egredietur lex & uerbum domini de Hierusalem. Iccirco exponentes hanc particulam, Propter Dauid seruum meum, propter Christum qui apud Isaiam in 42. cap. seruus appellatur, nihil peccauimus, nihil noui attulimus, nihil denicq; uerbū dei detorsimus ad impia quædam ac quæstuosa lucra, simplicem potius sensum aperuimus qui permultum facit ad commendandam gloriam Christi.

Cōuertere ad aliquē sanctorū.

Ad uerba Iob siue Eliphacis sic responderunt qui optime responderunt, Iob cōtendit mala non semper accidere ob peccata, idq; suo pbat exemplo. Nam dominus me in hanc calamitatem coniecit, ait, non propter perpetrata scelera, sed p̄ sua bona uolūtate. Hoc non admittunt aduersarij Eliphas in primis, sed conatur probare nemini mala accidere nisi ob peccata, neque pœnam ulli infligi nisi ob culpam, p̄terea docet nos omnes esse peccatores, neminem esse mundum in oculis dei utcunq; hoc pauci agnoscant (Iobem interim occulte taxans, ut qui se quoq; peccatorem nondum agnoscat, sententiam & mentem Iobis non intelligens) auferri ergo eos & succidi in ignorantia sua. Hoc ut clarius fiat & manifestius, Iobē sic alloquitur, Voca aliquem, id est, nomina aliquē. Quasi dicat, Da mihi aliquem qui calamitatem inflictam peccatis suis non commeruerit, uerte te ad aliquem qui sanctus sit. Quasi dicat, Neminem nimirum ostendes: non enim iubentis, sed concedentis more loquitur. Putat enim impossibile esse ut quenquam inueniat, etiamsi maxime quæsierit, qui aduersitatem non commeruerit peccatis suis.

Quod Ioannes in Apocalypsi meminit uigintiquatuor

tuor seniorũ qui in cœlis preces suas deo obtulerint, synekdocha expediri potest. Nam orationis duæ sunt species Inuocatio siue Petitio, & Gratiarumactio siue Laus. Probare hanc partitionem possemus ex 4. cap. Pauli ad Philipp. si necesse esset. Inuocamus cum aliquid nobis dari uel aliquid à nobis auferri petimus. Gratiarumactio, gratulationem, laudes & beneficiorum celebrationem habet. Apostolum autẽ de sequenti non præcedenti specie loquutum esse, id palàm conuincit quod mox sequitur, Et canunt canticũ nouum, dicentes, Dignus es accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, et redemisti nos per sanguinem tuum, ex omni tribu & lingua & populo & natione & fecisti nos deo nostro reges & sacerdotes et regnabimus super terram. Proinde quod sancti in cœlis laudes diuino nomini canunt, quid hoc ad intercessionem beatorum spirituum aut animarũ facit? In 8. cap. aliud non dicitur, quàm quod socias laudes iunxerit seniorũ hymnis angelus. S. Augustinus eum locum explicans, Alius angelus, inquit, ipse est Iesus Christus. Habens thuribulũ aureum) quod est corpus sanctum. Ipse enim dominus factus est thuribulũ, ex quo deus odorem suauitatis accepit, & propitius factus est mundo: quia obtulit seipsum in odorem suauitatis. Et accepit angelus thuribulum, & impleuit illud ex igne altaris.) Accepit Iesus corpus, id est ecclesiam, & perficiendo patris uoluntatem, impleuit illam igne spiritus sancti, &c.

Orationes 24. seniorum in Apocalypsi. 6

Baruch in oratione sua non loquitur de mortuis uita defunctis corporali, sed de sceleratis uiuentibus quidẽ mundo sed deo mortuis; quod schema in sacris frequentissimũ est. In euangelio enim dicit dominus, 7

Sine ut mortui mortuos suos sepeliant. Et Paulus, Vidua in delicijs agens uiuēs mortua est. Nec infrequēs est ut sub tertia persona loquamur de nobisipsis. Et hunc sensum suppeditant diligentius scrutanti præcedentia & consequentia. Alij aliud sequuntur.

Secundus liber Machabæorū docet interuentū & preces sanctorū.

Locus qui ex 2. libro Machab. platus est, nec præceptum nec exemplū habet: uisio est & somniū quodpiam, quo ceu figura quadam repræsentabatur populum Iudaicum à domino non fore deserendum. Quod si intercessionem sanctorum nobis commendaret, sanè Iudas Oniæ & Ieremiæ precibus se commendasset, nunc uero ad unum uerum deum conuersus, in summo discrimine clamat, Tu domine qui misisti angelū tuum sub Ezechia rege Iuda, & interfecisti de castris Senacherib centum octoginta quinq; millia, & nunc dominator cœlorum, mitte angelum tuum bonum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachij tui, ut metuant qui cum blasphemia ueniūt aduersus sanctum populum tuum. Quamuis nemo iure conqueri posset si locum & ex Baruch & ex Machabæis prolatum dissimularem. Carent enim authoritate scripturæ canonicæ. De libro quidem Machabæorū primo melius iudicarūt ueteres quàm de secundo. Et Hieron. in Præfatione lib. Regum, Machabæorum primum librum, inquit, Hebraicum reperi, Secundus Græcus est, quod ex ipsa quidem phrasi probari potest. Idē in Prologo quem præfixit Prouerbijs Solomonis scribit, Machabæorū quidem libros legit ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas nō recipit. Idcirco quod Augustinus lib. de Ciuit. dei 18. cap. 36. dicit illos ab ecclesia haberi pro canonicis, post ætatem S. Hieron. sero tandem factum esse apparet. Quid quod ipse Augusti

nus

nus lib. 2. contra Gaudentij epistо. secundam cap. 23. de ultronea Raziæ morte disputans, palàm in hęc uerba pronuncians dicit, Et hanc quidem scripturã quæ appellatur Machabæorum non habent Iudæi sicut legem & prophetas & Psalmos, quibus dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis, dicẽs, Oportebat impleri omnia quę scripta sunt in lege & prophetis & Psalmis de me, sed recepta est ab ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur uel audiatur. Et paulò post, Non debemus quicquid in scripturis etiã dei testimonio laudatos homines fecisse legimus, consentiendo approbare, sed considerando discernere, adhibentes iudicium non sanè nostræ authoritatis, sed scripturarum diuinarum atq; humanarum, &c. Hæc ille. Quapropter non uideo quid peccemus quod protinus nõ recipimus somnium illud de orantibus in cœlo Onia ac Ieremia, maxime cum nil tale in uniuersa reperias scriptura Canonica. Hoc nomine non semel cogitaui Homelias illas IIII. quæ in operibus Hierony. mox post Commentarios in Ecclesiasten extant titulo Origenis, planè non esse Origenis. In secunda enim hæc uerba inueniuntur, Sed & omnes sancti qui de hac uita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga nos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum & iuuare eos precibus suis atq; interuentu suo apud Deum, non erit incõueniens. Scriptũ nanq; est in Machabæorum libris ita, Hic est Ieremias propheta dei, qui semper orat pro populo. Audis nimirũ quod interuentum sanctorum & preces illorũ in cœlo pro nobis, dogma uidelicet nouum & in libris Canonicis nullibi traditum, testimonio Apocryphi libri docet & confirmat. Ipse enim Origenes, si modo uera

Origenes super Cantica de precibus sanctorum in cœlo.

de eo refert in 6. Eccles. histo. lib. cap. 18. Eusebius, ueteris testamenti libros Canonicos non plures recenset quàm XXII. Machabæorum libros extrinsecus habet. Præterea sanctus Hierony. in Præfatione ad Damasum quam præfixit duobus tractatibus siue homelijs Origenis super Cantica, testatur Origenem super Cantica duos hos tractatus quos ipse uerterit Hieronymus & decem composuisse libros, quos ideo negat se uertisse, quod ingẽtis sit otij laboris & sumptuũ. Et quæ extant hodie Origenis titulo, non Libri sed homeliæ dicuntur, cum tamen ille nullas scripserit nisi duas illas quas uertit Hieronymus. Bruno quoq; Amorbachius felicis memoriæ, incomparabilis eruditionis & pietatis uir, dubitauit & ipse de 4. illis homelijs. Nam arbitratur in ijs esse multa quæ conuincant illas nõ Græci hominis esse sed Latini: & ut Græci fuerint Hierony. tamen ipsas non uertisse. Sed demus illas omnino esse Origenis, an ideo potior nobis erit hominis quàm scripturæ canonicæ (quæ nihil tale nobis tradidit de interuentu sanctorum) authoritas? Quod de charitate proponitur olim explicatum est.

9 Porrò testimonijs illis è libro Psalmorum prolatis mirifice suam ignorantiam & impudentiam produnt homines planè stolidi & indocti. Cum enim Dauid dissereret de Remissione peccatorum & se statueret exemplum diceretq;, Confessus sum peccatum meum et dominus remisit mihi istam peccati mei impietatem: mox intulit, Hoc meo exemplo prouocabuntur multi sancti ac pij homines, ut modo simili apud deum ambiant suorum scelerum ueniam, idq; in tempore inueniendi, id est cum adhuc inueniri potest. Pie enim S. Cyprianus contra Demetrianum dixit, Quando ista hinc

hinc exceſſum fuerit, nullus iam locus pœnitẽtiæ eſt, nullus ſatisfactiõis effectus. Hic uita aut amittitur aut tenetur. Hic ſaluti æternæ cultu dei et fructu fidei prouidetur. Iſti uero ea quæ uiuentium ſunt in terris, tribuunt ſanctis agentibus in cœlo: quod quàm abſurdũ ſit nemo eſt qui non intelligat. Non uident illi fideles in terris adhuc uiuentes, ſanctos appellari in ſcriptura ſancta. Nam Paulus ſcripſit ſanctis qui Romę ſunt, nimirũ Chriſtifidelibus Romæ agentibus. Dicit enim in 1. ad Corinth. 6. cap. Sanctificati eſtis per nomen domini Ieſu & per ſpiritum dei noſtri. Et in Leuitico legis, Sancti eritis mihi quia ſanctus ſum. Proinde qui uoluerit de cœlitibus ſanctis interpretari quæcunque ſcripta ſunt de ſanctis in ſcriptura ſancta, toto aberrabit cœlo. Quanquam non negem alicubi in ſcripturis & patribus appellari ſanctos, qui apud deum uiuunt. Fuerunt pij & docti uiri qui ut ambiguitatem tollerẽt cœlites, diuos, terreſtres autem appellauere ſanctos, non inepte neq; præter rationem: uerum in uocibus nihil rixari libet, modo cuiq; ſuum tribuatur.

Sancti & Diui quomodo differant.

Illud uero mirandum eſt quomodo illa prophetæ uerba, Laudate dominum in ſanctis eius, ad diuorum interceſſionem applicent. Si enim hæc loquutio, Laudate dominum in ſanctis eius, perinde ualet atq; cum ipſi dicunt, Inuocate ſanctos domini, pari ratione & concomitantia conſequetur tubam citharã & tympanum eſſe inuocandum. Nam ſequitur, Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in cithara & tympano. Cæterum catholica ueritas ſic legit & intelligit prophetæ uerba, Laudate dominum in ſancto, uel in ſanctitate eius, id eſt, Laudate eum qui habitat in cœlo. Nam in Pſal. 134. canitur, Suſtollite manus ueſtras ad ſancta,

Laudate dominum in ſanctis eius.

& benedicite domino: quod perinde est ac si dixisset, Sublatis in cœlum manibus laudate dominum & agite ipsi pro beneficijs gratias. Huic subiungitur quibus instrumẽtis laudare, imò quomodo animi laudes et lætitiam attestari debeant, tuba, cithara & tympano. Et hæc respondimus hactenus ad scripturæ locos, quos pro intercessione & inuocatione deorũ protulere aduersarij.

Recensentur etiam alia aduersariorum argumenta pro intercessione & inuocatione diuorum, & diluuntur. Cap. XIX.

REcenseamus nunc & alia aduersariorũ pro
1 intercessione et inuocatiõe diuorũ argumenta. Ante omnia afferunt exemplum sanctissimi imperatoris Theodosij, de quo Ruffinus in 11. lib. historiæ Ecclesiast. sic scribit, Circumibat cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante martyrũ & apostolorum thecas iacebat cilitio prostratus, & au
2 xilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat. Deinde magna cum exaggeratione Diuorum uirtutes prædicant. Cui expositioni mox addunt, Quod si non intercederent aut pro nobis solliciti essent sancti, si eorum preces deo non forent gratæ, profecto deus tanta
3 signa in nomine ipsorum non faceret. Huius generis est quod mirifice commendant eorum felicitatẽ in rebus omnibus qui diuos coluere, & eorum infortu-
4 nia, qui ipsorum neglexere cultum. Rursus non existimant uerisimile, ut qui festa & celebritates sanctorũ instituere prisci, non crediderint ipsos & inuocari & coli debere.
5 Præterea uetustissimus, inquiunt, est hic diuos inuocandi mos. Nã ut alia multa taceamus, an non oriens & occidens sæculis iam multis orauit atq; cantauit,

cantauit, Sancta Maria, ora pro nobis. Omnes sancti, orate pro nobis: an non uetustissimum inuentum sanctorum patrum est Litania? Profecto haud uerisimile est tot sæculis tot sanctos & tot doctos uiros imò totam ecclesiam in Inuocatione diuorum aberrasse. Neq; sine ratione iusta existimãt diuorum inuocationem ab ecclesia fuisse receptam: quod sancti apud dominum id meritis suis impetrauerint: unde ecclesia oret, Sanctorum tuorum precibus & meritis concede, ut ab omnibus peccatis absoluti, æterna tecũ uita fruamur. Addunt ordinem quendam esse apud dominum, quo per inferiora et media perueniatur ad supremum, per diuos inquam ad deũ ipsum: perinde ut in terris per principi amicos peruenitur ad ipsum principem. Rursus Impudentia est, inquiunt, si quis cum peccator sit, protinus se ingerat oculis diuinæ maiestatis. Humilitatis est cum nos deo per intercessores commendamus. Iam quod nulla fit mentio intercessionis sanctorum apud populum Iudaicum ante Christũ natum, hinc esse putant quod sancti noui testamenti ueteribus sanctis aliquo modo perfectiores sint. Adiungunt & illud, Fatemur equidem deum per Iesum Christum in primis & ante omnia esse inuocandum, interim uero credimus etiam sanctos inuocari debere & posse. Hæc & his similia pro sua caussa confirmanda adferunt aduersarij, ad quæ adiuuante diuina gratia paucula hæc respondemus.

6 7 8 9 10 11

Theodosius Imperfida sibi sanctorum auxilia poscit.

Principio quod ad factum & exemplum sanctissimi Imperatoris Theodosij attinet, euicimus opinor satis luculentibus testimonijs, cum argumenta quædã S. Hierony. excuteremus, huiusmodi regum et episcoporum exempla, quæ sine authoritate scripturarum 1

proferuntur, maxime in cauſſis uſqueadeò grauibus nihil probare. Non legis in omni ſcriptura ſacra quen quam regum ſe ante thecas iuſtorum proſtrauiſſe, & defunctorũ petiſſe auxilia fida. Omnes enim clamauerunt, Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram. Dominus cuſtodiet te ab omni malo, dominus cuſtodiet animã tuam. Dominus cuſtodiet egreſſum tuum & ingreſſum tuum, amodo & uſq; in ſæculum. Ad hæc apparent Ruffini uerba huiuſcemodi eſſe, ut magis uideantur intelligenda de interceſſione ſanctorum in terris. Videt enim Princeps circumiſſe per omnia oratoria, in quibus collecti erãt cœtus ſanctorum, et horum commendationes apud dominũ fidas expetiſſe, ut uidelicet uictoriam concederet dominus, & ut imperium ipſum ad plurimorum ſalutem conſeruaret incolume. Huius autem ſententiæ ille me locus admonuit qui apud eundem Ruffinum lib. 10. 8. cap. in hæc uerba legit, Interea Conſtantinus pietate fretus, Sarmatas, Gothos, alias q; barbaras natiões, niſi quæ uel amicitijs uel deditione ſui, pacem præuenerant, in ſolo proprio armis edomuit. Et quanto magis ſe religioſius ac humilius deo ſubiecerat, tanto amplius ei deus uniuerſa ſubdebat. Ad Antonium quoq; primum hæremi habitatorem uelut ad unum ex prophetis literas ſupplíciter mittit, ut pro ſe ac liberis ſuis domino ſupplicaret. Ita non ſolum meritis ſuis, ac religione matris, ſed & interceſſione ſanctorum commendabilẽ ſe deo fieri geſtiebat. En ut hic uſurparit interceſſionem ſanctorum, neq; cauſſa eſt ulla uſqueadeò magna, quæ impediat quo minus liceat locum etiam de Theodoſio interpretari de uiuentium in terris ſanctorum interceſſione. Quod uero Theodoretus in

Trip.

Trip. hist. lib. 9. cap. 43. scribit, Theodosio principi apparuisse apostolos Ioannem & Philippum, planè eiusmodi uidetur fuisse uisio, qualis illa est quæ Iudæ Machabæo contigisse dicitur. Nam ut hic per illam institutus est de uictoria, non de inuocatione Oniæ & Ieremiæ, unde & in præsenti periculo Deum non diuos inuocauit. Ita & uisio illa apostolorum Theodosio portendebat uictoriam sibi cõferendam à domino, quem ille, & non apostolos, cum suorum acies conuersas uidisset inuocauit, & dixit, Tu omnipotens deus nosti, quia in nomine Christi filij tui ultionis iustæ, ut puto, prælia ista suscepi, sin secus in me uindica. Si uero cũ caussa probabili, & in te confisus huc ueni, porrige dexteram tuis, ne forte dicant gentes, ubi est deus eorũ? Quò & illud pertinere uidetur quod S. August. lib. de Ciuitate dei 5. cap. 26. de hoc sacratissimo principe attestatur, quod omnem fiduciã suam in deum ut præsidium unicum, cum certissimum tum firmissimum, collocarit.

De Miraculis seu uirtutibus signorũ satis responsum est in superioribus, quibus hæc ne quis conqueratur addimus, Esse & falsa signa, uel quæ ueri similitudine imponunt præstigiæ, uel quæ reuera fiunt sed in subuersionem uidentium. Rursus sunt mendacia signa, quæ cum non sint facta, finguntur tamen esse facta. Possem huius generis plurima proferre exempla, si ijs non scateret totus orbis. De impostoris uero huiusmodi dominus in euangelio dixit, Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem abducantur, si fieri possit, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Et Paulus in 2. ad Thess. 2. cap. de Antichristi regno & uirtutibus pro- *Virtutes signorum. 2*

phetans, scribit, Cuius est aduentus secundum operationem sathanæ, cum omni potentia & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ, in his qui pereunt, pro hoc quod ueritatem dilectionis non receperunt, in hoc ut salui fierent. Et propterea mittet illis deus efficacem illusionem, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, id est, ita puniantur qui non crediderunt ueritati, sed magis approbarunt iniustitiam. Quæ cum ita habeant non audiemus neque recipiemus extra scripturam canonicã ullam confirmationem quæ à signis pro inuocatione deorum deducta est.

Felicitas & infelicitas superstitiosorum.

Prædicatio autem illa felicitatis cultorum deorum splendida eius omnino sermonis me cõmonet, qui ab impijs Ieremiæ obijciebat in hæc uerba, Verbũ quod loquutus es ad nos in nomine domini, non audiemus à te: sed faciemus omne uerbum quod egressum fuerit
3 ex ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli & libemus ei libamina: sicut fecimus nos et patres nostri, reges nostri & principes nostri in ciuitatibus Iuda atq; plateis Hierusalẽ, & saturati sumus panibus, fuimusq; quieti, & malum non uidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, defecimus in omnibus atq; consumpti sumus gladio & fame. Nam ad eundem modum quiritantur & nostri deorum cultores, felicitatem superioris sæculi prædicantes, in quo dij deæq; omnes studiosissime culti sint. Atqui uetus est illa querimonia dei cultu deorũq; neglectu imminui alimoniam. Demetrianus enim & cum hoc Gentilium uulgus dicebat per Christianos fieri quod bella crebrius surgerent, quod lues, quod fames sæuiret, quodq; hymbres et pluuias serena longa suspenderẽt,

& quod

& quod illis deberent imputari omnia ea quibus tum concuciebatur mundus. Verum ad illa sic respondit Cæcilius Cyprianus, ut eadem nos uel hodie à calumniis Papistantium uanumq; deorum cultum asserentium repurgarint. Verum omissis hominum sententijs audiamus quomodo ipse dominus hanc aduersariorum obiectionem tractet apud Oseam. Dicit enim, Fornicata est mater uestra, quia dixit, Vadã post eos qui me amant, & dant mihi panem & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum meum. Et ipsa non cognouit quod ego dederim ei frumentum, uinum et oleum, quodq; multiplicauerim ei argentum & aurum, quæ fecerunt pro Baal. Propterea conuertar & accipiam frumentum meum in tempore suo, & uinum meum in tempore suo, & rapiam lanam meam atq; linum meum, & faciam cessare omne gaudium eius: uastabo quoq; uineam eius & ficulneam eius de quibus dixit, Merces meæ hæ sunt, quas mihi dederunt amatores mei. Et reliqua. Ex ijs intelligimus quantopere displiceat deo felicitatem & fortunam illam externam dijs acceptã referre. Deus enim ut solus affatim largitur oĩa, ita solus pro datore agnosci cupit. Fornicationem appellat, quod isti nuncupãt deuotionem. Deus animas nostras sibi coniugij uinculo copulauit, ut à solo pendeamus quemadmodum à sponso sponsa. Fornicamur ergo cum dona à sponso deo nobis donata, nescio quibus amatoribus, id est dijs accepta ferimus. Deus est qui uitæ nostræ necessaria uictum, amictum & uoluptates moderatas suppeditat, non ut illa impendamus dijs & idolis ipsorum, sed ut ijs fruamur & datori domino agamus gratias. Cæterum isti, Merces meæ, aiebant, hæ sunt, quas mi-

hi dederunt amatores mei. Nostri uero dicunt, Hæc dona beneficentia quidem dei sed sanctorum meritis accepimus. Sunt qui æterni numinis obliti, omnia se sanctorum beneficio accepisse arbitrantur. Vtrisq; dicit dominus, Propterea cõuertar & accipiam frumentum meum, &c. Minatur enim sterilitatem: tam scilicet abest ut obiectione sua quicquam probarint. Credendum potius uidetur ꝓphetæ de uera felicitate differenti atq; in hæc uerba canenti, Beatus uir qui timet dominum, in mandatis eius complacet sibi ualde. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. Opes & diuitiæ in domo eius & iustitia eius manet in perpetuũ. Fidelis dominus in omnibus uerbis suis & sanctus in omnibus operibus suis. Sustentat dominus omnes qui corruunt & erigit omnes depressos. Oculi omniũ in te sperant & tu das illis escam in tempore suo. Aperis tu manum tuam & implebuntur omni benedictione. Prope adest dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inquam qui inuocãt eum in ueritate. Voluntatem timentium se faciet, & clamorem eorũ exaudiet & saluabit eos. Custodit dominus omnes qui ipsum diligũt, & uniuersos impios exterminabit. Hi inquam ueræ felicitatis fontes sunt, ex quibus quisquis biberit omnem felicitatem deo soli, non diuis tribuet. Quod si cui uacat legere, legat obsecro elegantia quædam super hac re apud Eusebium capita, 7. nempe & 8. lib. 9. Eccles. hist. & intelliget parum auspicatum esse deo neglecto diuos uenerari, aut nolle solum deum rite uenerari.

De festis diebus. 4 Allegant ferias siue celebritates sanctorum. Quid uero ad nos feriæ, quas non accepimus ab apostolis neque ab ipso seruatore Christo? At ab his accepimus quæ-

quæcunq; ad ſalutem & ueram pietatem ſpectare uidentur: ergo nihil uel ad ſalutem uel ad pietatem faciunt feriæ. Didicimus olim ex Decalogo & alijs ſcripturarum teſtimonijs ſoli creatori, creaturis nullas celebrare feſtiuitates. Vnde & ueteres cõſtat Memorias inſtituiſſe martyribus, non ferias aut feſtiuitates: id quod in cap. 6. attigimus. Fortaſſis ex his initijs produxere poſteri feſtiuitates ſanctorum. Socrates Conſtantinopolitanus in Trip. hiſt. lib. 9. cap. 38. author eſt, Apoſtolos nullam legẽ uel de Paſchate celebrando ſanxiſſe, ſed eam celebritatẽ inoleuiſſe ex conſuetudine prouinciarum: igitur cui ueriſimile uideatur illos quicquam ſtatuiſſe de Diuorum feſtiuitatibus? Verba hiſtorici ſi quis requirat, hæc ſunt, Igitur nec apoſtolus nec euangelia accedentibus ad prædicationẽ, iugum ſeruitutis impoſuerunt, ſed feſtiuitatẽ Paſchæ & alias celebritates honorandas eſſe dixerunt. Itaq; quoniam amant homines huiuſmodi celebritates eò quod in eis à laboribus requieſcunt, ſinguli per prouincias ſicuti uoluerunt memoriam Salutaris Paſſionis antiquitus ex quadam conſuetudine celebrabant. Non enim hoc Saluator aut noſtri apoſtoli lege prædicauerunt, nec pœnam aut ſupplicium aut maledictũ, ſicut Lex Moſaica Iudæis, nobis euangelia aut apoſtoli ſunt minati, ſed ſolumodo in derogationem Iudæorum quod in feſtiuitatibus homicidiũ cõmiſerint in tempore Azymorum Saluatorẽ paſſum in Euangelijs eſt relatum. Mens nanq; fuit Apoſtolorum non de diebus ſancire feſtiuitatum, ſed conuerſationem rectam & dei prædicare culturã. Mihi ergo uidetur quod ſicut multa alia per prouincias ad conſuetudinem uenerunt, ſic & paſchæ feſtiuitas tradita ſit, eò quod nullus Apoſtolorũ

aliquid hinc ſanxiſſet. Hactenus Socrates. Rurſus recenſuerunt pauciſſimas ferias ipſe quoq; Hierony. & Auguſtinus, ille in Comment. in epiſt. ad Gala. hic uero in epiſt. ad Ianuarium 118. Et quas celebrauere longe alia ratione quàm apud uos moris ſit celebrauere. Præterea nullæ de feriis certæ leges erant latæ apud iſtos. Ante ducentos ſeptuaginta demum annos iſtæ leguntur in leges eſſe redactæ in Conſilio Lugdunen. Id quod & Decreta pontificia teſtantur, in quibus de Conſecr. Diſtinct. 3. cap. Pronunciandum eſt, huiuſmodi legitur conſtitutio, Feriandi per annum iſti ſunt dies, Natale domini, Sancti Stephani, S. Ioānis Euangeliſtæ, Innocentum, S. Silueſtri, Octaua domini theophaniæ, Purificatio S. Mariæ, Sanctū paſcha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Aſcenſio domini, Sancti dies pentecoſtes, S. Ioannis Baptiſtæ, Duodecim apoſtolorum, & maxime ſanctorum Petri & Pauli, qui mundum ſua prædicatione illuminauerunt, S. Laurentij, Aſſumptio S. Mariæ, Natiuitatis ſanctæ Mariæ, Eccleſiæ dedicatio, S. Michaelis archangeli, Dedicatio cuiuſcunq; oratorij, & omnium ſanctorum, & S. Martini, & illæ feſtiuitates quas ſinguli epiſcopi in ſuis epiſcopatibus cū populo collocauerint, quæ uicinis tantū circūmorantibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus. Reliquas uero feſtiuitates per annum non ſunt cogendi ad feriandum nec prohibendi. Hæc uero illa egregia de Feriis lex, & hæc feriarum origo eſt. Qui ſapiunt priſca & apoſtolica ſimplicitate contenti, feſta Pontificiorum nihil morantur, et intelligunt aduerſarios rem nihili probare uelle per rem quæ apud pios nullius planè eſt momenti.

Nihil autem probat uetuſtas quam non prius approbauit

probauit decorauitq; ſcripturæ authoritas. At hæc cũ infinita de inuocando deo exempla & præcepta tradat, de Diuorum inuocatione neq; præceptum ullum, neq; promiſſionem ullam, neq; etiãdens exemplum ullum habet. Quod ſi in præſenti aliquid ualet & efficere poteſt uetuſtas, euicimus haud dubie qui unum & ſolum deum in Chriſto inuocandum eſſe docemus. Nam hæc omnium uetuſtiſſima doctrina eſt, quę multis paraſangis opinionem illam de inuocatione deorũ præcedit. Litania ſero tandem reperta eſt, nec quiſquã ueterum eius uel uerbo meminit. Guilelmus uero Durandus in Ceremoniario ſuo lib. 6. Duplex, inquit, eſt Litania, Maior & Minor. Maior eſt in feſto S. Marci, & inuenta fuit à beato Gregorio, Minor quæ illa uetuſtior, inuenta eſt apud Viennã à beato Mamerto epiſcopo, dum imperaret Zeno imperator. Igitur illa inſtituta eſt circa annum domini 490. hæc uero dum numerarentur anni 590. Eſt autem λιτάνεα uocabulum Græcanicum, & ſignificat ſupplicationẽ, in qua nuncupabantur apud gentes uota diſs donaq; litabantur. Cum autẽ omnis uetuſtas ſoli deo omnia uota ſua per Ieſum Chriſtum nuncuparit donaq; litauerit ſpiritualia, uiderint ipſi quo ſpiritu inſpirati Litanias inſtituerint, in quibus ea gloria quæ uni Chriſto debetur & ſanctis participatur. Priſca enim orientis & occidentis eccleſia catholica annis quingentis & ſexcentis ac amplius ſoli deo per Chriſtum preces ſuas obtulit. Ergo quibus dogma nouum & inſtitutum neotericum ſequi placet, Litaniam à priuatis quibuſdã & ſine exemplo ſcripturæ inuentam eccleſijsq; traditam adorent: ego Chriſtũ ſequendũ eſſe puto, qui dixit, Quæcunq; petieritis à patre meo, in noĩe meo, dabit uobis,

Vetuſtatis authoritas

Litania.

Errantium multitudo.

Itaq; nõ est quod aduersarij nobis obijciant tot sæculorum errores. Nam priscum illud sæculum habent

6 quod sine diuis deum per solum Christum inuocauit: habent scripturam, id est ueritatem canonicã, cui merito credunt. Hæc præiudicat omnibus illis quæ isti nobis magna cõfidentia opponunt. Pręterea solus Helias opposuit sese multis Baalistarum centurijs. Vnus Christus obiecit sese toti sacerdotum ac pharisæorum collegio. Pauci apostoli in uniuersum orbẽ terræ progressi contra se habuerunt multorum sæculorum receptam fidem & consuetudinem, ritus patrios, prudentissimorum, religiosissimorum, iustissimorum (ut uidebatur) uirorum iudicia dicta & facta. Ideo uero ne uera erãt quæ in mundo hactenus tot uiri docti, prudentes & iusti tradiderant, tot regna ac populi tot sæculis obseruarant, falsa contra quæ iam proferebant apostoli homines pauculi, noui, uiles, contempti adeoq; piscatores? Quare autem hi uera tradiderũt, isti uero falsa sequuti sunt? Caussam non deprehendes ex externis: sed quia hi quæcunque tradiderunt ex uoluntate numinis secundum uerbum dei tradiderunt: isti uero sua petierunt ex hominibus de quibus scriptum est, Omnis homo mendax. Certe error est quicquid cum uoluntate æterni dei cum lege & uerbo dei pugnat, uel cum hoc non congruit. Errat itaq; & ecclesia quoties neglecta scriptura suam sequitur intentionẽ. Aberrauit & uetus ante Christum natum ecclesia annis multis, cum uidelicet præcepta dei neglexit, sua placita amauit: id quod uidere est in origine erroris Iudaici circa idololatriam in cap. 11. & 12. Proinde stultissimũ est errores prætextu ecclesiæ defendere uelle, quasi hæc errare non possit, & protinus uera ac recta sint

quæcunq;

quæcunq; facit. Non errat sanè ecclesía cum uocẽ pastoris audit: errat autem planè cum non audit. Prius itaq; est ut inquiramus, an in eo de quo cõtrauertitur uocem pastoris audierit ecclesía. Hoc enim si constet, constabit & factum ecclesiæ recte habere. Isti diuersa uia ingredientes, sic colligunt, Hoc facit & obseruat ecclesía, ergo recte facit. Sed quis non uideat impostores paralogisare non theologicari?

Ratio quam afferunt cur sanctis in cœlo agẽtibus officium intercedendi & opitulandi uirtus siue potestas concessa sit, planè blasphema est. Ita enim sanctorum meritum asserit, ut Christi meritum neget. Licet enim mentio fiat in sacris Meriti sanctorum, proprie tamen præter Christi meritum planè nullum est: gratia potius est & reuera donum est quod in scripturis appellatur meritum sanctorum. Nolo hic mihi credatur, audiatur Christi Apostolus Paulus, aperte sic scribens ad Titum cap. 3. Postquam bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri dei, non ex operibus quæ sunt in iustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulente per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ. Idem clarius ad Ephesios 2. cap. Gratia, inquit, estis seruati per fidẽ, idq; non ex uobis, dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur: nam ipsius sumus figmentũ conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit deus ut in eis ambularemus. Rursus ad Roma. 11. cap. sic argumentatur, Reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerũt. Quod si per gratiam, nõ iam ex operibus: quandoqui-

Merita sanctorum non efficiunt ut intercedant. 7

dem gratia iam nõ est gratia. Sin ex operibus, nõ iam est gratia: quandoquidẽ opus iam non est opus. Aequi pollent autẽ in præsenti negotio opera & merita, quæ D. Apostolus negat ullo pacto cum gratia simul stare posse: unde consequens est Christi negare gratiã, qui sanctorum merita urgent. Nec plura post tam dilucida testimonia proferemus. Nã quis non intelligat sanctos dei gratia per Christum & non per merita sua saluos esse factos, atq; ideo illorum merita, quorũ in scripturis mentio fit, nihil aliud fuisse quàm mera dei dona. Apostolus enim clamat, Quid habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Verum ne aduersarij dicant nos hæretico sen
2. Pet. 3. su Paulina uerba detorquere & corrumpere, non pigebit & Augustini orthodoxi doctoris iudiciũ super hac re de uerbo ad uerbũ huc transferre ex epist. 105. quam Sixto presbytero contra Pelagianos scripsit. In ea, Sicut ergo nemo recte sapit, inquit, recte intelligit, recte consilio ac fortitudine præualet, nemo scienter pius est, uel pie sciens, nemo timore casto deum timet, nisi acceperit spiritum sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientię & pietatis & timoris dei, nec habet quisquam uirtutem ueram, charitatem synceram, continentiam religiosam, nisi per spiritum uirtutis & charitatis & continentiæ. Ita sine spiritu fidei, nõ est recte quisquam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Non quia tot sunt spiritus, sed omnia hæc operatur unus atq; idem spiritus, diuidens propria unicuiq; pro ut uult: quia spiritus ubi uult spirat: sed quod fatendum est, aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adiuuat ut sint fideles, inhabitans adiuuat iam fideles.

Quod

Quod est ergo meritū hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, ET CVM DEVS CORONAT MERITA NOSTRA, NIHIL ALIVD CORONET QVAM MVNERA SVA? Sicut enim ab initio fidei misericordiam consequuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus: sic in fine quod erit in uita æterna, coronabit nos, sicut scriptū est, in miseratione & misericordia. Nō itaq; frustra deo cantat, Et misericordia eius pręueniet me: & misericordia eius subsequetur me. Vnde & ipsa uita æterna, quæ utiq; in fine fine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur. Et reliqua. Sequuntur enim & alia de eadem re supra modum euidentia & clara. Ex illis autem quæ annotauimus & ex sancti Pauli testimonijs claret saluari nos sola dei gratia & meritis Christi, non sanctorum meritis, quæ & ipsa dei dona sunt, neq; talia, qualia prædicant aduersarij, ut uidelicet sanctos constituerint uiuorū intercessores & opitulatores, sed ut beati sint ac iusti in conspectu iudicis. Donauit enim dominus sanctos immortalitate ex gratia, regno autem & regnandi uirtute omnipotenti nō donauit. Quia Deus est omnia in omnibus. Idem constituit filium suum propitiationem pro peccatis mundi, intercessorem & patronum siue aduocatum generis humani, quia filius est, iustus, impollutus, à peccatoribus segregatus, & sacerdos ille in æternum secun-

dum ordinem Melchizedek: Quæ gloria & quæ functio soli filio dei competit. Christi meritum & preces eius duntaxat apud patrẽ ualent, aliorum non ualẽt. Hic enim est de quo Paulus scripsit, Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui est ad dexteram dei & intercedit pro nobis.

8 *Per Christum peruenitur ad deum.*

Fatemur sanè et ordinem & certam rationem apud deum esse, secundum quam illi preces nostræ cõmendentur. Principio enim commendant se illi fideles precibus mutuis. Deinde credunt omnes preces suas deo gratas esse propter Christum & fidem in promissionẽ qua ille se uota nostra recepturum promisit. Et hunc ordinem apud deum esse testis est scriptura. Ordinem uero eum quẽ aduersarij nostri ex suis capitibus confinxerunt, quod scilicet preces nostras diuis primum commendare debeamus, tanquã intercessoribus, qui eas demum ad ipsum deferant principem Deum, non agnoscimus. Alij stultius quiddã et multo uanius commenti, finxerunt peccatores supplicare diuis, hos deinde monere Virginem matrẽ, hanc uero exertis mamillis obtestari filium, qui ultimo omnem caussam in se suscipiat, nudatisq; uulnerum cicatricibus in conspectum irati patris prodeat, à quo tandem impetret quæ in uotis sunt petentiũ. At è quibus scripturis hæc nobis somnia probabunt? An nõ ista deum nobis misanthropon delineant? Proh pudor. Pereant unà cum indignissimis & maxime blasphemis suis gradibus ac picturis homines nephandi. Scriptura nobis deũ proponit per omnia philanthropon & tanquam clementissimum patrem. Et filius in Euangelio secundum Ioannem manifeste dicit, Non dico uobis, quod ego rogaturus sim patrem pro uobis. Ipse enim pater amat uos

uos, quia uos me amastis & credidistis quod à deo exi uerim. Quibus uerbis nihil derogat sacerdotio Christi: alioqui enim satis constat illum esse aduocatum nostrum, qui pro nobis apud patrẽ intercedit: sed fauor dei patris in Christi fideles ostendit, & quod per Christum patri coniuncti sumus, modo in nomine Christi petamus credamusq;. Denicq; monet dominus non opus esse ut crasso modo imaginemur dominum Iesum in cœlo ad dexterã patris uel flexis poplitibus uel uerbis uti uocalibus. Nam uirtus & meritum Christi conciliatoris semper est in cõspectu patris, & propter hoc audiuntur & adiuuantur à deo in terris quotquot auxilia hic sentiunt. Quod ad similitudinem attinet qua existimant ad deum accedi per sanctorum patrocinia, quemadmodum ad principem aliquem peruenitur fauore amicorum principis, dicimus id quidem non simile esse sed dissimile. Nam dominus apud Isaiam in lv. cap. manifeste dicit, Non sunt cogitationes meæ cogitationes uestræ, neq; uiæ uestræ uiæ meæ, dicit dominus. Quomodo cœli celsiores sunt terra, sic altiores sunt uiæ meæ uijs uestris, & cogitationes meæ cogitationibus uestris. Si autem tanta apud eos ualet similitudo humana & authoritas, cur non ualet & illud D. Ambrosij, qui Cõment. in epist. ad Roma. cõtra Gentes paribus propè argumentis suum errorẽ defendentes, sic scribit? Solent misera uti excusatione, dicentes per istos posse ire ad deum sicut per comites peruenitur ad regem. Age nũquid tam demens est aliquis aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam regis uendicet comiti, cum hac de re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure utrei damnentur maiestatis? Et isti non putant reos, qui honorem nominis dei deferunt crea-

turæ, & relicto domino conseruos adorant, quasi sit aliquid plus quod seruitur deo. Nam et ideo ad regem per tribunos & comites itur, quia homo utiq; est rex, & nescit quibus debeat rempublicã credere. Ad deũ autem, quem utiq; nihil latet, omniũ enim merita nouit, promerendum, suffragatore nõ est opus, sed mente deuota. Tantum Ambrosius.

Fidei in deum confidentia et uis.

9 Porrò impudentiam uocant homines impudentissimi constantem sanctamq; fidei confidentiam. Quod si in tormentis peccatorum proxima Christum adire impudentia est, impudens certe fuit illa in Euangelio peccatrix, quæ ingressa ad conuiuium non ad pedes Petri uel Andreæ uel Ioannis sed ad ipsius domini Iesu accidit. Impudens fuit mulier Chananæa quæ tanta constantia & uociferatione Christi non apostolorũ auxilium postulauit, ut hi tandem clamoris pertæsi dixerint, Amitte illam: nam cœlum clamoribus implet, & omnium aures defatigat. Impudens fuit concoctor ille maleq; frugi filius, qui non ambiebat interuentum amicorum patris, sed talem potius rationẽ secum iniebat, Quàm multi mercenarij patris mei abundant panibus, ego uero fame pereo: surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus uocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs tuis. Quid quod Christi etiam sæculo quibusdam uidebatur indignum esse, ut proxima & tanta cum confidentia ad Christum irruerent peccatores? Sed quales illi obsecro erant quibus hoc dolebat? Hostes diuinæ gratiæ, pharisæi & hypocritæ nihil intelligentes euangelicæ doctrinæ. Audiamus itaq; quid de illa peccatorum impudentia pronunciarit ipse dominus, Ad peccatricem dixit, Fides tua sal-

uam

uam te fecit, uade in pace. Ad Chananæã dixit, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. De filio prodigo legis, Cum autẽ adhuc longe abesset, uidit ipsum pater eius, & misericordia motus est, & accurrẽs ruit in collum eius, & osculatus est eum. Cæterum ad inflatos hypocritas dixit dominus, Nõ opus habent qui ualidi sunt medico, sed qui male habent. Nec ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et alibi idem dominus ad peccatores clamat, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Vnde & Paulus ad Timotheum dixit, Certus sermo & dignus quem modis oĩbus amplectamur, quod Iesus Christus uenit in mundum ut peccatores saluos faceret. Et ad Hebræos, Habentes ergo pontificẽ magnum qui penetrauit cœlos Iesum filiũ dei teneamus confessionem. Non enim habemus pontificẽ qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatũ per omnia iuxta similitudinem absq; peccato. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, &c. Hæc audiamus & his credamus potius quàm istis quæ miseri illi afferunt de hypocritica humilitate, quæ aliud non est quàm oligopistia tenuitas uidelicet inopiaq; fidei. Petrus aliquãdo simplici animo & non ficta humilitate sese subijciens domino, clamabat, In æternũ nõ lauabis pedes meos, more huius sæculi indignũ ratus ut suos pedes abluere dei filius lux mundi: uerum mox audit, Nisi te lauero non habebis partem mecum. Indignum & isti putant ut peccatorum sordibus pollutus proxima se in conspectum Christi ingerat, cæterũ nisi ista fidei confidentia ita nos ingeramus in conspectũ Christi, actũ est de salute nostra: non purgabimur à peccatis. Qui

enim Christum ipsum uera fide accedunt ad thronum uidelicet gratiæ, tantũmodo purgantur. Isti patrono siue aduocato opus esse existimant apud deũ, qui peccatores deo commendet. Sanè, uideant modo ne aberrent & eum accedant, quem deus toto mortalium generi patronum dedit, de quo Ioannes in Canonica sua dilucide scripsit, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nõ pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mũdi. Cum ergo fratres habeamus libertatem adeundi in sancta per sanguinẽ Iesu, ea uia quam dedicauit nobis recentem & uiuentem, per uelamentũ, hoc est, per carnem suam, cumq; habeamus sacerdotem magnum præfectũ domui dei, accedamus cum uero corde in certitudine fidei, gratias agentes deo benignissimo qui nobis uiã ad se per filium tam liberaliter apperuit. Proinde qui sibi salutiq; suæ consultum uolunt, ipsum deum per Christum accedant, nec aliorum sibi commendatione post Christum opus esse credant. Suasit hoc ipsum fidelibus & S. Chrysostomus, qui in Homelia de Profectu euangelij sic ait, Non opus est patronis apud deum, neq; multo discursu, ut blandiare alijs, sed licet solus sis patrono q; careas, & per teipsum deum preceris, omnino tamen uoti compos eris. Neq; enim tam facile deus annuit, cum alij pro nobis orãt, ut cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis pleni simus malis. Et iterum idem in eadem Homelia, in hæc uerba, O mulier magna est fides tua, Vides, inquit, quomodo mulier quæ indigna erat, ex assiduitate facta est digna? Vis discere, quod etiam per nosipsos orantes apud deũ plus efficimus, quàm dum alij pro nobis orãt? Clamauit hæc & accesserunt

ſerunt diſcipuli, dicunt, Dimitte eam quia clamat poſt nos. Et ad illos quidem dixit, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Izrael. Quando autem ip ſamet acceſſit & perſeuerauit clamans & dicens, Domine nunquid & catuli edunt de menſa dominorum ſuorum, tunc beneficiũ dedit, & ait, Fiat tibi ſicut uis. Vides quomodo repulit cum alij precarentur, ubi uero ipſamet orãs pro dono clamauit, annuit. Illis dixit, Non ſum miſſus niſi ad oues perditas Izraelis: Huic autem dicit, Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut uis. Hęc Chryſoſtomi ſunt; nec habent aduerſarij quod ad hæc tam plana reſpondere queant.

Iam & in illo malitiam & ignorantiã ſuam produnt quod aiunt ideo paucula aut nulla tradi in ueteri teſtamento de Diuorũ interceſſione & inuocatione quod beati ſpiritus noui teſtamenti, iſtis aliquanto ſint perfectiores. Ergo tot & tam aperta nobis protulere teſtimonia è nouo teſtamento, ſcilicet. E ueteri teſtamento pleraq; citarunt, iam uero ſuij ipſius uel oblitj, uel ſuis præſidijs parum fidentes, nouum proferunt commentum, ſuperioribus omnibus longe inconcinnius, ineptius & malitioſius. Nam malitia eſt quæ hoc fuco argumẽtum ueritatis eludere cupit. Quid enim uerius, quid certius, quid denicq; ſimplicius eſt q̃ quod credimus ueteres Chriſtum præcedentes nulla re ad ſalutẽ neceſſaria caruiſſe? non caruiſſent ergo diuorum inuocatione, ſi ea ad ſalutem conſequendam eſſet neceſſaria. Atqui nulla fit eius mentio in ſacris uel uerbo, compertiſſimum ergo uel ex hoc habemus illam ad ſalutem necq; neceſſariam necq; omnino ullam eſſe. Ignorantia eſt quæ inter utriuſq; teſtamenti ſanctos diſcriminat. Nam par ratio eſt utrorumq;: & ut è ſacris lite-

10 *Sancti ueteris teſtamenti non habiti pro interceſſoribus.*

ris nihil adferam, nónne Hieronymus & Augustinus diuersum tradiderunt? Ille enim aduersus Iouinianū lib. 2. sic scripsit, Quis ignorat sub altera dispensatione dei omnes retro sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc Christiani sunt? Hic autē 1. lib. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. disputans de unitate ecclesiæ & utriusq; populi societate, aperte dixit, Quę peperit Abel & Enoch & Noë & Abraham, ipsa peperit Mosen & prophetas tempore posteriores ante aduentum domini: & quæ istos, ipsa & apostolos & martyres nostros & omnes bonos Christianos. Omnes enim quidem diuersis temporibus nati apparuerunt, sed societate unius populi continentur, & eiusdem ciuitatis ciues labores huius peregrinationis experti sunt, & quidam eorum nunc experiuntur, & usq; in finem cæteri experientur. Cæterum obijciunt, in illo manifeste diuersitatem apparere, quod sancti ante Christi aduentum in limbo patrum sint detenti: post Christum uero protinus in cœlos sub conspectum dei uenerint. Videant autem ipsi quid disputent de limbo patrum: ego sanctos testamenti ueteris, non à conspectu dei abiectos in tenebris egisse & tormenta sensisse, sed in solatio gaudioq; uultus diuini fuisse nihil dubito. Habeo enim scripturam apertissimam, quæ ita me credere docet. Hæc enim manifeste loquitur de ijs qui in uera fide excesserunt, quod additi sint ad populum suum: id quod nemo sanus de sepultura corporis, sed de animæ potius societate & consortio interpretatur, quod scilicet animæ eorum deportatæ sint in sinum Abrahæ. Nam ita legis Gene. 35. de patre nostro Isaac, Fuerunt autem dies Isaac centum & octoginta anni, & expirans mortuus est, collectusq; est ad populos suos, senex &

De limbo patrum.

nex & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau & Iacob & filij sui. Duo autem dicit, Prius, Collectus est ad populos suos. Ad quos obsecro? Ad cœtum & collectionem sanctorum Adæ, Abelis, Enochi, Noë, & in sinum patris sui Abrahæ: igitur prius illud pertinet ad animam. Posterius, Et sepelierunt eum Esau & Iacob filij sui. Id quod ad corpus pertinet nõ ad animam. Ad eundem modum legis & de patriarcha Iacob, Et cessans Iacob præcipere filijs suis collegit pedes suos in lectum, & expirans collectus est ad populos suos. Hæc extant Gen. 49. In sequẽti uero capite adiungitur, Fecerunt ergo ei filij eius sicut præceperat eis. Nam portauerunt eum ad terram Chanaan & sepelierunt eum in spelunca agri duplicis. Vides opinor quàm proprie spiritibus beatis addiderit sancti uiri animam scriptor sacerrimus, corpus autem sepulturæ paternæ. De Dauide legis 3. Reg. 2. Dormiuit itaq; Dauid cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid. Hoc quid aliud est quàm si dixisset? Quemadmodũ maiores Dauidis mortui sunt, ita ipse Dauid quoq; mortuus est. Expirauit enim & animã suam addidit spiritibus beatis, corpus telluri reddidit, anima quiescens apud patres, corpore expectans resuscitationem. Nemo enim ignorat quid de somno sanctorum tradat Apostolus Paulus ex similitudine somni corporalis, qui corpus quidem priuat actionibus & quietum quasiq; exanime retinet, at animam non item. Ita enim & mors in membra imperium habet, non in animã. Hæc migrat in locum suum, corpus resoluitur in terram. Interim sicut corpus post somnũ exurgit ac redit ad officia pristina: ita resuscitabũtur in ultimo die corpora nostra. Egregie ergo & proprie somno cõparatur in scriptu-

ris mors hominis. Ex istis autem quæ hactenus adduximus constare putamus animas sanctorum ueteris testamenti delatas esse in sinum, hoc est consortium & societatem Abrahæ ac beatorum spirituum. Atqui si Euangelium audiamus fatebimur in sinu Abrahæ nullas esse tenebras, tormenta nulla. Dominus enim in Euangelio, Contigit, inquit, ut morereť mendicus & deportaretur ab angelis in sinũ Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est. In tartaro autẽ sublatis oculis, cum esset in tormentis, uidet eminus Lazarum in sinu Abrahæ, clamat ergo & ait, Mitte Lazarum quæso ut intingat extremũ digiti sui in aquã, ac refrigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac. At Abraham dixit, Fili recordare, quod receperis bona tua in uita tua & Lazarus similiter mala, nunc autem hic solatio fruitur, tu uero cruciaris. En quid poterat dici apertius? Solatio fruuntur qui sunt in sinu Abrahæ. Et ut impiorum non sunt ficta tormenta sic neq; beatorum spirituum sunt simulata gaudia. Vere gaudent & lætantur qui sunt in sinu Abrahæ. De uerbis Petri Apostoli non est quod hic multis disputem. Inueniuntur huius quædam in Cõmentarijs nostris, quæ hic repetere non est operæpretium. Fieri potest ut S. Petrus schemate quodam locum beatorũ appellarit carcerẽ, quod obscurius & ueluti eminus conspicerent Christum nondum exhibitum. Præterea legimus ueteres sanctos spe plenos non semel dixisse, Ambulabo in cõspectu domini, in regione uiuorum. Qui autem hoc sperarunt proculdubio non crediderunt aut timuerunt se à morte rapi ad tormenta in tenebras & ad suspiria. Illi ijdem Deo & uultu eius carere & in tenebris uersari non uiuere, sed mori & interire,

terire, uitam gaudia ac mortem crediderunt esse tormenta. Vana itaq; est ratio quam in medium afferunt aduersarij, rursus efficax est collectio nostra qua ita argumentamur, Cum sanctorum utriusq; testamēti par sit ratio, in eo maxime quod neutri senserunt tormenta, sed in lumine uultus dei exultarunt, licet post Christum abundantius, id quod solus nouit dominus, et ecclesia ante Christum natum diuos nō inuocarit, quos tamē credidit uersari in lumine uultus dei, possumus itaq; uel hodie illorum & intercessione & inuocatione citra salutis æternæ detrimentū carere, qui credimus preces ecclesiæ gratas esse deo per Iesum Christum dominum nostrum.

Deum & diuos simul inuocare.

Postremo aiunt se fateri in primis & ante omnia Deum esse inuocandum per Christum. Verum si id faterentur ex animo intelligerēt haud dubie superuacaneam, imò nullā prorsus esse pro qua tantopere digladiantur diuorum intercessionem & inuocationē. II Quisquis enim deū inuocauerit animo fidenti & syncero, exauditur proculdubio, & bonitate ac donis dei ita saturatur, ut nihil cupiat amplius, nihil sibi apud alios ambiendum putet. Nam ipse dominus in Euangelio dicit, Qui me ederit ac biberit in æternum non esuriet nec sitiet unquā. Item, Qui biberit ex aqua quam ego do, nō sitiet in æternum. Propheta quoq; clamat, Omnis qui inuocauerit nomen domini saluus erit. In Psalmis item legimus, Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluū me fac in misericordia tua domine, non cōfundar quia inuocaui te. Sic loquitur pius. At qui deus, In tribulatione, inquit, inuocasti me & liberaui te. Ergo quid reliqui erit ei quod petat ab alijs, qui quod à domino petijt, assequutus est? Qua obsecro

fronte, aut qua cauſſa ad ſecundum & tertium uenit oraturus, qui quod apud primum petijt à primo impetrauit? Certe datam ſibi poſtulationẽ aut faſtidiat aut imperfectam, mutilem & mancam eſſe credat, neceſſe eſt, quiſquis poſt oblatas deo per filiũ preces, ad alios opem & auxilia aut eadem illa quæ à deo per Chriſtũ petierat, oraturus conuertitur. Atqui aduerſarij, A deo aiunt petimus ut bona accipiamus, à diuis hoc non petimus, ſed ut illi preces ſuas noſtris addãt, quo facilius flectatur deus donetq; quod oramus. Audio uerborum perplexas nouitates. Poterat illud Chryſoſtomi uos ab errore, niſi ſaxei eſſetis reuocare, Neque tam facile deus annuit, cum alij pro nobis orant, ut cũ ipſimet oramus, etſi plurimis pleni ſimus malis. Quæ uerba paulò ſuperius plenius recitaui. Præterea D. Iacobus ait, Cui deeſt ſapientia, poſtulet ab eo qui dat, nempe deo, ac dabitur ei, ſed poſtulet cum fiducia, nihil hæſitans. Nam qui hæſitat, is ſimilis eſt fluctui maris, qui uentis agitur et impetu rapitur. Necq; enim exiſtimet homo ille ſe quicquam accepturum à domino. Proinde quiſquis fidem habet, quod poſtulat aſſequitur: qui fide caret nihil aſſequitur. Fides autem illa nititur promiſſionibus dei: atqui illæ pollicentur fideles à deo exaudiendos ſi orent per nomen filij dei, orationum autem ſanctorum nulla fit mentio. Illis itaq; dei promiſſionibus ſi creditis, hoc eſt, ſi fidem habetis, aduerſarij, cur conuertimini ad ſanctos? Nam uerbum promiſſionis iubet uos orare Deũ per nomen filij ſui Ieſu Chriſti & non per nomina ſanctorum. Arbitrami ni Deũ & Diuos ſimul inuocari poſſe, ita tamen ut alí quot gradibus præeat maieſtas diuina: uerũ unde demonſtrabitis aut quibus argumentis probabitis eccle

ſiæ,

siæ, dogma, id est figmentum illud uestrum? Magnum illud in lege et Euangelio mandatum docet nos omnẽ fiduciam & amorem, imò quicquid nostrum & in nobis est, uni deo debere. Ita enim habet, Audi Izrael, dominus deus tuus unus est. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex omni fortitudine tua. Quæ uerba Lucas in Euangelio sic enunciauit, Diliges dominum deum tum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex oĩbus uiribus tuis & ex tota mente tua. Quid hic obsecro relictum est in homine quod impendat sanctis? Qui diligit deum ex toto corde, tota mente adhæret deo, totus ergo & in omnibus deum cui anima coniunctus est, inuocat, hunc semper in oculis & corde habet. Laborarunt hoc morbo pestifero & Izraelitæ existimantes se unà colere & inuocare posse deum uerum & deos alienos. Sed Helias propheta dei fulmineus ad populum fœdo correptum morbo acclamans ait, Vsquequo claudicatis in duas partes? Si dominus est Deus sequimini eũ, sin Baal, ite post eum. En quid poterat dici planius? Claudicant in duas partes qui aliquid cum deo uenerantur & inuocant: recti contra incedunt in uia dei, qui soli deo seruiunt & solum inuocant. Qui solum non colit & inuocat, deum nec colit nec inuocat, licet colere & inuocare uideatur. Is ergo colit & inuocat uere, qui solum colit & inuocat Deum. Huc pertinet totum certamen illud Heliæ quod contra Baalistas sumpsit, quos & uicit, effecitq; ut totus populus acclamaret, Dominus ipse est deus, dominus ipse est deus. Rursus de Gentibus quibusdam ex oriente in terram Israeliticã translatis 4. lib. Reg. 17. sic legis, Gentes illæ timebãt dominũ, & nihilominus colebant deos suos iuxta mo-

rem Gentilẽ. Ecolebant etiam hi cum deo uero alios quoq; deos: sed audiamus quid iudicet de eis scriptura, Non timent, ait propheta, deum, & non agunt secundum legem & præcepta quæ mandarat dominus filijs Izrael. Quasi dicat, Tametsi uiderentur sibi esse cultores ueri dei, attamen cum non solum deum colerent, neq; ita ut ipse in lege sua præscripserat colerent, deum reuera contempserũt. Ita fit proculdubio etiam hodie. Cum enim solum deum non sic inuocamus, sicut ille nobis præcepit, sed iungimus ipsi diuos quibus multo studiosius inhæremus, fit ut nostra religio apud deum uitiosa nuce uilior adeoq; nulla sit. Neque enim quid fiat refert, sed quàm recte et quàm bene fiat quod fit. De illo plenius disputaui in cap. 12. Lactãtius hanc quoq; quæstionem discutiens, An aliquid simul cum uero deo coli possit, lib. Institut. 1. cap. 19. sic concludit, Etenim dicat aliquis, Et huic summo qui fecit omnia & illis qui partim profuerunt suam ueneration nem esse tribuendam. Primum nec factum est unquã ut qui hos colit, etiam deum coluerit: neq; fieri potest: quoniã si honos idem tribuitur alijs, ipse omnino non colitur, cuius religio est illum esse unũ ac solum deum credere. Hactenus Lactantius. Perpetuo autẽ sub cultu comprehendimus inuocationem, & præcipue quidem. Ista uero paucis ad potissima aduersariorum argumenta, quæ in hac caussa habent, respondere uolui: reliqua facile discutiet quisquis credit deum nobis omnia dedisse per Christum.

Respondetur ad id quod pro cultu diuorum pferuut, & indicatur quis sit uerus diuorum cultus. Ca. XX.



Via autem hactenus non semel incidimus in mentionem cultus eius qui diuis impendi

tur,

tur, recenſebimus nunc quoq; aduerſariorum ſententiam & illa quibus ſua confirmant. Diſcriminant autem in Cultu. Alium enim Latriæ uocant, alium Duliæ, addiderunt quidam neſcio quid monſtrificum & appellarunt Hyperduliam. Itaq; fatentur ſolum deum colendum eſſe Latria. Dulia ſerui quoq;, inquiunt, coli poſſunt. Iam & uoces illas exponunt & dicunt, Latria cultus uel ſeruitus eſt ſoli deo debitus, qui & adoratio dici ſolet, cum deū magnificamus, extollimus, ſuper oīa diligimus, reueremur, & talem omnino credimus & deſideramus qualis eſt. Hanc diſtinguunt in Internam & Externam. Internam uocāt actum fidei, ſpei & charitatis. Externam ſignum aliquod ſenſibile in proteſtationem latriæ interioris exhibitum. Cuius generis ſunt actus et geſtus exteriores, ut oblatio ſacrificij, laudum & canticorum recitatio, manuū complicatio & eleuatio, pectoris tunſio, capitis nudatio, genuum inflexio, totiusq; corporis proſtratio. Duliam uocant ſeruitutem; & hæc accipitur uarie, aiunt. Principio proprie pro ſeruitute ſiue reuerentia quam ſerui & ſubiecti dominis ſuis impendunt. Deinde communiter pro ueneratione & honore quo ſe mutuo præueniunt & honorant creaturæ intellectuales propter aliquod diuinum uel uirtuoſum in ipſis repertum. Et ſecundū hoc leguntur homines adoraſſe homines; hac deniq; ratione æquiuoca ſunt illa ſenſibilia latriæ ſigna, quia & deo exhibentur & creaturæ, ſed diuerſa intentione. Præterea ſic colligunt, Si deus honorificat ſanctos, quanto magis honorabunt ipſos, homines? Honorificat autem deus ſanctos uel Chriſto teſte ac dicente, Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus; ergo ſancti & colendi ſunt & hono-

Ce Cultū latriæ & duliæ.

randi. Rursus proferunt illud ex euangelio Matthæi. Quod uni ex fratribus meis cõtuliſtis, mihi collatum imputabo: hinc colligunt, ergo qui ſanctis impẽditur cultus deo impenditur. His adiiciunt, Sanctum Sauia num etiamdum uiuenti Apoſtolo Petro erexiſſe templum: & per Græciam, Italiã, Aſiam & Galliam idem feciſſe exhibuiſſeq; diuis alijs optimos quoſq;.

Ad illa reſpondemus. Quod inter Latriam & Duliam diſcriminant, faciũt quod ſolent ſepiæ. Atrorem enim offundunt piſcatoribus ne uideantur in aquis et capiantur. Ita iſti uerborum nebulas ſpargunt ut audi torem abducãt à uero & ſimplicitate ſyncera, nugisq; affigant futilibus. Laurentius Valla uir nõ doctus mo do ſed pius quoq;, ſuis illis in Nouũ teſta. annotationi bus, in cap. Matth. 4. exiſtimat nihil intereſſe inter La triam & Duliam. Nam & Latriam apud Græcos non ſemper poni pro eo cultu qui deo debetur ſed pro du lia quoq;, neq; Duliam ſemper uſurpari pro ſeruitute, quam exhibemus hominibus, ſed & pro latria. Quod quidem ueriſſime dixit. Nam Dulia apud S. Paulum nõ ſemel uſurpatur pro Latria. Locos ſiue teſtimonia ſi quis requirit reperiet in epiſt. ad Roma. 7. 14. 16. & ad Coloſſ. 3. cap. In 1. ad Theſſ. 1. cap. De uobis annun ciatur, inquit, Quomodo conuerſi fuerítis ad deum à ſimulachris, δουλεύειν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, id eſt ut ſeruí retis deo uiuo & uero. Nuſpiam autem in ſacris inue nies Duliam illam qualem iſti faciunt diuis apud deũ in cœlo agentibus tribui. Sanè D. Auguſtinus diſcri minat & ipſe inter Latriã & Duliam, putatq; ſoli deo congruere Latriam. Duliam uero nõ ad Diuos exten dit, ſed ſeruitutem eſſe arbitratur illam qua alter alteri per charitatem ſeruit. Et iſta quidẽ non dixit citra au-

thoritatem

thoritatem ſcripturæ. Locum certum ſi quis requirat reperiet in 6. cap. 1. lib. de Trinitate. Sed ut ad ſingula illorum reſpondeamus ordine, donamus Latriam hoc eſſe quod finiunt eamq; deberi ſoli deo ſicut ſentiunt. Rurſus quod de Dulia adijciunt hanc primo & ꝓprie uſurpari pro ſeruitute quam ſubditi dominis ſuis impendunt, non reijcimus. Nam ſatis diligenter opinor, commendamus omnibus officia uitæ. Quin & iſtud quod tertio loco ſubijciunt Duliam communiter accipi pro ueneratione & honore quo ſe mutuo præueniant creaturæ intellectuales propter præclarũ aliquod dei donũ in ipſis, nihil omnino impugnamus, imò credimus & docemus diuos omnes ſuo cultus genere honorandos. Damnamus quoq; illos qui amicos domini noſtri Ieſu ac fratres, filios & cohæredes dei, inſtrumenta dei, quibus uſus eſt ad res ſacratiſſimas, participesq; uitæ æternæ, heroës & omnium uirtutum illuſtriſſimos cultores, non uenerantur. Eſt autem hic ſanctorum cultus ſiue honos, ſicut alij quoque uiri ſancti confeſſi ſunt, triplex. Primus eſt Gratiarumactio. Debemus enim deo gratias agere, quod oſtenderit exempla miſericordiæ, quod ſignificarit ſe uelle ſaluare homines, atq; ideo uaria dona dederit eccleſiæ, Doctores in primis. Et hæc dona reuera maxima amplificanda ſunt, & laudandi ſunt ipſi ſancti, qui donis dei fideliter uſi ſunt, ſicut Chriſtus ipſe laudauit fideles negotiatores: urgenda eſt et doctrina eorum, qua nobis unius dei inuocationem & cultum commendarunt: urgenda eſt gratitudo, ut de benemeritis & inſtrumẽtis operum dei bene ſentiamus, laudemus, & bonam eorum exiſtimationem defendamus cõtra impios. Secundus honos eſt inſtitutio fidei noſtræ, ut cum uidemus Pe-

Verus honor & cultus ſanctorum.

tro condonari negationem, Dauidi adulteriũ & parricidium, Paulo blasphemiam, persequutiones & cædes sanctorum, Matthæo auaritiam, fraudes & usurã, erigimur et nos magisq; credimus gratiam uere supra peccatum exuberare. Ex quo sequitur tertius ille cultus, imitatio sanctorum, primum fidei, deinde cæterarum uirtutum, quas imitari pro sua quisq; uocatione debet. Ad hunc modum de Cultu diuorum iudicauit & Erasmus, qui in Enchiridio suo canone 5. Veneraris diuos, inquit, gaudes eorum reliquias contingere: sed contemnis quod illi reliquerunt optimum, puta uitæ purę exempla. Nullus cultus gratior Mariæ, quàm si Mariæ humilitatem imiteris. Nulla religio sanctis acceptior magisq; propria, quàm si uirtutẽ illorum exprimere labores. Vis tibi demereri Petrum & Paulũ? Alterius fidem, alterius imitare charitatem, & plus feceris q; si decies Romã curritaris. Et quæ sequuntur.

Cultus latriæ externus nõ potest diuis communicari.

Sic inquam nos credimus & docemus sanctos esse colendos. Scimus pręterea hunc cultum deo maxime probari, illum autem quem uos traditis ac defenditis plane improbari. Nam ut nihil nũc dicam de Inuocatione sanctorum, contenditis per consequentia cultũ illum latriæ externũ Diuis cõmunicari posse: id quod omnino negamus. Habemus autem istius negationis nostræ causas iustissimas. Nondũ enim probastis scripturæ sanctæ testimonijs neq; unquam probabitis cultum istum quẽ dicitis cõmunicari posse sanctis. Deus enim hoc nuspiam uel præcepit uel cõcessit, nec legisquenquam sanctorũ ulli diuo hunc cultum exhibuisse. Imò uosipsi paulò ante estis testati, hunc cultum latriæ soli deo deberi, nunc uero uestri quasi oblíti eumdem communicatis & diuis. Audite quæso quàm parum

rum conueniat uobis & cum doctoribus ecclesiæ quã uos tantopere iactatis. D. Augustinus lib. de Ciuit. dei 8. cap. 27. manifestissime, Nec tamen nos martyribus, inquit, templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia, constituimus, quoniam non ipsi, sed deus eorũ nobis est deus. Honoramus sanè memorias eorum tanquam sanctorum hominum dei, qui usq; ad mortem suorum corporum pro ueritate certarunt ut innotesceret uera religio, falsis religionibus uictis atq; cõuictis, &c. Hactenus Augustinus, qui manifestissime sacrificia, sacerdotia atq; ideo & aras & templa diuis non communicat. Vos autem id facitis: uiderítis cuius authoritate & q̃ recte. Nos aperta scripturæ testimonia contra uos habemus, quibus iam demonstrabimus externum illum latriæ cultum diuis incõmunicabilem esse. Nam Cornelius centurio legionis Italicæ siue Romanæ procidens ad pedes Petri adorauit, certe non ut deum, sed sicut ab angelo didicerat uelut ministrum dei. Atqui Petrus erexit ipsum & adiecit, Surge, & ego ipse homo sum. Et quod in Cornelio corripuit Petrus, idem in Apostolo Ioanne damnauit angelus domini, ut extat in Apocalypsi Ioannis. Non ignorabat tantus apostolus & iam ætate grandæuus solũ deũ cultu latriæ, ut uerbis uestris utar, adorandũ esse, uoluit tamẽ propter ministerij excellentiam cultu dulíæ adorare angelum, sed repellitur ab angelo. Mẽdacia ergo sub specie ueri obtruditis ecclesiæ cum docetis externum latriæ cultũ & diuis cõmunicari posse. Præterea cum ciues Lystrenses proferrent coronas & uictimas, externa siue uisibilia dona, quæ Apostolis Paulo & Barnabæ offerre statuebant, mox isti ad dona illa ut ad meram blasphemiam, uestes discerpunt, in cœtum popu-

li prosiliunt, & tantum nephas prohibent uerbis & gestibus quàm grauissimis. Quod si hoc fecerũt dum adhuc uiuerent in carne, si externum latriæ cultum sibi nullo modo uoluerũt impendi, quis oro crederet istos in aula æterni principis nunc uiuentes, & purgatoribus oculis & animis deum uidentes, ardentius quoq; ac purius deum amantes, uel recipere uel probare posse, quod ut norunt uni deo competere, ita deum plane sentiunt blasphemari, si quis hominum ista sibi exhiberi permittat? Proinde non tantum uana & mendatia sunt quæ aduersarij proferunt de æquiuocatione sensibilis latriæ, sed etiam blasphema.

Sed quid pluribus opus obsecro? Docuimus cap. 5. huius libri ex manifestis scripturarũ testimonijs solum deum esse colendum, & colendum quidem pietate. Hæc cum soli deo citra omnem contrauersiam debeatur, nihil huius cedit sanctis, ergo inuolucra & nebulæ uerborum sunt quæ isti garrientes spargunt de latria, dulia & hyperdulia. In huiusmodi nebulis seducuntur uiatores & incidunt in manus deprædantium se. Præterea cum exterior cultus disponatur secundũ interiorẽ: & interior, si modo ex uerbo dei rite sit conceptus, solum deum spectet ut summum bonũ, quod sola pietate delectetur, certe externum cultum dirigit secundum pietatem & soli deo impendit, Diuos tanq; fideles huius dei cultores ueneratur, miratur ac imitatur. Quod si interior ille cultus non institutus est secundum regulam diuini uerbi, non poterit deo placere cultus exterior. Vnde apud Isaiam dominus clarissime dicit, Qui sacrificat bouẽ quasi qui occidit hominem, & qui sacrificat ouem quasi qui iugulat canem, & qui offert hostiam minha, quasi qui offert sanguinẽ suillum,

ſuillum, & qui memoriam facit thuris, quaſi qui bene dicit iniquitati. Nam & ipſi elegerunt uias iſtorum, & anima eorum deſiderauit abominationes eorũ. In eandem ſententiam pronunciauit etiam Samuel contra Saulem, An tam uolupe & gratum domino ſacrificiũ quàm eſt obedientia? Ecce melius eſt audire quàm ſacrificare, & melior eſt auſcultatio quàm adeps arietũ. Quoniam peccatum magiæ eſt apoſtaſia ſiue rebellio, & uanitas idololatriæ indurare animum & nolle obſequi.

Quæ ſequuntur argumenta aduerſariorum prorſus ſunt ſophyſtica & fabuloſa, nedum indigna tantis ſua ſententia theologis & bene logicis. Quos deus, inquiunt, honorat, eos merito honorant & homines. Deus autem honorat ſanctos: ergo ſancti honorandi ſunt hominibus. Variant autẽ & paralogizant in uerbo Honorare. Aliter enim honorat ſanctos deus, aliter nos honoramus. Deus honorat quãdo æterna gloria & immortalitate donat: nos honoramus cum ipſis genua flectimus & ſupplicamus, aut cum bene de illis ſentimus, uirtutes dei in eis laudamus fidemq; & charitatẽ ipſorum imitamur. Iam uero uide quàm parum cohæreat miſerorum argumentatio. Locus Ioan. in cap. 12. intelligendus eſt de dono uitæ æternæ: proinde ſi nunc ſic colligas, Quos deus honorat, eos merito honorant & homines. Deus autem ſanctos honorat, id eſt immortali gloria & uita coronat, ergo ſancti ab hominibus ſempiterna gloria ac uita donãdi ſunt. Quis non rideat? Rurſus ſi per Honorare intelligunt genua flectere & ſupplicare uel inuocare, longe abſurdior conficietur argumentatio, niſi oſtenderint prius, ubi deus ſupplex diuis factus ſit. Si uero per Honorẽ

intelligunt laudem uirtutum & imitationem uitæ sanctæ ac fidei puræ, recte habet res. Interim uero Deus suo more honorat sanctos, honoramus & nos, collabiturq; constructio argumẽti. Pari modo uitiant ista domini uerba, Quod uni ex fratribus meis contuleritis, mihi impensum putabo. Nam quod dominus de beneficentia & uitæ officijs quæ sancti præstant sanctis in terra etiamnum agentibus dixit, id ueteratores ac deprauatores detorquẽt ad confictum illum sanctorum cultum.

Qualia fuerint Oratoria ueteribus, quando cœperint templa ac basilicæ extrui, & confutatio luxus tẽplorum. Cap. XXI.

QVod isti præterea de Templis in honorẽ diuorum extructis fabulantur, iam olim testimonio Augustini confutatum est, qui aperte dixit, Martyribus nostris templa nõ extruimus. Viderint ergo quid nugentur qui aiunt S. Sauianũ etiã uiuenti Petro templum condidisse & consecrasse. D. Ioachimus Vadianus Heluetiæ nostræ decus & ornamentũ, uir in humanioribus pientioribusq; literis excellenter doctus, appositissime & copiosissime uerissime denicq; istorum figmẽta confutans in Epitome sua sic scribit. Dura sæculis Antonini & Commodi Christianorum conditio fuit, cum principes Augusti tuendæ religionis prætextu, ipsam (quæ uera est religio) fidem in Christũ subuertere & extinguere niterentur, cum Deorum suorum ueterẽ cultum, præterea & ceremonias tot sæculorum usu consensuq; receptas, & totum illud sathanæ regnum, quod cæcis animis longæ consuetudinis prescriptio ingesserat, aduersum doctrinã quæ unum deum prædicabat, plures negabat, tanta

Nulla templa Christo ante Constantini sæcula esse erecta.

tanta cum contentione pugnandum defendendumq; recepissent. Nihil enim quietum nostris aut integrũ, nihil non summo cum discrimine coniunctum erat. Primum impietatis & blasphemiæ nota succrescentis euangelij fama traducebantur. Deinde læsæ quoque maiestatis arcessebantur qui sacrosancti Imperij Romani receptam, atq; adeò maiorum prudentia, consilio & authoritate inductam religionem deorum contempsissent, apud aras & delubra numinum non sacrificassent, incensum dijs maiorum minorumq; Gentiũ non adoleuissent. Quorum uidelicet criminum cum reos sese Christiani quotidiana cõfessione sua testarentur, nec diuelli minis ullis à Christo, longe minus abduci persuasione possent, crudelissimis ædictis & proscriptionibus afflicti sunt, & indicibus proposita præmia ferunt ne reliqui esse ullo loco Christiani possent. Mitissime autẽ tum res agebatur, cum caueretur Christianos nõ requirendos quidẽ sed oblatos puniri oportere. Quale Plinio suo prouinciam moderanti Traianus rescripserat. Cessantibus autem & interdum conniuentibus principum animis, aderant artifices incendiorum, calumnijs, criminationibus, delationibus sæui, qui in illorum aulis perinde atq; in pelago uentorũ turbines subinde alias atq; alias persequutionum procellas commouerent. Interim uulgus communes casus rerum aduersarum undecunq; ingruentes in Christianos transferebat. Si pugnatum erat improspere, si annona laboratũ, si terræmotus, si alluuiones, hiatus, pestes, si grandines & cataractæ nocuissent, si exundassent flumina, deorum quidem iræ id tribuebatur, sed inde natæ, quod Christianos ferret & toleraret impunitum. Nullum probrũ erat, nullum dedecus, quod

insontissimæ professioni nõ impune obijceretur. Proinde tanta indignitate tractatis ne in publicum quidem prodire interdum Christianis licebat. Quod equidem admonendũ duxi, quod animaduertam multos esse ætate nostra, qui præsenti rerũ statu persuasi dum legunt audiuntq; Petrum Romæ tot annis sedisse, Linum, Cletum, Clementẽ, aliosq; ueteres urbis episcopos tanta cum dignitate, grauitate & uigilantia præsedisse ecclesiæ, Polycarpum autem episcoporum Asiæ principem fuisse, perinde tum aut pace aut dignitate aut splendore aut fauore hominum habuisse ecclesias ueteres atq; hodie habent per Europam, cum longe diuersum uetus historia prodat, longeq; alij sint hodie nostrorum mores & ritus quàm illorum fuissent, quibus nihil erat inter insidias & persequutiones quietũ. Memorabile uero quod scribit D. Hieronymus, legẽ iam olim à Romanis latã fuisse, quæ iubebat minime dimitti Christianos qui semel ad eorum iudiciũ essent pertracti: qua causa & Appollonius Romanæ urbis senator, sub Commodo principe (tot annis post Petrũ) à seruo suo quod Christianus esset, proditus, quanq; insigni uolumine in senatu lecto, fidei suæ rationẽ reddidisset, tamen huius sententia capite truncatus est. Putamus ne aut loci aut refugij multum eius temporis episcopum habuisse, si uirum illum senatoria dignitate conspicuum quemq; & urbis fauor & ordinis suo rũ odio eximere debebat, nec ciuitas nec dignitas tutata est, quin ei ob sectam cui se deuouerat moriendũ esset? Arbitror autem notũ omnibus ex omni trigínta episcoporum successione, quæ à Petro & Paulo usque ad Syluestrum & Constantinum Imperatorẽ annorum minimum trecentorum spacio, deducitur, nullum

lum fuisse de quo Lege illa obtinente, supplicium sumptum nõ sit. Iam in Gallijs, ut libro 5. tradit Eusebius, apud Lugdunum et Viennam Antonino Vero imperante, circiter Photini tempora, cui Irenæus successit, Christianis interdictum fuit ne ullis domibus habitarent, ne balnea ingrederentur, ne prodirent in publicum, ne publico priuatoq; loco conspicerentur. Qua propè incredibili sæuitia magna pars nostrorum latebras & specus inhabitare compulsa est. Cui autem uerosimile fiat, mitius habuisse in ipsa urbe tyrannorum alumna, illo sæculo Christi cultores quàm in prouincia habuerint? Proinde admirari me fateor quorũdam inaduertentiam qui parum expensis temporibus primis illis ecclesiæ Romanæ episcopis templorũ extructiones, possessiones agrorum, & nescio quæ munera per urbem uelut suam, Christianis distributa affingũt. Quasi uero credere opus habeamus, hoc eis permissum, tanta indignitate tractatis & communi totius ciuitatis Ethnicorũ odio contemptis, ut ne prodire quidem, ceu dixi, plerunq; auderent, & benigne secũ agitum crederẽt, quum intermissis persequutionibus in urbe tolerarentur. Ipse Tertullianus uetus author & qui sub imperatore Pertinace multo tempore Romæ fuit, palàm innuit ne suo quidem tempore alia templa Christianis fuisse, quàm simplices domos, in quibus statis diebus fideles congregabantur, conuiuia etiam & cœnam illam sacram pro ueteri more celebrantes, aliaq; id genus quæ publicæ disciplinæ erant exercentes. De qua re ipse 39. cap. Apologetici disseruit. Hæc omnia ex D. Vadiano huc transtulimus.

Huc facit illud quoq; quod in edicto Maximiani et Constantij Cæss. pro Christianis ædito scriptum legi-

mus, Erga hos indulgentiam noſtram credimus porri-
Cõuenti-cula. gendam, ut rurſum ſint Chriſtiani, et Cõuenticula in quibus orare conſueuerunt extruant & reædificent, ita tamen ut nihil cõtra diſciplinam publicam gerant. En Conuenticula uocant, non tẽpla, non palatia Chriſtianorũ Oratoria, Cæſares, Galerius Maximinus in
Orationũ domus. epiſtola ſua pro Chriſtianis, Sed & Orationũ domos, inquit, id eſt Dominica ſua, ut inſtaurent pro uoluntate ſua, permittimus. Hic Imperat. Oratoria appellat et
Dominica. Dominica, ſiue Græce malis κυριακὰ, quæ Maximianus Conuenticula nuncupauit: ideo autem Conuenticula, quod in iſtis domibus conueniretur ad uerbi & ſacramẽtorum miniſterium, Dominica uero quod in ijs ſeruiretur domino, id eſt, Ieſu Chriſto, quem euangelia & apoſtolorũ literæ frequenter appellant dominum. Et hinc tranſumptum eſſe apparet uocabulum illud, haud dubie uetuſtiſſimum, quo Germanice primaria & cathedralia per Germaniã templa uocamus
Dom̃. Dom̃, quaſi Latine dicas Dominicum. Eadem quidam ueterum appellarunt & Baſilicas. Fuerunt autẽ Græ-
Baſilica. cis Baſilicæ domus amplæ ac ſpacioſæ in quibus agebantur cauſſæ & fiebant conciones publicæ: imò baſilicum iſtis dicitur quicquid magnificum eſt ac ſplendidum. Videntur tamẽ eccleſiaſtici uiri id nominis ideo impoſuiſſe eccleſijs aut oratorijs ſuis, quod in ipſis ſummo & æterno regi Chriſto ſeruiretur quodq; concio regis Chriſti in ipſis cogeretur. Nam βασιλεύς Græcis rex eſt, & baſilica regia. Porrò principum Maximiani & Maximini edicta quorum nunc meminimus reperiuntur apud Euſebium in hiſto. lib. 8. cap. 19. & lib. 9. cap. 9. Idem in. 8. cap. 1. de Diocletianica perſequutione differens, Summa, inquit, malorum nobis affuit

affuit omnium, tunc cum domus orationis & ecclesiæ dei uiui ad solum deductæ sunt, atq; ab ipsis subuersæ sunt fundamentis. Et in 9. lib. cap. 10. principia imperij Constantiniani describens, dicit, Aderat cunctis uelut diuino munere infusa lætitia, maxime uidentibus ea loca, quæ paulò ante impijs tyrannorum machinis fuerant destructa, rediuiua constructione clariora & celsiora consurgere, templaq; excelsa pro humilibus conuenticulis eleuari.

Hinc claresce arbitror qualia fuerint ante Constantini Cæsa. imperium Christianorum oratoria siue templa, non excelsa quidem & ampla palatia, sed casæ humiles adeoq; cryptæ quædam. Cuius quidē rei monimentum extare uolentes qui à Cōstantino basilicas Christiano populo pro humilibus oratorijs extruxerunt, subterraneum quoddam spècus siue cauernam in prima templorum parte collocauerunt, quam et ex re quam significatam & in memoriam reuocatam uolebant Græco quidē uocabulo sed Latinis quoq; usurpato Cryptam appellarunt. Significat autē κρύπτω abscondo ac tego quod uolo latere. Cryptis ergo, id est subterraneis illis in prima templi parte cauernis ecclesiam admonere uoluerunt conditionis primitiuæ ecclesiæ, quæ sub Romanis principibus nuspiam prorepere sed latere perpetuo suaq; ministeria sacra in abscondito & ueluti in antris exercere cogebatur. Vnde nimirum & Germani nostrum sumpsimus uocabulum qui istam templi partem uel hodie appellamus frufft uel flufft: id est cauernam & antrum. Porrò constat Constantinum magnum duas primum ecclesias aut basilicas (quarum alteram à pace quā annunciat euangelium appellauit Irænen, quasi tu dicas pacifi- *Cryptæ.*

cam: alteram uero nuncupauit Apostolorũ, nimirum à doctrina apostolorum quæ ibi tradebatur) amplas quidem illas & planè regias, Christo Iesu dei filio consecrasse in urbe regia Constantinopoli: deinde plures extruxisse per urbes & puincias suas, id quod Theodoretus in primo libro historiarũ persequitur, uerum omnes Christo domino non seruis illius statuit. Post multos demum annos à sæculo Constantini cœperũt & Martyria, id est Sacella in honorem martyrum extrui: id quod tam ex Iustiniani regis quàm Ruffini historici colliqueſcit testimoniis. Ille enim ad Epiphaniũ Constantinopol. urbis episcopum in Nouellis Const. 3. Et sanè reuerendiss. clericorum, inquit, sacrosanctæ maioris ecclesiæ regiæ urbis nostræ mensura certis finibus descripta & in arctum admodum cõtracta erat, quo tempore sola adhuc erat sacrosancta maior ecclesia. Postquam uero & ueneranda domus sanctæ et gloriosæ uirginis deiq; genetricis Mariæ in uicinia sacrosanctæ maioris ecclesiæ posita ab ipsa piæ memoriæ Verina cœpit extrui, item religiosa domus S. martyris Theodori à Sphratio gloriosæ memoriæ consecrata, & uenerãda domus sanctæ Irænes sacrosanctæ maiori ecclesiæ copulata fuit, redigere planè numerũ ad ueterem formam impossibile est. Audis paulò ante Iustiniani Imperatoris ætatem quosdam cœpisse Diuis extruere templa, ab antiquo autem ut pauculas ecclesias ita non multos quoq; fuisse ecclesiarũ ministros. Ruffinus uero Eccles. hist. lib. 11. cap. 27. & 28. originẽ Martyriorum ad sæculum reijcit Theodosij magni: in quo S. Ioann. Baptistæ reliquiæ (quas ex oriente Alexandriam delatas D. Athanasius à Iuliano quodã acceperat & condiderat) denuo repertæ occasionẽ Martyrijs

Origo Martyriorum & Sacellorũ.

tyrijs istis dederunt. Vbi hoc interim annotandum uidetur, S. Athanasiũ pro sua illa egregia pietate honorem eũ ossibus Ioānis impẽsurũ fuisse haud dubie quẽ eis exhibuerunt posteri, si modo putare potuisset eum honorem homini sanctissimo placere: nũc uero euangelicam sequutus doctrinam ossa præcursoris domini sepelijt & ecclesiæ offendiculum ponere noluit. Aliud uisum est eis qui post 40. annos Athanasium sequuti sunt. Hi enim condita ossa refodiunt & populis nescio in quem finem proponunt, sacellis iam ad dominica extructis. Id quod per initia rarius quidem factum creditur, progressu autem temporis eò tandem hæc res deuenit ut iam non amore dei aut diuorũ studio sed magis comparandi nominis gratia ambitiosissimi quiq; templa & sacella extruere cœperint. Habeo huius rei locupletẽ testem Imperatorem Iustinianum. Hic in Nouellis Const. 67. Multi, inquit, comparandi nominis ergò animum solent ad sacrosanctarũ ecclesiarum extructionẽ appellere, simulq; uteas exædificarũt nullam præterea curam adhibere, quo decentes item sumptus illis tum ad incendenda luminaria tum ad sustentationem eorum, qui illis uacent & assideant, neq; non ad sacrum ministerium definiant, sed relinquunt eas in nudis ædificijs, &c. Vixit hic Iustinianus Imperator quingẽtesimo aut amplius à Christo nato anno. Et ab illo sæculo cœpere complures extrui per regna ecclesiæ, non tam in honorẽ diuini nominis & Iesu Christi domini nostri, quàm in gratiã sanctorum. Sint ergo tum quoq; Asiatica & Europea per Græciam, Galliam & Italiam adde & per Germaniã ea quæ iactitant aduersarij templa extructa. Istud uero quid contra nos propabit, qui euicimus apostolicã

& apostolicæ uicinam ecclesiam, martyribus templa non posuisse, sed dominicis & oratorijs Christo domino uerbiq; & sacramentorũ ministerio destinatis extructisq;, soli deo adhæsisse & solum coluisse? Igitur quemadmodum cathedralia illa templa Iarobeam regis uetusta & ipsa, contra dei & legem & templum nihil probabant, neq; religionem nuperam à superstitione defendebant, ita amplæ istæ Diuorum ædes ac basilicæ irreligiosum diuorũ cultum nunquã tutabuntur.

In luxum ecclesiarũ. Et quanquam Constantini magni tempore luxus & nimius templorũ ornatus initia acceperit, si modo uera sunt quæ Theodoretus refert in primo historiarum libro, cordatioribus tamen non probabatur per omnia. Excusationẽ merebatur animus zelo flagrãs nil hic malitiose peccans. Nam ut alios multos transeã nónne D. Hierony. nimius alioqui rerum externarũ probator & admirator, oblique luxum illum perstrin gens, alia quędam ut meliora approbat magis? Ad Demetriadem enim, Alij ædificent ecclesias, inquit, uestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumq; deaurent capita, preciosum ornatum non sentientia, ebore argentoq; ualuas, et gemmis aurata distinguant altaria. Non reprehendo, non abnuo. Vnusquisq; in sensu suo abundet: meliusq; est hoc facere quam repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est, Christum uestire in pauperibus uisitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, & maxime in domesticis fidei, &c. Idem ad Neopotianum de Vita clericorum multo liberius in hæc uerba infit, Multi ædificant parietes, & columnas ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare

distin

distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est. Neq; uero mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à domino, quando sacerdotes hostias immolabant & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum: quanquam hæc omnia præcesserint in figura: scripta sunt autem propter nos in quos fines sæculorũ deuenerunt. Nunc uero cum paupertatẽ domus suæ pauper dominus dedicarit, cogitemus crucem eius & diuitias lutum putabimus. Quid miramur quod Christus uocat iniquum mammona? Quid suspicimus & amamus, quod Petrus se nõ habere glorioſe testatur? &c. Rursus idem ille Hierony. in 7. Ieremiæ cap. commentans sic scribit, Præcepit autem & tunc populo Iudæorum & hodie nobis qui uidemur in ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore auratisq; laquearibus & uestitis parietibus marmorũ crustis, & dicamus Templum domini, Templum domini, Templum domini. Illud enim templum domini est, in quo habitat uera fides, sancta conuersatio, omniumq; uirtutũ chorus. Et Haggeum prophetã enarrans de ornatu templorũ iusto ac uero ita scribit, Ego argentum quo domus dei ornat existimo eloquia scripturarum, de quibus dicitur, Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septies. Et aurum quod in occulto sanctorum sensu & in cordis uersatur arcano & splendet uero lumine dei: quod & Apostolum de sanctis qui super fundamẽtum Christi ædificant sensisse perspicuũ est, Argentum, aurum, lapides precioſos. Vt in auro sensus occultus sit, in argento sermo decens, in lapide

precioso opera deo placentia. His metallis illustrior fit ecclesia saluatoris quàm quondam synagoga fuerat. His lapidibus uiuis ædificatur ecclesia ac domus Christi & pax ei præbetur æterna. Cõgruunt cum his Hieronymianis & uaticinia prophetarũ. Nam Isaias aperte doctores ecclesiasticos ornamẽta ecclesiæ uocat. In 49. cap. dicit, Accelerant qui te ædificent: leua per circuitum oculos tuos & uide, omnes isti congregati uenerunt ad te: uiuo ego ait dominus, quia omnibus his quasi ornamento uestieris, & quasi sponsa coronaberis eis. Apud eundem prophetam in 66. cap. legimus dixisse dominum, Cœlum sedes mea, & terra scabellũ pedum meorum, ubi igitur erit domus quam ædificabitis mihi? & ubi erit locus meæ quietis? Omnia nãq; ista fecit manus mea, & cuncta ista facta sunt dicit dominus. Ego potius ad eum respicio qui est pauper & contritus spiritu, & contremiscit ad uerbum meum. Ad quæ uerba alludens Apostolus Paulus in Actis dixit, Deus est qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit dominus non in manufactis templis habitat. Nec prophetæ modo & Apostoli huius fuerunt sententiæ, sed & Gentium quidam uiri sapientes. Nam Zeno Citicus nobilis philosophus dicebat, Sacella ac templa construere, nihil quidem necesse est. Nihil enim sacrum iure existimandum, neq; pro sancto habendum quod ipsi homines construxerunt. Vnde & Origenes contra Celsum multis ostendit templa ad uerum dei cultum & ad ueram religionem nihil pertinere. In 8. libro, Audiat quisq;, si lubet, ait, quo pacto nos instruamur, dei templa nostra esse hæc corpora: & qui per libidinem hæc ipsa & prauа facinora, dei templum corruperit & in uerius templum se im-

se impie gesserit, disperditũ iri. Et Firmianus Lactantius ait, Non templa Deo congestis in altitudinem saxis struenda sunt, in suo cuiq; consecrandus est pectore, in quod se conferat cum adorat deum: unde illud, Non habitat templis manuum molimine factis,

Omnipotens, ædes aurea uerus homo.

Neq; uero hæc affero quasi aut usum damnem templorum quem longe optimum duco, imò & necessarium ad conciones, preces et supplicationes publicas, ad ministeria sacramẽtorum, aut illorum opinionem sequar, qui semel omnia templa solo æquanda esse autumant; sed magis abusum & luxum templorũ improbo & oppugno. Religio & necessitas paucis & rebus in mundo minime preciosis contenta est. Recte Persius clamauit, In sacris quid facit aurũ? Nam & Christus dixit, Auferte ista hinc. Templum est etiam quod nullo ebore nitet, nullis gemmis distinctum est, nullo auro aut argento radiat, quod simplicitate & frugalitate, humilem, frugalem & minime superbam doctrinam, adeoq; & populum simplicẽ & nihil terrena mirantem, refert. Tota gloriosa est, inquit diuinus uates, filia regis ab intus.

Concludimus iam Deum pietate esse colendũ, pietatem uero constare gemina charitate, dei & proximi. Hæc cum deum solum diligit ex toto corde & anima tota, certe creaturis nihil huius communicat. Fidelis itaq; & uere amans dei à solo deo per omnia & in omnibus pendet: diuis congratulatur, uirtutes dei miratur in ipsis, & illas conatur pro gratia sibi data à domino, imitari & exprimere. Ista uero habui ad argumenta aduersariorum quibus intercessionem, inuocationem & cultum sanctorum defensum uoluerunt. Vi-

dentur autem nostra illa licet paucula sufficere uerita tem simpliciter & ex animo quærentibus: contentio- sis nemo satisfecerit.

Assertio Inuocationis diuini nominis. Cap. XXII.

CVm autem iuxta uetus prouerbium, Con- tendendo amittatur ueritas, ueritus sum sim plicem & tranquillum animi fidelis statum, nimis prolixa cõcertatione ac cõfutatione nostra non nihil disturbatum, quid sequatur ambigere: statui igi- tur digredi paululum, & de Inuocatione diuini nomi- nis, ac de Intercessione domini nostri Iesu Christi, pau cula quædã inserere, ut his simplicibus, opinor, ac pla- nis, auditorũ animi denuo colligantur, certiusq; quid sequantur norint.

Vnus tan- tum deus est.

Quod unus tantũ Deus uerus est, & præter deum uerum alius non est, inde colligimus à solo deo, et non à diuis, petenda esse oia. Quod autem ipse solus deus uerus & præter eum alius non sit, ipse apud Mosen in 32. cap. testatur, & ait, Videte quod ego sim solus, & nõ sit alius deus præter me. Et in Psal. 18. Dauid, Quis est, inquit, Deus præter dominum, & quis petra præ- ter deum nostrum? Rursus Psal. 81. canit Asaph, Au- di mi populе & contestabor te, Izrael si audieris me, non erit in te deus alienus, neq; incuruabis te coram deo extraneo. Ego sum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, pete modo & ego præstabo illud. Apud Isaiam in 45. cap. ipse dominus, Nunquid non ego dominus, inquit, & nõ est amplius deus? Huc per tinet 8. cap. prioris ad Corinth. & quod in primis capi tibus disputaui de Deo et unitate eius. Cæterũ quod ideo à solo hoc deo omnia petenda sint homini, non à

diuis

diuis, id ex natura dei liquide consequitur. DEVM enim esse aliud non est quàm summum bonum esse, omnium bonorum datorem depulsoremq; malorum. Sic enim dicit ipse dominus apud Matthæum in 19. cap. Nemo est bonus, nisi unus, nempe deus: id quod Lucas sic enunciauit, Nemo bonus nisi solus deus. Et D. Iacobus, Quod si cui uestrum deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe deo, qui dat inquam omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei. Primum, inquit, Si cui deest sapientia (quid uero prohibet quo minus omnia alia intelligamus dona?) postulet ab eo qui dat, nempe deo. Deum ergo cõstituit datorem omniũ. Deinde addit, Qui dat omnibus simpliciter nec exprobrat, liberalitatem dei prædicans, ut omnes ad Deum solum alliciat. Rursus in Genesi ad Rahelem expostulantem cum Iacobo marito atq; dicentem, Da mihi filios, alioqui moriar: dixit Iacob, Nũ pro deo ego sum qui te feci sterilem? En quid hic patriarcha beatissimũ Deum esse putet, conferre nimirum bona mortalibus & auferre mala. Sic etiam rex Izrael regi Syriæ postulanti, ut Naaman imperatorẽ militiæ Syriacæ à lepra curaret, respondit, Nunquid ego sum deus ut possim mortificare & uiuificare? Cõstat ergo diuinæ naturæ esse posse dare aut auertere quod poscitur. Iam cum unus modo Deus sit & præter illum nõ sit alius, solus certe dare & auertere potest quod petimus. Præterea cum inuocatio petitio sit, consequitur solum deum, atque ideo non Diuos, esse inuocandum. Hi enim non sunt Deus. Si mala auertere et bona dare possunt, sanè Deus sunt: Atqui sic nõ erit unus duntaxat deus. Proinde cum unus duntaxat sit, necesse est ut solus inuocetur. Sed communicauit illa diuis deus, inquiunt, ut

Deum esse quid?

bona dare & mala auferre possint. At nos dicimus ista uos ex capitibus uestris cõminisci & in capita uestra mentiri. Non recipiemus istas uersipelles glossulas uestras. Stat enim inuicta domini sentẽtia, Videte quod ego sum SOLVS & nõ sit ALIVS DEVS præter me. Stat & illud contra uos inuictum, apertum & clarissimum quod ipse dominus apud Isaiam in 42. cap. clamat, Ego dominus & hoc est nomen meum: & gloriã meam alteri nõ dabo, nec laudem meam sculptilibus.

Gloria dei Quæ oro gloria dei alia est, quàm quod ipse dominus est, quod deus est, quod uita & saluator est, quod summum bonum est, quod ipse bona dat & auertit mala, adeoq; quod hæc omnia solus est, & solus omnia facit, confert & aufert? Hoc si uerum est ut falsum esse nequit, sicut ne illud quidem fallit quod aperte dicit Gloriam meam alteri non dabo, fateamini necesse est uos in mendatio deprehensos, detorquere uerbum dei & manifeste pugnare contra gloriam dei. Nam diuis cœlitibus deus conditor cœlorum & sanctificator sanctorum omnino non cõmunicauit illa quæ dicitis. Quinimo ut reluctantes constringamus arctius, nónne legistis in Psal. 50. dixisse deum? Sacrifica deo laudem, & redde altissimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis, eruam te, et glorificabis me. Hæc quæso quò detorquebitis? An non manifestum est, gloriam deo reddi si inuocetur? At nunc dixit, Gloriam meam alteri nõ dabo. Sacrilegi itaq; eritis si perrexeritis docere diuos inuocandos esse, ut uel bona dent uel auertant mala, aut ut per preces & merita sanctorum hoc aut illud conferat dominus. Nam consequenti capite docebo eam gloriam solius esse Christi. Atq; hic iam conuicti iacetis. Resipiscite ergo & cum omnibus sanctis dei

deo

deo soli gloriam date. Nam nulla hic uobis rima patet per quam dilabamini nisi probaueritis & gloriam dei communicabilem esse alijs, & inuocationem non esse gloriam dei, id quoties tentaueritis toties sacrilegi exurgetis contra spiritum sanctum. Date ergo gloriam deo. Nos ut in breues formas totius disputatiõis assertionisq; nostræ argumenta coartemus, sic colligimus, Summam deo gloriam impendi cum inuocatur. Gloriam uero dei incommunicabilem esse alijs, atq; ideo soli deo inuocationẽ competere. Rursus, Deum esse aliud non est, quàm summum & absolutissimum bonum esse, quod omnia bona dat & omnia mala auertit. Constat autem unum modo deum esse & præter hunc alium non esse, unde necesse est solum deum largiri bona & depellere mala. Iam uero cum inuocatio aliud non sit quàm petitio ut bona conferantur, mala autem auferantur à nobis, profecto inuocatio non poterit alteri quàm deo soli congruere. Frustra enim is inuocatur qui quod petitur neq; habet neq; dare potest.

Denicq; is tantũ ab hominibus inuocat, qui & præsens & potens, uoces orantium exaudire, & cordium uota nosse potest. Absenti enĩ frustra supplicas, quippe qui quod oras nec audit nec nouit. Atqui solus deus loco non concluditur, & solus ubicq; præsens est, solus item cordium scrutator est, Solomon enim 3. Reg. 8. cap. testatur & ait, Num deus uere habitabit super terram? Ecce cœli & cœli cœlorum non capiunt te, & quomodo domus ista quam ædificaui? Tu itaq; exaudies in cœlo in habitaculo mansionis tuæ & propitius eris. Facies & dabis unicuicq; iuxta omnes uias suas, qui cognoscis cor eius. TV enim SOLVS nouisti corda cunctorum filiorũ hominum. Solus itaq; hic deus

Solus deus nouit corda hominũ

inuocandus est. Diui non norunt hominum corda & cogitationes, neq; diffusi per terras & maria omniscij & ubiq; præsentes sunt. Aliâs enim creatoris sumpsissent naturã, creaturæ exuissent. Et inter mortales hic quidem in mari, ille in terris periclitat; alius ad septentrionem, alius ad aquilonem nauigio cõtendit, uterq; secundum uentum & cursum poscit, deniq; omnes ex omnibus regnis & populis homines in infinitis difficultatibus suis comprehensi inuocãt pro auxilio: imò in eodem puncto atq; momẽto innumeræ mortalium myriades uota sua offerunt: ubi sanè oportet eum qui exaudire debet in puncto & momento & non per interualla nouisse omnia & posse oĩa, adeoq; & in puncto & momento simul omnibus præbere aures benignas & manum porrigere beneficam & fortissimam. Id quod nulla quantumuis excellens creatura potest. Solius dei est illa omniscientia, tanta potestas, gloria & maiestas. Quis ergo non uideat solum deum ab omnibus & in omnibus esse inuocandũ? De Diuis scripsit S. Augustinus ignorare ipsos qd hic in terris agamus mortales, ceu demonstrauimus in cap. 15. tantũ scilicet abest ut nouisse queant corda supplicantium. Cæterum quod hic quidam disputant de cognitione beatorum spirituum, intricatius & incertius est quàm quod rei tantæ respondeat aut Lectorem expediat. Vidimus quæ super hac re ædidit Lect. 31. Gabriel ille Bieleñ. satis alioqui diligens interpres Canonis: sed uidi interim simplicem ueritatem palàm enunciare, Tu solus nouisti corda cunctorum filiorum hominum: id quod perpetuo opponemus subtilibus istorum disputationibus, nec facile patiemur hinc nos abduci.

Diui non norunt corda hominũ

Inuocatio opus fidei.

Præterea constat Inuocationem proprijssimum et maxime

maxime genuinũ fidei opus esse. Nam etiam Paulus ex prophetis sic collegisse legitur, Idem est dominus omniũ, diues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocarit nomen domini saluus erit. Quomodo autẽ inuocabunt eum in quem nõ crediderunt? En ut Paulus fidei copularit inuocationẽ & alterum duxerit ex altero, usqueadeò liquide ut dubium non supersit fidẽ conuerti cum inuocatione. Non possunt illum inquit inuocare, in quem non crediderunt: ergo credimus in illum quem inuocamus. Porrò solus deus est in quem credamus cui innitamur fidamusq; atque ideo consequens est quod solus deus à nobis qui uere credimus inuocandus sit. Rursus ubi fides est ibi etiam est spiritus domini. Nam fides donum est spiritus. Et S. Ioannes in euangelio suo dixit, Quotquot receperũt eum dedit eis ut liceret filios dei fieri, his qui credidissent in nomen eius. Atqui filij dei non sunt sine spiritu dei. Nam Apostolus, Quod si quis spiritum Christi nõ habet, inquit, hic non est eius. Cæterum hic dei spiritus non clamat in cordibus fideliũ, Sancta Maria, ora pro nobis, aut sancte Martine ora pro nobis: sed Abba pater. Paulus enim ad Rom. 8. Non accepistis, ait, spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater. Idẽ spiritus testatur unà cum spiritu nostro quod simus filij dei. Et dominus Iesus cũ suos orare doceret, nullibi Litaniam instituit, nullibi sanctorum inuocationẽ docuit, sed simpliciter sic dixit, Ad hunc modum orate uos cum orare uultis, Pater noster qui es in cœlis. Et quæ sequuntur. Cuperem autem audire ab aduersarijs quam possint ex sex aut septem illis petitionibus ad sanctos suos referre, aut ad quem sanctũ ausint di-

Quid de oratione Christus docuerit.

cere, Pater noſter qui es in cœlis, &c. An non ipſa fides mox clamat uni deo iſta congruere? Quare ergo deum miſeri non inuocatis ſolum? Sanctus Cypria nus de uera nominis dei inuocatione & fidei oratione, ſuper oratio. domi. ſic ſcripſit, Qui inter cætera ſalutaria ſua monita & præcepta diuina quibus populo ſuo conſulit ad ſalutem, etiam orandi ipſe formam dedit, ipſe quid precaremur monuit & inſtruxit. Qui fecit uiuere, docuit & orare, benignitate ſcilicet qua & cætera dare & conferre dignatus eſt, ut dum prece & oratione quam filius docuit, apud patrem loquimur, facilius audiamur. Iam prædixerat horã uenire quando ueri adoratores adorarent patrem in ſpiritu & ueritate, et impleuit quod ante promiſerat, ut qui ſpiritum & ueritatẽ de eius ſanctificatione percepimus, de traditione quoque eius uere & ſpiritaliter adoraremus. Quæ enĩ poteſt magis ſpiritalis eſſe oratio, quàm quæ à Chriſto nobis data eſt, à quo nobis et ſpiritus ſanctus miſſus eſt? Quæ uera magis apud patrem precatio, q̃ quæ à filio quæ eſt ueritas, de eius ore prolata eſt? Vt aliter orare quàm docuit non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa, quando ipſe poſuerit & dixerit, Reiſcitis mandatum dei ut traditionem ueſtram ſtatuatis. Oremus itaq; fratres dilectiſſimi ſicut magiſter deus docuit. Amica & familiaris oratio eſt deum de ſuo rogare, ad aures eius aſcendere Chriſti orationem. Agnoſcat pater filij ſui uerba, cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore ipſe ſit & in uoce. Et cum ipſum habeamus aduocatum apud patrem pro peccatis noſtris, quãdo peccatores pro delictis noſtris petimus, aduocati noſtri uerba promamus. Nam cũ dicat, Quia quodcunq; petieritis à patre in nomine meo dabit uobis; quanto

efficatius

efficatius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Hæc omnia Cypriani sunt, ex quibus constare puto Intercessionem & Invocationem diuorũ non tantũ pugnare cum natura ueræ fidei, sed etiam cum Christianorũ oratione optima & sanctissima, quam ipse dominus nobis cõmendauit atq; præscripsit.

Neq; uero quenquam moueat si audiat uersipelles corruptores istud enunciatũ, Credimus in eum quem inuocamus, suggillare. Nam plana & euidentia sunt apostoli uerba testantia connexionem esse inter inuocare et credere, ut ut ringantur & clamitent, Moses & prophetæ inuocarunt super populum cœlũ & terram ergo crediderunt in cœlum & terram: sed & nosipsi secundum præceptum dei inuocamus fratres in terris ut adsint nobis precibus suis apud dominum, ergo credimus in fratres. Siquidem Moses prosopopœia quadam cœlum & terram uocauit in testes, nec quicquã postulauit ab eis. Et nos credimus diuinis promissionibus ac præceptis iubentibus confratrum fidelium preces implorare, atq; ideo iusta fide in deũ & in promissiones eius petimus fratrum oratiões pro nobis apud dominum: unde in deum promittentẽ credimus non in fratres orantes. Si de diuorum orationibus extaret uel uerbum in scripturis, non respueremus illas: nunc cum ne γρῦ quidem reperiatur de illis, neq; præceptum neq; promissio ulla, sanè inuocatio diuorũ ex fide fieri non potest. Quod autem ex fide non fit, peccatum est. Cæterum si credas te propter meritũ & preces fratrum exaudiri, & non magis propter ueritatem promittentis dei, peccas. Sapiens enim de Medicina & medicis loquens, Fili, inquit, in infirmitate ne negli

Quomodo hominum intercessiones petantur.

gas teipſum, ſed ora dominũ et ipſe curabit te. Et mox, Honora medicum & da ei locum: etenim illum dominus creauit, & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. Iam uero de Aſa legimus, Aegrotauit autẽ Aſa anno trigeſimonono regni ſui, in pedibus ſuis, eratq; morbus eius ualde intenſus, & in infirmitate nõ quæſiuit dominum, ſed medicos. Pari itaq; ratione ſi in uotis tuis fratres magis ſpectaueris quàm ipſum dominũ & promiſſiones eius, haud dubie peccas. Deus & promiſſio eius ante omnia ſpectetur, quæ cum non reperiatur de oratione Diuorum aut eorum prodita interceſſione, ſed tantum de inuocatione diuini nominis, ueritas catholica iubet unum inuocare deum.

Extrema diuorum ignominia

Ex iſtis uero obiter & illud colligimus diuos extrema diabolicaq; afficere ignominia quicunq; hiſce honoribus diuinis ipſos delectari arbitrantur. Nam diabolus blaſphema ambitione & audatia cæcatus audet imò & gaudet id ſibi quod dei ſolius eſt uſurpare. In euangelio enim commonſtrat ipſi domino Ieſu omnia regna mundi & gloriam illorum, & dicit illi, Hæc omnia dabo tibi ſi proſtratus adoraueris me. In Actis apoſtolicis de rege Herode cognomẽto Agrippa homine procacis ſuperbiæ, legis, Statuto autem die Herodes ueſtitus ueſte regia, ſedit pro tribunali & concionabatur ad populum. Populus autẽ acclamabat, Vox dei & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum angelus domini, eò quod non dediſſet gloriam deo, & eroſus à uermibus expirauit. Manifeſte indicatur iræ & ultionis diuinæ cauſſa iuſta, quod non dediſſet gloriã deo. Omnis ergo gloria uni & ſoli deo debetur. Vnde S. Ioannes Apoſtolus dicit, Et uidi & audiui uocẽ angelorum multorum in circuitu throni & animalium, & ſeniorum

& seniorum, & millia millium, dicentia uoce magna, Dignus est agnus qui occisus est accipere uirtutem, et diuitias, & sapientiam, & fortitudinẽ, & honorem, & gloriam & benedictionem. Et omnem creaturã quæ in cœlo est & quæ super terrã, & sub terra & in mari, & quæ in eis sunt oĩa, audiui dicentes, Sedenti in throno & agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum: & quatuor animalia dicebant, Amen. Et uigintiquatuor seniores ceciderũt in facies suas, & adorauerunt uiuentem in sæcula sæculorum. Ne igitur euanescamus in cogitationibus nostris, sed adoremus & inuocemus & nos solum illum benedictum super omnia deum uiuentem in sæcula, Amen.

Assertio Intercessionis domini nostri Iesu Christi. Caput XXIII.

Orrò non exaudiuntur à deo per nomen & merita sanctorum orantes, sed per nomen Iesu Christi filij dei. Hoc enim & nõ aliud proposuit nobis scriptura sancta, per quod oĩa uota nostra deo offeramus. Et hæc præclara illa gloria est quæ uni domino Iesu debetur, atq; ideo soli danda est, non transferenda in diuos. Apostolus enim Paulus, Vnus inquit, Deus est & unus etiam mediator dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus. In idem autem recidit siue mediatorem siue conciliatorem siue intercessorem siue pontificem appellites Christum. Nam nugiuendæ circulatores, imò præstigiatores sunt, qui ne plana & graui Apostoli sententia premantur, effinxere distinctionem, & respondent, unũ quidem esse mediatorem redemptionis, sed plures esse posse mediato-

Mediator redemptionis & intercessionis.

res interceſſionis. Vnde uero aut ex quibus ſcripturis illam nobis diſtinctionem probabunt? Mediator ſiue conciliator eſt inter diſſidentes. Intercedit qui mediũ ſe ingerit ut diſſidentes inter ſe componat. Nec aliud erat Pontificis officiũ. De partibus igitur diſſidij, cauſſa, & modo reconciliationis dicendum uidetur, ut inde pateſcat ſanctis hinc nihil communicari. Diſſidentes in hac ut ſic dicam contrauerſia, ſunt ipſe Deus, & uniuerſum genus hominum. Cauſſa diſſidij peccatũ eſt. Ergo qui nunc propter peccatum, Deum diſſidentem cum uniuerſo genere hominum cõponere uult, principio utriſq; partibus, medio quodam coniungatur oportet. Id enim mediatoris propriũ eſt, quemadmodum & ſacer inquit Chryſoſtomus, utrorumq; participem fieri quorum fuerit mediator. Deinde neceſſe eſt, ut medium quod dirimit auferat. Iam uero partiũ naturæ ſunt diuina natura & humana. Et peccatũ nõ poteſt auferri aut expiari niſi per mortem & effuſionẽ ſanguinis filij dei. Nam remiſſio peccatorũ teſtamentum eſt, at in mortuis demum ratum eſt teſtamẽtum. Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio, ut uidere eſt apud Paulum in 9. cap. ad Hebræos. Ideo neceſſe erat ut filius dei carnem & ſanguinem noſtrum indueret acciperetq; de noſtra ſubſtantia, ut quemadmodũ patri conſubſtantialis deus uerus de deo uero erat, ita & nobis fieret conſubſtantialis, homo uerus, & uerũ Abrahæ ſemen, de homine uero, uirgine Maria, quo mori poſſet & ſanguinem effundere, atq; ad eum modum abluto ſublatoq; peccato homines Deo reconciliare. Hinc enim diſerte & cum emphaſi quadã dixit Apoſtolus, Vnus eſt Deus, & unus etiam mediator Dei et hominum, homo Chriſtus Ieſus. Homo, inquit, Chriſtus

Christus Iesus, receptus uidelicet in cõsortium ac participatum ut sic dicam diuinæ naturæ, ut in eadẽ persona nõ confusis neq; immixtis naturis Iesus Christus uerus deus & uerus homo iam mediator sit: qui dedit semetipsum pretiũ redemptionis pro omnibus. Ideo enim carnem & sanguinem nostrum accepit, ut nos redimeret, id est sese & uitam suam in mortem pro nobis deponeret, quo nos illius morte æternum uiueremus & deo reconciliati cum deo æternum coniungeremur. Nec est ut aduersarij respõdeant illa omnia intelligi de mediatione redemptionis nõ intercessionis. Nam principio opponimus eis hęc sacrosancta & spei plena Apostoli ad Roma. 5. uerba, Commendat suam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus p nobis mortuus fuit. Multo igitur magis iustificati nunc sanguine eius seruabimur per eum ab ira. Nam si cum inimici essemus recõciliati fuimus deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati seruabimur per uitam ipsius. Non solum autem hoc, uerum etiam gloriamur in Deo per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationẽ adepti sumus. Hæc Paulus qui ait nos habere Deũ amicum & familiarem per Christum, ergo quid opus erit nobis mediatoribus intercessionis? Per sanguinẽ mediatoris redemptionis iustificati sumus, & per eundem mediatorẽ intercessionis seruabimur ab ira. Nã si mors tantum potuit, quantum putas iam ualituram eius uitam? Semel mortuus est, ut redimeret nos, iam æternum uiuit ut pro nobis appareat & intercedat in conspectu dei. Sancti ergo uiuentes in terris gloriantur de deo ut patre & planè suo, gloriantur autem per Iesum Christum, per quem in familiaritatẽ & consor-

tium illud subuecti sunt. Quid uero hic opus putatis aliis post Christum mediatoribus intercessionis, apud eum deum, qui propter Christū totus est credentibus benignus, & illis quidem qui toti in deo gloriantur & norunt omnia bona dei propter Christum sua esse facta? Deinde uideamus an ea quæ in interceſſore requiruntur inueniantur in Diuis. Interceſſor medium se interponit inter dissidentes quorum natura ex æquo participat. Diui inter deū & homines intercedere nequeunt, quippe qui altera tantum natura participant. Solus Christus utraq; participat, solus ergo Christus interceſſor est. Iam & causſa dissidij peccatum non auſertur precibus ut neceſſe sit mediatores ad Christum interceſſionis fingere. Peccatū enim morte & sanguine filij dei expiatur. Diui non sunt crucifixi & occisi pro peccatis nostris. Solus Christus calcauit torcular, & uir non fuit secum. Solus itaque Christus interceſſor est, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Omnibus ergo unus sufficit, nec opus erit huic addere plures.

Christus est aduocatus.

Quid quod Ioannes Euangeliſta & apoſtolus in Canonica sua aperte dixit, Filioli mei hæc scribo uobis ne peccetis. Et si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Christum iuſtum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autē tantum, sed etiam pro totius mundi. His quid poterat dici breuius, planius & melius? Christus conſtitutus est nobis à Deo non tantum mediator redemptionis, qui semel redimat, sed perpetuus quoq; mediator interceſſionis, qui quoties peccauerit homo aſtet apud Deum aduocatus, quem miseri confidenter accedant & cui causſam suam commendent. Igitur Christum illum

lum dei filium, non Mariam, Petrum uel Paulum, Ioannem uel Stephanum proponit peccatoribus Ioannes. Si quis, inquit, peccauerit, habemus aduocatum apud patrem. En aduocatum appellat Ioannes, quem aduersarij mediatorem intercessionis dicunt. Aduocatus autem Græce παράκλητος tutor est, fautor, consolator, incitator, inhortator, patronus & procurator qui causſam nostram agit. Addit, Iesum Christũ iustum: quasi dicat, Non est quod quis eius diffidat patrocinio aut patronum patri minus acceptum existimet: iustus est, ergo in conspectu iusti dei apparere potest. Id uero nulli creaturæ nulli homini ab Adã nato tribuitur. Christus Iesus unicus ille in cœlo & in terra phœnix est, qui non necesse habet prius pro peccatis proprijs, deinde uero, p delictis populi deprecari: sed solus peccatum non habet, iustus est, atq; ideo solus pro peccatoribus apud patrem intercedere potest. Nam & solus propitiatio est, non tantũ pro peccatis nostris, sed etiã pro peccatis totius mundi: igitur unus omnibus satis est. Accedamus ergo ad Christum mediatorem & redemptionis & intercessionis & aduocatum ac patronum in cœlis unicum. Nõ poterimus non placere patri cœlesti, si petamus ei cõmendari filij sui patrocinio.

Augustinus de uero intercessore.

S. Augustinus in hunc locum diui Ioannis cõmentans claritate ueritatis incitatus ac compulsus Tracta. in epist. Ioan. 1. palàm sic dicit, Videte ipsum Ioannem seruantem humilitatẽ, certe uir iustus erat & magnus qui de pectore domini mysteriorum secreta bibebat, ille ille qui bibendo de pectore domini diuinitatẽ ructauit, In principio erat uerbum & uerbũ erat apud deũ, ille talis uir nõ dixit, Aduocatum habetis apud patrẽ, sed, Si quis peccauerit, aduocatum, inquit, habemus:

nō dixit, habetis, nec me habetis dixit, nec ipsum Christum habetis dixit, sed & Christū posuit non se: & habemus dixit, nō habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum ut haberet aduocatum Christum, quàm poneret se pro Christo aduocatum, & inueniri inter damnandos superbos. Fratres Iesum Christū iustum ipsum habemus aduocatum apud patrem, ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit hæresim non fecit, hoc qui tenuit schisma non fecit. Vnde enim facta sunt schismata? Cum dicunt homines, Nos iusti sumus, cum dicunt homines, Nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Ioannes autem quid dixit? Et si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrē Iesum Christum iustum. Hactenus Augustī. Audisti uero quanta uerborum copia, quanto ardore & uehementia unicū aduocatum Iesum Christum dominum nostrū nobis commendarit ex uerbis dilecti discipuli Christi Augustinus omnes alios excluserit. Christum, ait, posuit Ioannes non se: & habemus dixit, nō habetis: nec se pro Christo aduocatum posuit. His quid poterat dici planius, pro assertione intercessionis domini nostri Iesu Christi? Et iterum, Noluit Ioannes inter damnandos superbos inueniri. Qui illi damnandi superbi sunt, nisi Herodiani homines sacrilegi qui gloriam dei sibi arrogant? Addit, Hoc qui tenuit, hæresim non fecit, hoc qui tenuit schisma non fecit. Quis ille? Ioannes Apostolus & quisquis eius doctrinā sequutus fuerit. Quid uero Hoc? quod Christus aduocatus sit peccatorum apud patrem & non sancti. Hoc inquam qui tenuit, hæresim non fecit, hoc qui tenuit schisma nō fecit. Vnde ergo oriuntur hæreses & schismata? Ex eo, quando homi-

homines dicũt, Nos iuſtificamus, nos ſanctificamus, nos impetramus. Cur ergo ut hæretici & ſchiſmatici terq; quaterq; impij & ſacrilegi damnamur, proſcribimur & perſequutionem patimur qui Chriſto domino noſtro & iuſtificationem & ſanctificationem & interceſſionem tribuimus, atq; ne faciamus ſchiſma, omnia ſoli tribuimus? Intelligis Lector quid hic inferre poſſemus, ſed ſatis eſt euiciſſe omnium peccatorum unicũ aduocatum apud patrem eſſe dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum.

Euidentiora fient iſta ſi teſtimonia Pauli quoq; de ſacerdotio Chriſti domini proferamus. In epiſtola ad Hebræos cap. 7. Chriſtus quod maneat in æternum ait, perpetuum habet ſacerdotium, unde & ſaluos facere ad plenum poteſt, qui per ipſum adeunt deũ, ſemper uiuens, ad hoc ut interpellet pro illis. Sacerdotiũ Chriſti eſt perpetuum ἀπαράβατον, quod ſucceſſione ad alium transferri aut cum alio cõmunicari non poteſt. Cauſſa additur, Abſolute et ſine defectu ſaluare poteſt qui per ipſum adeunt deum. Ergo nullis opus eſt ſuffragatoribus, imò ne interceſſoribus quidem. Nam ſi aduerſarij pro more ſuo id exponi iubeant de mediatore aut ſacerdote redemptionis, audiant quod adijcitur, Semper uiuens, ad hoc ut interpellet pro ipſis. Igitur non tantum ſaluat ad plenum, ſed ſemper uiuit ut intercedat pro fidelibus. Quemadmodũ igitur Chriſtus neminem admittit in participatum ſacerdotij, aut mediationem redemptionis, ſic neminẽ recipit in conſortium interceſſionis. Sequitur in Paulo, Talis enim decebat ut eſſet nobis pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & ſublimior cœlis factus, cui nõ ſit quotidie neceſſe quemadmodum *Chriſtus ſacerdos.*

illis pontificibus prius pro propriis peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nã id fecit semel, cum semetipsum obtulit, &c. Nec est quod sacerdotis officium aduersarij sola mactatione cõcludant, & hoc prætextu hunc Pauli locũ eludant, propter cõsequentia quæ uictimarum & non precum pontificis faciunt mentionem. Nam sacerdotum erat etiam intercedere pro populo apud dominum: qua in re typum gessere non sanctorum sed Christi. Atqui cum pontifex cœlestis ipse dominus Iesus solus illas conditiones habeat, quæ hic apud Paulum requiruntur in sacerdote noui testamenti (Cui enim sanctorum citra iniuriam Christi domini tribueris illas conditiones purissimas planeq; diuinas?) consequens est solum Christum dominum esse aduocatum & intercessorem in cœlis apud patrem, atq; ideo pie & religiose deum per solius Christi nomen orari, impie & irreligiose quicquam à Deo per nomina sanctorum peti. Huc iam pertinere existimo 5. cap. & 10. epistolæ ad Hebræos, in quibus de Sacerdotio Christi plenius disputatur.

Per Christi nomen orandum esse.

Præterea sunt multi alij in euangelica historia loci manifestissimi qui oẽs in omnibus necessitatibus ad Christum ut intercessorem adeoq; & datorem omnis boni & mali depulsorem unicũ reiiciunt. Apud Matthæum in cap. 11. ipse dominus Iesus clamat, & ait, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis & ego refocillabo uos. Et apud Ioannem in 7. cap. ait, Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Rursus in cap. 14. Ego sum uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Et iterum in cap. 16. Amen amen dico

dico uobis, quæcunq; petieritis patrẽ in nomine meo dabit uobis. Hactenus non petistis quicquam sub nomine meo. Petite & accipietis ut gaudium uestrum sit perfectum. Quæ testimonia omnia luce clariùs testantur id quod & Petrus dixit, non aliud nomen datum esse inter homines in quo oporteat nos saluari, neque aliud per quod oporteat preces nostras offerri, nisi nomen unigeniti filij dei domini nostri Iesu Christi. Oremus ergo posthac per nomen Iesu Christi per incarnationem Christi per crucem per mortem & per gloriosam resurrectionem Christi, ut maximarũ rerum memor pater cœlestis eos seruet propter quos filium in mundum ablegauit. His tutò niti licebit: his nemo quod opponat, aut quod calumnieť, aut uertat in dubium habebit. Fulciuntur ac confirmantur hæc certissimis, robustissimis & clarissimis scripturarũ testimoniis, contra quæ ne inferorum quidem portæ præualebunt. Proinde qui sapit & secure ambulare cupit, in omnibus per Christi filij dei meritum & intercessionẽ auxiliũ dei ac patris cœlestis firma fide semp postulet.

Possem istis adiungere miracula ex euangelica historia & Actis apostolicis, quæ per inuocationem diuini nominis & domini nostri Iesu Christi facta sunt in mundo, infinita quidem illa excellẽtia inaudita & stupenda. Possem & sanctorũ patriarcharum regũ, principum, prophetarum, apostolorum, martyrum, regnorum ac populorum per orbem terræ dispersorum & solum dei nomen per Iesum Christũ inuocantiũ condensare exempla, nisi hæc satis esse crederẽ ueritatẽ & syncerã fidem Christi colentibus. Regi ergo sæculorũ immortali inuisibili, soli sapienti deo sit honor, laus & gloria, per Iesum Christũ in sæcula sæculorũ, Amen.

De Origine idololatriæ apud Christianos. Cap. XXIIII.

VT autem redeamus post longam dissertationem ad intermissam expositionem, Intercessionem, inuocationem & cultum diuorũ sequuta sunt idola ac idololatria. Nam diuorum simulachra non tantum recepta sunt in templa Christianorum, sed & culta palàm, de qua re, quando uidelicet, à quibus, & propter quas causas id factum sit per consequentia dicetur.

Quod ergo de Iudaica gente superius dixi ipsam à Gentibus didicisse sumpsisseq; idola & idololatriam, idem & quosdam Christianorum fecisse testis est Eusebius Cæsarieñ. antistes lib. Eccles. hist. 7. cap. 14. ubi refert uisam à se statuam in urbe Cæsariensi quam ad similitudinem uultus Iesu formatam tradiderit priscorum sermo, ad cuius genua mulieris prouolutæ palmasq; supplíciter tendentis imago ære expressa sederit. Post quæ mox adiungit, Et nihil mirum si hi qui ex Gentilibus crediderant pro beneficijs quæ à saluatore fuerant consequuti, huiusmodi uelut munus uidebantur offerre, cum uideamus etiam nunc apostolorũ Petri & Pauli & ipsius Saluatoris designari imagines tabulasq; depingi. Sed & antiquas ipsorum imagines à quibusdam conseruatas nos uidimus. Quod mihi uidetur ex Gentili consuetudine indifferenter obseruatum; quod ita soleant honorare, quos honore dignos duxerint. Insignia etenim ueterum reseruari ad posterorum memoriam illorum honoris, horũ uero amoris indicium est. Hæc omnia Eusebij sunt: in quibus illa præ cæteris obseruanda uidẽtur, Principio quod mos ille consecrandi statuas ab illis in ecclesia principium accepit qui è paganismo ad Christianismum cõuersi, nonnullas

Authores imaginum apud Christianos.

nõnullas Gentilitatis reliquias, quas è pectoribus non dum expurgarant ut oportuerat, reseruarũt. Imò manifeste Eusebius suum adiungens iudicium, Mihi uidetur illud, inquit, ex gentili consuetudine indifferenter (id est ordine non interrupto sed continuato) obseruatum, ut quemadmodũ olim in paganismo bene meritis statuas & signa consecrarunt, ita nunc quoque in Christianismo idem Christo & apostolis exhibeant. Deinde illud quoq; obseruandum uidetur quod significanter dixit, Videbantur huiusmodi uelut munus offerre. Id enim perinde ualet ac si dixisset, Deus huiusmodi muneribus reuera non delectatur, interim uero isti non malitia sed zelo aberrantes sic gratificari deo instituebant. Et multa illis donanda uidebãtur qui plerunq; iam senes de paganismo ad nostram religionem conuertebantur, difficulter ea relinquẽtes quibus per omnem uitam assueuerant. Postremo Eusebij testimonio constat neq; icones neq; statuas neq; tabulas suo sæculo in oratoria siue ecclesias esse relatas, imò ne ab omnibus quidem receptas Christianis, sed à quibusdam priuatim, neq; tum quoq; uel ob auxiliũ ab ipsis petendum, uel ad cultum impendendum paratas, sed propter studium & amorem: quemadmodum uidere est etiam hodie fieri. Circumferunt enim studiosi quidam (utinam non aliquo futuræ ecclesiæ malo) D. Eras. Roterod. M. Lutheri, H. Zuinglij aliorumq; bonorum uirorum icones, quas interim non adorant, in templa non collocant, nullum ipsis incensum ponũt, nihil se ab ipsis accepturum sperant, sed quoniam uiuos amarunt & plurimum studijs & religioni profuisse sciunt, ideo imagines ipsorum apud se retinent ut amoris indicia non ut religionis instrumenta. Verum

ut ut hoc habeat, cõstat iam ex Eusebiano testimonio usum imaginum Christi & sanctorũ ab illis originem trahere qui iamprimum à paganismo uenerunt in ecclesiam, necdũ synceris ac ab omnibus sordibus gentilitijs expurgatis essent pectoribus: quanquam nemo adhuc in templa collocare imagines tentaret. Minus enim ab initijs mala nocent. Vixit autẽ Eusebius Cæsareæ Palestinæ episcopus Constantini magni & Constantij imperio, anno ab incarnatione domini 330. aut circiter.

Post hæc tempora cœperunt imagines & in templa serpere Christianorum, quanquã neglectius tum pingeretur. At uigilantes episcopi præsentientes futura scandala, expendentes item quod contra legem dei, & contra consuetudinem ecclesiasticã hactenus ab apostolorum tempore diligenter & sancte custoditam nouus & irreligiosus ritus reciperetur, pio ueræ religionis zelo commoti imagines sciderunt & eiecerunt è templis. Id quod uel ex unico facto aut exemplo S. Epiphanij Salaminę Cypri antistitis disci potest. Is enim ad Ioannem Hierosolymitanum patriarcham scribẽs, ad finem epistolę, Hieronymo interprete, sic dicit, Præterea quod audiui quosdam murmurare contra me; quia quando simul pergebamus ad sanctum locũ qui uocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem, & uenissem ad uillam quę dicitur Anablatha, uidissemq; ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem quis locus esset, didicissemq; esse ecclesiam, & intrassem ut orarem, inueni ibi uelum pendens in foribus eiusdem ecclesiæ tinctum atq; depictum, & habens imaginem quasi Christi uel sancti cuiusdam. Nõ enim satis memini cuius imago fuerit.

Epiphanius contra imagines.

Cum

Cum ergo hoc uidissem in ecclesia Christi contra auctoritatem scripturarum hominis pẽdere imaginem, scidi illud, & magis dedi consiliũ custodibus eiusdem loci ut pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent. Illiq; contra murmurantes, dixerunt, Si scindere uoluerat, iustum erat ut aliud daret uelum atq; mutaret. Quod cum audissem me daturum esse pollicitus sum & ilico me missurum. Paululũ autem morarum fuit in medio dum quæro optimum uelum pro eo mittere. Arbitrabar enim de Cypro mihi mittẽdum esse: nunc autem misi quod potui reperire, & precor ut iubeas presbyteros eiusdem loci suscipere uelum à latore, quod à nobis missum est: & deinceps præcipere in ecclesia Christi, istiusmodi uela quæ contra religionem nostram ueniunt non appendi. Decet enim honestatem tuam hanc magis habere sollicitudinẽ, ut scrupulositatem tollat quæ indigna est ecclesia Christi & populis qui tibi crediti sunt. Hactenus Epiphanius Hieronymo interprete. Ex quibus intelligimus imagunculas quasdam Christi & sanctorum irrepsisse in ecclesias, sed mox ab episcopis uigilantioribus esse dissipatas: imò cernimus palàm imaginum usum in ecclesijs Hieronymi ætate non modo palàm & ab omnibus non fuisse receptum, sed & scripturis aduersum & illicitum usum esse. Alioqui nec tacuisset Hieronymus ad facinus Epiphanij cũ in Palestina tum ageret: nec transtulisset epistolã quæ eius rei meminit, si aut actũ praue, aut male traditum ab Epiphanio putasset, uide licet homo tam infensus hæreticis, tamq; delicato in censendis doctrinis stomacho. Et sanctus Epiphanius minime obscuris uerbis quod credidit prodidit, multa hic libertate utens. Principio enim diserte ait in ec-

clesia Christi contra authoritatem scripturarum homi nis pendere imaginem. Deinde addit, Precor præci= pias in ecclesia Christi istiusmodi uela, quæ contra reli gionem nostram ueniunt, nõ appendi. Postremo sub= dit, Decet enim honestatem tuam hanc magis habere sollicitudinem, ut scrupulositatem tollat, quæ indigna est ecclesia Christi, & populis qui tibi crediti sunt. Pro inde censuit S. Epiphanius usum in templis imaginũ Christi & sanctorum pugnare cum legibus & scriptu ris diuinis, pugnare cum religione Christiana, ponere deniq; fidelibus scrupulositatem & offendiculum, atq; indignum esse ecclesia Christi, à quo malo merito ab= ducant populum sibi concreditum quicũq; fideles pa= stores uideri uolunt. His quid obsecro poterat contra usum imaginum dici clarius euidentius & liberius? Quisquis hoc tanta libertate pronunciaret nostra æta te, protinus ut hæreticus exploderetur ab omnibus. Sed nunquid hæreseos uel propter hanc caussam uel propter alias à quoquã unquam insimulatus est Epi= phanius? Certe si hic quicquam contra ecclesiam pec= casse uisus fuisset maxime in hac caussa, epistolã eius, quod modo etiam dixi, Hierony. non transtulisset e

Epiphanij authoritas

Greca in Latinam. Quid quod idem ille Hieronymus contra errores Ioan. Hierosol. episcopi ad Pamachiũ scribens, Epiphanij huius in hæc uerba meminit, Ha= bes Papam Epiphaniũ, qui te aperte missis literis hæ= reticum uocat. Certe nec ætate, nec scientia, nec uitæ merito, nec totius orbis testimonio, maior illo es. Eo tempore quo totum orientem (excepto Papa Athana= sio atq; Paulino) Arrianorum & Eunomianorum hæ= resis possidebat, quando tu occidentalibus, & in me= dio exilio confessoribus non communicabas, ille uel

presbyter

presbyter monasterij ab Eutitio audiebat, uel postea episcopus Cypri, à Valente non tangebatur. Tantæ enim uenerationis semper fuit, ut regnantes hæretici ignominiam suam putarent si talem uirum persequerentur. Tantum Hierony. Author quoq; historiæ Tripartitæ lib. 9. cap. 48. scribit istũ dum uiueret claruisse miraculis, & post mortem ad sepulchrum eius dæmones expulsos irrugijsse. Id quod ideo copiosius expono ne quis ignarus historiarũ, nescio quid sinistri suspicetur, quod audiat ipsum hostem fuisse imaginum. Scripsit idem ille lib. de hæresibus quem citat S. Augustinus. Vixit autem ætate Theodosij, circa annum Domini 390.

Dum hæc fierent in oriente in occidente paulò liberius utebantur in templis pictura antistites religionis, quanquam ne tum quidẽ talis honor ipsis impenderetur qualis hodie impẽditur. Totas enim historias ad martyrum memorias pingebant, ut pictura uelut tropheum quodpiam uictoriæ martyrum extaret, & ut memoraculum ac testimoniũ esset rerum gestarũ, utq; res egregias in memoria retineret hominũ, & ad res magnas & honestas incitaret abstraheretq; à turpibus. Testabunt de hoc Prudentius & Pontius Paulinus episcopus Nolæ in Campania. Prudentius enim in Passione Cassiani martyris canit se uenisse ad memoriam siue sepulchrũ martyris, quod extabat in Foro Semproniano, atq; hic inquit,

Pictura memoraculũ rerum gestarum.

Dum lachrymans mecum reputo mea uulnera & oẽs
Vitæ labores ac dolorum acumina,
Erexi ad cœlum faciem, stetit obuia contra
Fucis colorum picta imago martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,

Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile uisu,
Confossa paruis membra figebant stilis,
Vnde pugillares soliti percurrere ceras
Scholare murmur adnotantes scripserant.
Aedituus consultus, ait, quod prospicis hospes
Non est inanis aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita libris
Veram uetusti temporis monstrat fidem.

Vixisse apparet hunc Prudentium poëtam egregium non multo tempore post ætatem S. Augustini: militasse illum aiunt sub Principe Honorio. A Raph. Volaterrano collocatur in tẽpora Theodosij. Pontius uero Paulinus, cuius meminit et August. in libro de Ciuit. dei primo, uir miræ beneficẽtiæ ac sanctimoniæ, author est populum qui ad Natalem diui Felicis Nolam confluebat epulari solitum in æde sacra. Proinde ipse parietes templi picturis ex ueteri instrumento desumptis ornandos curauit, ut accũbentes in communi mensa, spectandis illis occupati temperantius conuiuium exigerent. Et hæc inuenio uetustissima esse principia imaginum in templis.

Religionis & literarum perniciosa pestis.

Irruperunt in Europam his temporibus Gotthi et Vuandali gentes barbaræ ac impiæ, uexaruntq; Occidentem annis plus minus centum & sexaginta. Eruperunt è sedibus suis & Hunni, & post hos Franci ac Alemanni, & præclaras quasq; cultasq; gentes & urbes flamma & ferro uastarunt. Post Attilam enim in interiorẽ Galliã digressum quicquid supererat quod ille nõ perdidisset in proximis Rheno prouincijs, hoc est in Germania prima atq; secunda & Maxima Sequanorum, Franci & Alemanni Hunnum statim sub

sequuti

sequuti prorsus euerterunt, quanquam tota uastatio populatori Attilæ ascribatur. Hic autem dici non potest quantã iacturã fecerit & pietas et eruditio in occidentalibus ecclesijs. Arserunt optimæ Bibliothecæ, discerpti sunt optimi authores, perierũt scholæ, proculcatæ sunt linguæ, & inter has Latina à Gotthis maxime corrupta est. Ambitiosa enim gens alienam linguã opprimere, suam prouehere prodigiose studuit: cuius quidem rei nobilissimi quiq; eorum temporum historici meminerunt. Hinc certũ est per Gallias, Italiam, Hispanias, Germaniam, & alia occidentis regna enatam esse tantam linguarum & bonarum literarum inscitiam ac bonorum authorum inopiam. Vnde nihil mirum est si eius ætatis & sequentis episcopi superioris sæculi episcopis dispares fuerũt eruditione & agendi dexteritate. Certe imaginũ usus in templis felicius suppullulauit. Nam diuinarum legum ignorantia & episcoporum negligentia effecit ut imagines à uulgo iam adorarentur.

Imagines adoratæ.

Nihil hic fingo. Habeo testem huius Serenũ Massiliæ episcopũ, qui in urbe sua imagines Christi & sanctorum ideo confregit, quod uideret ipsas adorari à fidelibus. Atq; is Serenus uir non uulgaris iudicij fuisse uidetur, uel ex eo quod urbis tantę fuit antistes. Hæc enim illa est Narboneñ. prouinciæ Massilia, quę quondam fama rerum gestarum, abundantia opum, & doctrinæ gloria, inter florentissimas totius orbis prouincias numerabatur, ad quam aliquando Romani pro Attica profiscebantur discendarum artium & disciplinarum gratia. Cæterum Sereni factum acriter impugnauit Gregorius cognomento magnus Romanæ ecclesiæ episcopus, primus eorum, quos ego quidem

uiderim, qui palàm imaginum usum in templis propugnauit. Idem tamen non defendit quod hodie passim fieri uidemus. Plericq; enim imagines adorant. At Gregorius adorare illas omnino prohibet. Quod si quis uerba eius de toto illo negotio requirat reperiuntur illa in Regiſtro ſiue epiſtol. libro, Parte 10. epiſtol. 4. in hanc ſententiam, Perlatum eſt ad nos, quod inconſiderato zelo ſuccenſus ſanctorum imagines ſub hac quaſi excuſatione ne adorari debuiſſent confregeris. Et quidē quia eas adorari uetuiſſes omnino laudamus, fregiſſe uero reprehendimus. Dic frater à quo factum ſacerdote auditum eſt quod feciſti. Sed ſi non aliud uel id te debuit reuocare ne deſpectis aliis fratribus ſolum te ſanctum & eſſe crederes ſapientem. Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturam hiſtoriæ quod ſit adorandum addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis pictura præſtet cernētibus: quia in ipſa ignorantes uident quid ſequi debeant: in ipſa legunt qui literas neſciunt: unde & præcipue Gentibus pro lectione pictura eſt. Frangi ergo non debuit quod nō adorandum in eccleſijs, ſed ad inſtruendum ſolummodo mentes fuit neſcientium collocatum. Et poſt aliquot uerba ſubiungit, Dicendū erat, Si ad hāc inſtructionē ad quam imagines antiquitus factæ ſunt habere uultis in eccleſia, eas modis omnibus & fieri & habere permitto: atq; indica quod non tibi ipſa uiſio hiſtoriæ quæ pictura teſte pandebat diſplicuerit, ſed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetenter exhibita: atq; in his uerbis eorum mentes (quos offendiſti) demulcens eos ad concordiam tuam reuoca: & ſi quis imagines uoluerit facere miniме prohibere. Adorare uero imaginem modis omnibus deuita. Tantum Gregorius

gorius, cuius tanta fuit in occidente authoritas ut ecclesiæ multæ, Italicæ in primis ac Gallicæ imaginum usum receperint, non iam expendentes Gregorij sententiam, sed satis esse putantes quod uir tantæ sanctitatis censuerit habendas esse imagines in templis ad docendum quidem memorandumq; & non ad adorandum. Testabuntur hoc scripta omniũ eorum qui post Gregorij sæculum ad nostra usq; tempora defenderũt usum imaginum in templis. Omnes enim huc tanquã ad ancoram sacram confugiunt, ut dicant imagines in templis reseruari non ad cultũ, sed ad docendum. Isti omnes plus deferunt Gregoriano scripto, quàm legi diuinæ. Vixit aũt Gregorius circa annũ domini 600.

Historia memorabilis concertationis inter Orientalem & Occidentalem ecclesiã, super usu imaginum in templis Christianorum. Cap. XXV.

POst ætatem Gregorij imperio Heraclij Cæsa. emersit hæresis Monothelitarum, quæ unam tantum uoluntatem in Christo perpetram confitebatur. Damnauit hanc Romæ Martinus primus eius nominis, congregata synodo episcoporũ 150. Damnauit eandem VI. synodus Constantinopoli celebrata: & uidebatur ea lues tum quidem extincta esse: uerum Philippicus Cæs. Cyro orthodoxo episcopo in Pontũ relegato Ioannẽ quendã monachũ Constantinopolitanæ ecclesiæ præfecit, & huius dogmata praua Romã misit, præcipiens ut illa subscriberentur. Ad quod nuncium Pont. Constantinus collecta synodo primum quidem Philippicum regem & Ioannem episcopum damnat hæreseos, deinde publico eruditorum consensu beatorum patrum icones qui VI. Con-

Pictura schisma auget.

sílijs probatis ab omnibus interfuerant, pingi iubet in porticu beati Petri. Dolebat id Græcis quod Latini pictura ut tropheo abutebantur in Græcorum & omnium Orientalium ignominiam, ergo hac occasione cœptum est inter eos disceptari & de usu imaginum in templis, Græcis acriter contendentibus nullum esse in locis & rebus sacris imaginum Christi & sanctorum usum, Latinis contrarium omnino asseuerantibus. Cæterum cum isti iustæ aliâs causæ coniungerent prauam & illam ex hac ducerent, minus illa fauoris apud Italiæ, Galliarum & Germaniæ ecclesias inuenit, plus nimirũ inuentura si Monothelíticæ hæreseos suspicione grauata non fuisset.

Hic autem miræ in ecclesia turbæ obortæ sunt. De quibus iam nonnihil commemorandum uidetur. Philippicum regem imperio priuauit Arthemius, Arthemium Theodosius, qui & sanctorum imagines deletas hactenus, pristino loco pingi mandauit. Verum anno regnauit non amplius uno. Successit ei in imperio Leo eius nominis tertius, genere Syrus, uir prudens, pius, clemens & fortis. Is edicto proposito præcepit omnes imagines in templis ad cultum expositas deijcere atq; conterere. Idem à Rom. Pontifice in primis exigit. Ipse interea in urbe regia omnes statuas in medio urbis congestas, publico incendio cremauit, picturas parietibus illitas albario obtexit. Quod si qui regio edicto resisterent procatius, eos uel capite truncabat, uel alia quapiam corporis parte, aut fortunas et honores eis auferebat. Cumq; tyrannidem ei nonnulli ob hæc obijcerent, respondebat, Eos merito puniri qui deum nec recte colerent, nec maiestatẽ reuererentur imperatoriam, sed bonis se opponerent legibus.

Et cum

Et cum hæc agerentur in Græcia, Romæ oppoſuit ſeſe Imperatori Gregorius tertius, conſiliſq; effecit ut Rauenna contra Leonem tumultuaretur eiusq; iugũ excuteret. Idem mox Conſilium aut Synodum Italorum epiſcoporum conſcripſit, atq; in eo contra regem decreuit, Sanctorũ imagines porrò maiori ueneratione proſequendas eſſe quàm hactenus. Addit Aurſpurgenſis in Chronicis ſuis, Gregorius Leonẽ tanquam impie agentem per epiſtolas redarguens, Romã cum tota Italia ab eius imperio recedere fecit. Quibus & hoc adiecit Antoninus Florentinus epiſcopus, Et uectigalia illi pendere uetuit ciuitatibus Italicis. At Leo illorum nugas & temporaria diſpẽdia nihil moratus, in inſtituto ſuo cõſtanter pergit, & anno regni ſui 34. migrat ad dominum.

Quando Roma & Italia ab Imp. Rom. defecerit, & quo authore & quam ob cauſſam.

Leoni patri ſucceſſit Conſtantinus v. filius, qui Italica Synodo permotus conuocauit etiam ipſe in Conſilium omnes Aſiæ & Græciæ doctos. Conuenere in Palatio Hieriæ epiſcopi XXXVIII. ſi recte numerat Eutropius, inter quos primarij fuiſſe traduntur Epheſinus, Pergenſis & Conſtantinopolitanus epiſcopi. Conſultarunt à 4. Idus Februarij ad ſextam Idus uſq; Auguſti. De uſu imaginũ tandem ſic decreuere, Non licere deo per Ieſum Chriſtũ fidentibus ulla neq; creatoris neq; creaturarum ſimulachra in templis habere ad cultum, quin potius illa omnia ſecundũ legem dei & ob ſcandalum uitandum tollenda eſſe è templis. In ea Synodo feruntur anathemate percuſſi eſſe Germanus Patriarcha, Gregorius Cyprius, & Ioannes Chryſoroas qui & Damaſcenus dicitur. Acta ſunt iſta anno ab incarnatione domini 746. Proinde Imperator patrem imitatus reſidua conuulſit idola, & ornamen-

ta ſimulachrorum regiæ intulit camerę. Definitionem autẽ Conſilij Conſtantinopolitani Paulo pontifici Romano mittit, & ut imagines è templis eijciat propereq; eijciat præcipit. Atqui Pontifex ſeſe inſinuauit in amicitiam Pipini principis, & Imperatorem unà cum Synodo excommunicauit. Poſt Paulum ſedit Stephanus Papa eius nominis III. qui, ut Florentinus hiſtoricus ait, ex Italia & Gallia epiſcopis in Synodum euocatis in eccleſia Lateranenſi decreuit ſacras imagines Ieſu Chriſti, beatæ uirginis Mariæ aliorumq; ſanctorum omnino honore et ueneratione dignas eſſe. Damnauit inſuper Synodum Conſtantinianam hæreſeos.

Mortuo autem Cõſtantino V. de cuius uita & moribus aliâs parum decora tradunt hiſtoriæ: nam tyrannide haud multũ abſimilis Diocletiano fuiſſe dicitur, regnum accepit filius Leo IIII. Is matrimonio ſibi copulauit Athenienſem quandam mulierem Theodoram, quæ & Hiræne dicebatur, fœminam & corporis & ingenij dotibus nobiliſſimam, ex qua filium ſuſtulit Conſtantinum VI. Leo autem cum inſaniret circa lapides (uerbis utor Eutropij) nimis adamauit coronam magnæ eccleſiæ & accipiens portauit eam: & exierũt carbunculi è capite eius, captusq; à febre ualida, expiauit: uxori autem reliquit imperiũ, quod filius puer adhuc regno eſſet impar. Hæc illa Hiræne eſt quæ Theodori antiſtitis Papiſantis precibus expugnata, Conſtantini imperatoris ſoceris ſui cadauer, impie refoſſum, publice cremari iuſſit, cinerẽq; iactare in mare, ideo quod uiuus contriuiſſet idola & templi ornamenta ſuſtuliſſet, dicens, Chriſtũ cuius templa eſſent, pauperiem nõ gemmas probaſſe. Eadem illa Paulí patriarchæ & Romani præſulis perſuaſa blanditijs apud

Nicæam

Nicæam Synodū ex Asianis & Græcis episcopis conuocauit. Venerunt & Antiochenus et Alexandrinus patriarchæ: sed & Romanus episcopus Adrianus legationem misit. Cumq; in urbe regia in æde Apostolorum iam proferrentur scripturæ, & partium incalesceret concertatio, exercitus excubitorum metuens ueritati uim inferri, irruit in templum, & cœtum episcoporum atq; abbatū dissipauit. Aiunt tunc iconomachos quosdā episcopos ad populū proclamasse, Vicimus. Patriarcha cum suis tribunal ingrediebatur. Post aliquot dies singuli redierūt infecta re ad ppria. Hiræne ergo uidens Papisticis rebus & superstitioni cōsuli nō posse nisi exercitui regio arma adimerent & aliquot familiæ pellerentur urbe regia, tandem artibus & uersutijs effecit, ut iconomachis illis qui superiorem synodum turbauerant, & arma adimerentur & quædā eorum familiæ ablegarentur. Id ubi factum esset Imperatrix proprium exercitum principesq; sibi obsequētes delegit, & consequenti anno iterum synodum conserit. Confluūt ergo episcopi, abbates & clerici, adsunt Romani pontificis legati, imò & cōsilio toti president. Quia priusquam conuenissent res artibus erat confecta & uictoria ipsis data in manus. Decreuere itaque imagines in integrum per omnia Græciæ templa restituendas, deniq; synodum Constantinianā habendam esse pro hæretica, quod ea diuersum decreuisset. Addita est autem & colendi forma duobus complexa carminibus, quæ hodie uisuntur Venetijs in æde aurea, uetusta literarum forma figurata, sicut ex Græco fuerant tralata in Latinum.

Nam deus est quod imago docet, sed non deus ipsa.
Hanc uideas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Qui de hísce turbis plura legere uolunt habent historias, in primis Eutropij lib. de Reb. Roma. XXIII. qui fusius illa pertractauit.

Restituuntur imagines in Græcia.

Istis ad eum quem diximus modum statutis, mox stulta illa mulierecula omnibus ferè templis statuas unà cum picturis infert, adeoq; ut paucis omnia dicam, ex urbe Constantinopolitana ipsissimam Romam facit, nec prius cessat quàm Constantinus filius adultus iam & nimia matris superstitione offensus mulieri abrogaret imperium, ipse rerum habenas moderaretur. Hic in auita ueritate institutus, omnia ea deiecit, cõfregit, exussit quæ mater stolida altera Athalia cõstruxerat. Interea uero dum ista fierent in Græcia, in Hispanijs quoq; uolutabatur quæstio de usu imaginum in templis: ideoq; & in urbe nobilissima Eliberi quæ hodie Granata appellatur, coacta est Synodus è doctis Hispaniarum. Conuenere Hispanienses episcopi XIX. & presbyteri XXXVI. Præcipuus in his fuisse traditur Felix præsul Aquitanicus. Diu multumq; agitata & quàm diligentissime expensa est quæstio, tandẽ uero concordibus uotis in hanc sententiam pronunciatum est ab omnibus, Placuit picturas in ecclesia esse nõ debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur. Et Canone 41. Admonere placuit fideles ut quantum possunt prohibeant, ne idola in domibus suis habeant. Si uero uim metuunt seruorum, uel seipsos puros conseruent. Si nõ fecerint, alieni ab ecclesia habeantur. Hæc decreta ubi Rom. pont. & complicibus innotuissent per Italiam & Gallias constitutis, mox præoccupandũ uidebatur ne & Germania contra imagines ac picturas pronunciaret. Igitur pontifici uisum est legatos mittere in Germaniam & Franco

niam,

niam, Stephanum & Theophylactum episcopos, qui quæ in Nicena synodo à Græcis & Asianis decreta essent, referrent, deinde & calculo suo addito faterentur imagines è templis non esse tollendas. Actum est prius de ea re cum Francorum principe, qui cum omnẽ suam polliceretur operam mox coacta est synodus, recitata & audita sunt Acta Concilij Niceni, & recepta est tandem sententia Romanæ ecclesiæ de Vsu imaginum in templis. Damnata est præterea synodus Constantiniana & Feliciana siue Elibertina aut Hispaniensis. Et hæc est celebris illa, si dijs placet, contra hæresim Felicianam pro imaginum usu synodus, de qua usqueadeò gloriantur aduersarij, homines inanes de re uana.

Et cum hæc Francfordiæ in Germania agerentur, Constantinopoli necem noua Iezabel, mater filio, Hiræne Constantino intentabat, quod ab eo redacta esset in ordinem, & quotidie ea subuerti proculcariq; uideret, quæ ante aliquot annos maximis extruxerat sumptibus: postremo quorundam nebulonum consilijs adiuta, filium insidijs & proditione circumuẽtum, imperio dejicit, oculos eruit, squalentibus carceribus includit, & iam non mulier amplius non mater sed trux & atrox bestia fera crudelis & immanissima innocentem uarijs excruciatum malis occidit. Addit his Eutropius, Obtenebratus est sol per dies septẽdecim, & non dedit radios suos, ita ut errarent naues maris, omnesq; dicerent quod propter excæcationem Imperatoris sol obcæcatus radios suos retraxerit. Verum idololatræ homines nihil tãto permoti miraculo in impietate sua perrexerunt.

Scinditur Romanum imperium, Oriens ab Occidente propter usum imaginum in tẽplis, & progreditur idololatria apud Christianos. Cap. XXVI.

IN istis turbis & maximis rerum pessimarum portentis Leo III. pontifex Romanus rem ausus est tentare uehementer stupendam & difficilem. Nam cum omnis imperij Romani & imperatores constituendi potestas hactenus apud Imperatorẽ & principes regiæ urbis Constantinopoleos fuisset, ipse à Constantinopolitanis quod Pontificio anathemate percussi essent imperij administrationẽ transfert, atq; coronam & Augusti titulum Carolo magno Francorum regi donat. Vbi tamen uero haud dissimile uidetur id citra Hirænes imperatricis assensum, artem ac syncretismum factum non esse, maxime quod & Grecorum Chronica tradunt apocrisarios à Leone & Carolo directos ad Hirenẽ qui ipsam ad regias poscerent nuptias. Alij malunt coniugium oblatum esse Carolo ab imperatrice. Certe conciliatoribus illis uisum est nulla alia ratione arctius potuisse conglutinari imperium quàm interuentu connubij primorum in imperio hominum. Et cõfectæ quidẽ fuissent nuptiæ, nisi Aetius patricius ac Nicephorus Græcanici dux exercitus artes deprehendissent. Ideo enim Hirænen proditi imperij Francis accusant & euincunt, postremo Lesbum deportari faciunt, ut in exilio uitam clauderet. Hinc factis comitijs nouum sibi crearunt Græci Imperatorem Nicephorum, quem Romani ac Occidentales agnoscere noluerunt. Nam regi suo acclamabant, Carolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico imperatori, uita & uictoria. Ex hac autem imperij translatione exorta est inter orientem & occidentem

Imperium à Græcis ad Frãcos translatũ.

tem maxima inuidia, per quã adiuti Sarraceni & post Sarracenos impia gens Turcarum ad tantum imperij fastigium eluctarunt. Et quamuis Imperatores Constantinopolitani Nicephorus Michael & Leo, ultro amicitiam et societatem Caroli expetiuerint, nunquam tamen Græci uel amabant uel confidebant Francigenis, id est occidentalibus. Vnde & illud Græcum extat prouerbiũ τὸν φραγκὸν φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς. Et Franci periclitanti urbi regiæ & imperatoribus Constantinopolitanis mire Sarracenorum incursionibus afflictis uexatisq́, nunquam tulerũt opem, nimirum ne Græci in integrum restituti & de Sarracenis extetisq́ bellis securi omnem impetum in Francos cõuerterent ad recuperandam imperij coronam & Italiam, exarchatum Rauennæ à Pipino ademptum Imperatoribus & ipsam Italiæ metropolim Romam, antiquorum Imperatorum, ante ætatem Constantini, sedem. Itaq́ hæsit in utriusq́ gentis pectore telum ambitionis inuidiæ & suspicionis altius quàm ut euelli posset. Interea uero Sarraceni siue Machometani populos regna & urbes occupabant, ueram Christi religionẽ extinguebant, & nephandam antichristi superstitionem & abominationem per totum orientem propagabant. Qui sanè concertationis impiæ de idolis, ambitionis inexatiabilis & inuidiæ turpis fructus fuit. Quis autẽ non uideat Romanum imperium ad eum prorsus modum & propter easdẽ idololatriæ causas ,ppter quas Izraeliticum regnũ dilabebatur, scindi? Atq́ utinam non eum quoq́ sortiamur aliquando euentum, quem Izraelitæ sortiebantur, ne scilicet uirga furoris domini monarcha ille Assyriacus & Babylonicus imperator Turcicus aliquot nostrũ flamma & ferro aliquot

uero captiuitate duriſſima ac inhumaniſſima cõficiat. Iſta uero feruntur geſta eſſe circa annũ domini 803.

Poſt coronatũ Carolum uidebatur ſibi uiciſſe Romanus epiſcopus Leo cum ſuis, ut ſanè uicerat. Nam potentiſſimum totius occidentis monarcham Carolũ iſto beneficio & audaci facinore ſibi reddiderat obnoxium, iamq; potuit religionem illam ſuam nõ tantum de uſu imaginũ in templis, ſed & alia Papiſtica & Romanæ eccleſiæ figmenta per totũ propagare occidentem. CAROLVS enim poſt Pipinum patrem Francorum regnum aliàs uaſtiſſimum ita nobiliter (ut inquit Eginhartus Caroli & alumnus & ſcriba) ampliauit, ut penè duplũ illi adiecerit. Nam cum prius non amplius q; ea pars Galliæ quæ intra Rhenũ & Ligerim, oceanumq; & mare Balearicum iacet, & pars Germaniæ quæ intra Saxoniam & Danubium Rhenumq; ac Salam fluuium, qui Thuringos & Sorabos diuidit, poſtea à Francis qui Orientales dicunt, incolitur, & præter hæc Alemanni atq; Baioarij ad regni Francorum poteſtatem pertinerent, ipſe per bella maxima & grauiſſima primo Aquitaniam & Vaſconiã totumq; Pyrenei montis iugum, & uſq; ad Hiberum amnem, qui apud Nauarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertuſæ ciuitatis mœnia Balearico mari miſcetur. Deinde Italiam totam quæ ab Auguſta Prætoria uſq; in Calabriam inferiorem in qua Græcorum ac Beneuentanorum conſtat eſſe confinia, decies centum & eo amplius paſſuum millibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniam quæ quidem Germaniæ pars non modica eſt, & ad eam quæ à Francis incolitur latitudine dupla putatur cum longitudine poſſit eſſe conſimilis. Poſtq; utrãq; Pannoniam, & oppoſitam in alte-

Caroli magni in occidente potentia.

ra Da-

ra Danubij ripa Daciam, Hiſtriam quoq; & Liburniã atq; Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam & iunctum cum eo fœdus Conſtantino politanum imperatorem habere permiſit. Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ intra Rhenum ac Viſtulam fluuios, Oceanumq; & Danubium poſitæ, lingua quidem penè ſimiles moribus uero atq; habitu ualde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit ut eas tributarias effecerit. Inter quas ferè præcipui ſunt Vuelatabi, Sorabi, Abotriti, Boëmanni. Cum iſs nanq; conflixit, cæteras quarum multo maior eſt numerus, in deditionem ſuſcepit. Auxit etiam gloriam regni ſui quibuſdam regibus ac gentibus per amicitiã ſibi conciliatis. Nam Scotorum reges ſibi ſocietate deuinxit adeò, ut eum nunquam aliter quàm dominum ſeq; ſeruos eius pnunciarent. Cum Aarone rege Perſarum, qui excepta India totum penè tenebat Orientem talem habuit in amicitia cõcordiam, ut is gratiam eius omnium qui in toto orbe terrarum erant regum & principum facile præponeret. Ergo cum Carolus tot tantorumq; regnorum princeps & monarcha eſſet, Franciæ uidelicet, Germaniæ, Galliarũ, Italiæ, Hiſpaniarũ, Bohemiæ, Pannoniarum, Poloniæ, Daciæ, Dalmatiæ & multorum aliorum per occidentem populorum, cumq; uicinos reges terrore & fama, fortitudinis nominisq; ſui ſibi deuinxiſſet, ut nemo contra ipſum uel mutire auderet, cumq; epiſcopus Romanus hunc ad uota ſua paratiſſimum haberet, non mirum eſt ſi placita Romanenſium de Vſu imaginum in templis & neſcio de quibus alijs dogmatis nouis breui temporis ſpacio longe lateq; per occidentem ſparſa & cum tempore à pleriſq; approbata & recepta ſunt.

Dicitur ipse rex Carolus quatuor libros scripsisse contra Iconomachos pro imaginibus: quod quàm uerum sit illi uiderint qui se illos uidisse iactitãt, & de eis plus quàm de Bibliis exultant. Princeps quidem optimus fuit Carolus & satis eruditus, incomparabilis in pietate et eruditione in fortitudine et omnibus heroicis uirtutibus futurus, si uel in meliora incidisset tẽpora uel in meliores episcopos. Nam religionem in qua fuerat institutus sanctissime & summa cum ueneratione coluit, atq; ideo totius ꝓpemodũ orbis opes ab Hunnis ereptas, ecclesijs per regna sua liberaliter distribuit. Et ut artes liberales ipse diligẽter didicit, ita studia & studiosos scholis ubiq; institutis munifice fouit, & honoribus amplissimisq; donauit stipẽdijs. Aiunt quidam ab eo in Gallijs Parisiense gymnasium, & in Italia Ticinense institutum esse. Præterea quod ipse fecit id alios quoq; principes & episcopos facere iussit. De qua re testari poterit ille Gabalionẽsis synodi canon, Oportet etiam ut sicut dominus imperator Carolus uir singularis mansuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, præcepit scholas constituant in quibus & literalis solertia disciplinæ & sacræ scripturæ documenta discant, & tales ibi erudiant quibus merito dicatur à deo, Vos estis sal terræ, & qui condimentum plebibus esse ualeant, & quorum doctrina non solum diuersis hæresibus uerumetiam Antichristi monitis & ipsi Antichristo resistãt. Et huiusmodi olim scholas fuisse crediderim, quas ueteres ecclesiæ celeberrimæ cathedris suis coniunctas habuere. Sed redimus. Sanctas è sacra cathedra orationes siue expositiones frequenter & libenter audiebat. Orabat ardentissime & intentissime. Laboris erat patiens. Plerũq; suorum

De Vita et moribus Caroli.

causas

cauſſas ipſe audiebat & excutiebat. Aduerſam fortunam ferebat animo infracto. In primis uero curabat diligẽter uiduas & pupillos. Per omne uitæ ſuæ tempus ita cum ſummo omnium bonorum amore atq; fauore & domi & foris conuerſatus eſt ut nunquam ei uel minima iniuſtæ crudelitatis nota à quoquam fuerit obiecta. Amabat peregrinos, & eorum ſuſcipiendorũ magnam habebat curã. Circa pauperes ſuſtentandos & gratuitam liberalitatem, beneficentiſſimus erat. In potu & cibo temperans, ſed in potu tẽperantior, inediæ erat impatientior. Conuiuabatur rariſſime. Inter edendum Lectorem audiebat. Legebantur hiſtoriæ & antiquorũ regum geſta. Breuiter egregijs heroicisq; uirtutibus pulcherrime exornatus facile uel optimos Principes in orbe uiciſſet, uel cum optimis conferri potuiſſet, ſi minus apud eum ualuiſſent Romanenſis epiſcopi artes, & ſi ſtuduiſſet magis patriæ quàm Papæ patrem ac patronum agere. Quanquam uiro tanto plurima cenſeam condonanda eſſe, cum propter eximias in ipſo uirtutes, tum quod errore non malitia peccaſſe uideatur. Nam diſſimulare alioqui neq; poſſumus neque debemus uni nos Carolo bonã ſuperſtitionis partem in eccleſia occidentali debere. Verum euenit ei quod præclariſſimis aliâs ingenijs ſemper eueniſſe cernimus, ut quo ſint excellentiora tanto turpiores ſibi contrahant maculas. Propoſitum id claret in Gedeone, Dauide, Solomone & alijs principibus illuſtriſſimis. Id quod hoc potiſſimum nomine tot uerbis expono ne quid ueri diſſimulem aut ſubticeam, & ne malignius boni alioqui principis res geſtas, in quas ex negotio cauſſæ incidimus, recenſere uidear.

Poſt tempora Caroli ſequuta ſunt multo corruptio

Recipitur augetur, progredi= tur & uin cit idolola tria.

ra sæcula. Nam ut opes episcoporum augebantur è superstitione in diem, ita simul creuere superstitio & luxus. Tandem omnia semel diuina & humana subiecit sibi tyrannis Papistica. Enata est circa 1212. annum uerissima orbis deceptio & perditio, Monachorum mendicantium turba iners, audax, ceruicosa, peruerse religiosa, & ad superstitionem plantandam colendamq; mirifice apposita. Hæc simplicitate & stultitia uulgi abutendum sibi existimans, picturis fucis ornamentis & mundo muliebri, quo stolidos delectari uidebat, inuitauit et induxit in errorem ijsdemq; nugis in eodem retinuit. Ideo uero & quidam ex illo grege uastissimos libros de diuis de imaginibus deq; cultu & ueneratione diuorum reliquiarũ et simulachrorum scripserunt. Extant sermones parati de Sanctis, de Sanctorum miraculis. Extant historiæ inter quas maxime illustres Lampartica & Legenda aurea. De hac Lodo. Viues

Legenda aurea.

lib. de Corrupt. artibus 2. Quàm indigna, inquit, est diuis & hominibus Christianis illa sanctorum historia, quæ Legenda aurea nominatur; quam nescio cur auream appellent, cum scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid fœdius dici potest illo libro? Recepta tamen est à concionatoribus & populi pastoribus & magna cum grauitate, si dijs placet, exposita est publice è sacra cathedra in ecclesijs. Igitur ueneratio quædam sanctorum stulta & impia enata est in hominum pectoribus. Extructa sunt templa & sacella. Institutæ sunt ad idola peregrinationes. Allata sunt sacrificia. Suspensa sunt anathemata, ex rapinis, furtis, usuris & rebus collecta turpibus. Quid quod miracula etiam circa statuas ædita mirifice prædicarũt, ut quæstus esset ditior? Quid quod episcopi ipsas statuas &

res

res inanimes consecrarunt & priuilegijs indulgentia rum donarunt? Quid quod nihil omnium eorum omi serunt, quæ modo ad idololatriæ commendationem fa cere uidebantur? Ideo nostro sæculo factum dolemus quod idem apud nos est diuorum & simulachrorũ cul tus, superstitio eadem, quæ fuit apud Gentes in colen dis dijs atq; idolis. Id quod post aliquot capita euiden ti collatione manifestissimum faciemus. Hæc autẽ ha ctenus de Origine simulachrorum in templis Christia norum & progressu idololatriæ diximus.

Tractatur Lex dei lata contra Idola Exodi 20. pro unius dei iusta adoratione & iusto cultu. Cap. XXVII.

Refellerem nunc causas ob quas quibusdam uisum est idola in templa Christianorum re cipere, nisi ère auditorum & totius negotij fore uideretur paululum digredi & pro assertione ue ritatis orthodoxæ Legem dei cõtra omnis generis ido la obiter tractare. Legitur illa Exodi 20. cap. in hæc uerba, Loquutusq; est deus, dicens, Ego dominus de us tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo seruitutis. Non erunt tibi dij alieni coram facie mea. Non facies tibi sculptile atq; omnem similitudinem quæ est in cœlis desuper & quæ in terra deorsum, & quæ in aquis sub terra. Nõ adorabis ea, et nõ coles ea, uel nõ seruies eis. Quia ego dominus deus tuus, deus æmula tor, uisitans iniquitatẽ patrum in filijs, in tertijs & in quartis, qui odiunt me: & faciens misericordiã in mil libus, his qui diligunt me, & obseruant prȩcepta mea. Hactenus diuinæ legis uerba recitata sunt, quę porrò uidentur esse tractanda per partes.

Prima pars seu præceptum primũ habet duo mem

Verus deus pro nostro deo habendus.

bra. Primum præcipit ut habeamus Deum uerum nõ tantum pro Deo sed pro Deo nostro. Dicit enim dominus, Ego dominus Deus tuus: utq; tribuamus illi suas proprietates quod unus, uiuus, uerax, iustus, clemẽs, misericors, longanimis & æternus sit, qui per se uiuat, ad omnia sibi sufficiat, omnia creaturis distribuat, omnia administret & conseruet, quippe qui solus uerbo potentiæ suæ condiderit omnia. Deniq; præcipitur ut huic soli fidamus, solũ inuocemus, in hunc unum speremus, solum adoremus, metuamus, colamus diligamusq; ex totis uiribus toti. Huic parti subiicit euidentem demonstrationem ac probationem, amplissimum illud & planè magnificum facinus liberationis ex Aegypto. Erat id recens adhuc in omnium memoria ac tale quod in se omnes propè proprietates uirtutesq; dei copulatas proponebat spectandas. Nobis recentior est memoria Christi, per quem cœlestis pater totum orbẽ liberauit è captiuitate sathanæ, principis tenebrarum, & in quo omnes cœlestes thesauros nobis abunde proposuit. Sunt innumera & stupẽda alia Dei in orbe beneficia. Istis autem omnibus uoluit nobis diuina bonitas suam potentiam, maiestatem & beneficentiam declarare, ut ex illis per fidem colligeremus Deum summum esse bonum thesaurũ inexhaustum, & nostrum quidem esse deum nobis benignum & propitium patrem ac dominum, qui & possit & uelit quæcunq; sanctorum uota sunt tribuere.

Alieni dij non habendi.

Secundum membrũ uetat ne habeamus deos alienos, hoc est, ne ullam creaturam uel in cœlo uel in terra pro deo nostro habeamus: & ne tribuamus ea quæ dei creatoris sunt ullis creaturis. Deus ergo alienus erit quicquid extra & præter deum uerum nobis effingimus

gimus quod metuamus aut cui fidamus quod amemus atque ſuſpiciamus. Nam ſolus deus uerus amor, ſpes, petra & timor noſter eſſe debet, quemadmodum & Dauid confitebatur, canens: Domine, tu es petra mea, caſtrum meum, & refugium meum, deus meus & rupes mea cui innitar, ſcutum meum, cornu ſalutis meæ & aſylum meum. Igitur peccant in hoc præceptū qui ſpem & præſidiū uitæ collocant in diuos, quibus inuocant ut bona dent aut auertant mala, aut ſuis hoc à deo meritis & precibus impetrent. Nam ſolus deus bona dat et mala auertit, unde à ſolo deo pendet homo quiſquis legem dei audit. Illud quoq; non ſine emphaſi dicitur quod apponitur Coram facie mea. Id enim perinde eſt ac ſi pater filio rem uehementer abſurdam & abominandam interminans, ſumma cum ſeuerita-te dicat, Vide ne rem iſtam me præſente uidente-q; inceptes: id eſt, quiduis potius quàm rem illam nephandam tentabis. Et hæc eſt prima Lex.

Non faciendum eſſe idola.

Ex illa ducitur ſecunda, quæ contra idola profertur. Prima pertinet ad internam pietatem ut recte de Deo iudicemus, ſentiamus & credamus: ſecunda cor rigit externam religionē. Viſum eſt enim multis multorum certe ſæculorum ſapientibus Deum inuiſibilem ſigno aliquo uiſibili conſtituto eſſe colendum. Diuerſum uero lege lata decernit dominus. Nam uetat Deum uel uerum uel alienum aut exprimere aut colere ſigno. Præterea eleganter Idolorum ſiue ſpecierum enumerat genera, ſculptile, fuſile, & ſimilitudinem. Eſt autem ſculptile quod lapide uel ære ligno ue ſculpto uel inciſo fit. Fuſile quod ære uel auro aut quo uis metallo fuſo ſpeciem aliquam refert. Similitudo latius patet & extenditur ad picturam uel ad omnē ſpe-

ciem quæ aliam imitatione repræsentat, quocũq; tandem id modo comparatum sit coloribus, graphio, aut quacunq; ratione. Proinde uetuit dominus facere scalpere, inscindere, fundere, fingere uel pingere signa, imagines, statuas, icones uel picturas. Sed quarum rerum? Iam exprimuntur res quibus prohibet ponere signa, Non facies tibi sculptile atq; omnem similitudinem, inquit, quæ est in cœlis desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ in aquis sub terra. In cœlo sunt Deus, Angeli, Diui: quibus addere potes solem, lunam et astra, denicq; omnia ea quæ sunt in firmamento supra terram & infra cœlum in aëre. In terra sunt homines animalia & uarij generis radices, herbæ, plantæ, frutices, arbores, & innumera alia. In aquis agunt pisces, monstra marina. Apud inferos sub terra sathan, dæmones & spiritus perditi.

Non facienda ad religionem.

Rogas, Igitur non licebit porrò pingere uel angelum, uel hominem, uel urbem, fruticem, arborem aut florem? Subiungitur explicatio, Non adorabis ea neque coles, id est, non facies aut parabis tibi ullas ullarum rerum imagines eo fine & instituto ut adores aut colas, aut ut in illis ullam pietatem, religionem & cultum putes constitutum. Nam nemo aliâs damnarit picturas hominum honestas, picturas animalium, radicum, arborum, herbarũ, urbium & regionum. Tales enim picturæ & utiles sunt & necessariæ ad demonstrationem. Et in huiusmodi picturis nulla cõstituitur religio. Verum si hominum audacia propter religionem fiant, ut hodie in templis nostris factũ uidemus, quid tum? Non adorabis neq; coles. Adorant autem & Colunt qui illis fidunt & ea amant, qui illis preces fundunt, qui se ante ipsa incuruant, geniculant, aut toti

toti procumbũt, aut etiã caput nudant, itẽ qui ad illa sacrificant, thurificant, incẽsum ponunt, aut qui in loca consecrata uenerantis animo collocãt. Vnde si uim legis explices, sensus erit, Idola si fiant, tu tamẽ illa neq; amabis neq; reuereberis, nullo pacto honorabis, nec tantillũ illis deferas quasi ad religionẽ quicq; cõferãt.

His addit grauissimas minas. Quoniã ego inquit dominus deus tuus sum deus zelotes, id est, irritabilis qui idolis prouocor ad iracundiam & indignationem maximam, & qui in contemptores animaduerto grauiter. Licet enim non statim puniam, differo tamẽ uindictam ad tempus commodius. Neq; enim ideo se impunitos fore putabunt filij, quod patres idola coluisse & tamen feliciter & uixisse & excessisse uisi sunt. Nã illam patrum iniquitatem in filijs non sinam impunitam, licet in tertiam & quartam generationem distulerim. Rursus beneuolentiam suam pollicetur obsequentibus. Nam deus sum, inquit, qui benefacio non tantũ certis aliquot & numeratis generationibus, sed mille, id est, innumeris sine modo fineq; : si modo me diligant, me adorent, mihi adhæreant & credant, præcepta mea, non sui capitis figmenta, seruent, & idola neq; faciant neq; ullo loco aut honore dignentur.

Hæc hactenus de Lege dei quæ non tantum certa est & inuiolabilis, sed aperta & perspicua. Quicquid ergo pro simulachrorum usu in templis Christianorũ protulerit totus mundus, facile eludet pius et legis dei amans, per hanc legem. Neq; quisquam ignorare potest Templum inter Christianos primũ cultus locum occupare. Quid ergo in loco cultus facient idola, quæ si fiant aut adhibeantur ad cultum, lege dei prohibita sunt? Scio nõ defore uerba aduersarijs, de quibus pau- *Simplex est lex dei.*

lo post dicemus, in præsenti hoc tantũ dixerim, Deum cum optimus & sapientissimus præterea omnium dominus sit, nouisse quid nobis creaturis suis, p desse aut nocere posset. Atqui is apertissime dixit, Nõ facies ullam similitudinem neq; cœlestium, neq; terrestrium, neq; infernorum: non adorabis eam neq; coles. Quis ergo tu qui te deo opponas? Si ille dominus est cuius tu seruus es, quare non audis præcipientem? quare non obedis? quare disputas & uerba eius plana in dubium uertis?

Quomodo Iudæi intellexerint legem de idolis.

Constat propter hanc dei legem luce clariorem, & Iudæos à rædificata urbe & templo restituto & ante modis omnibus horruisse omnis generis imagines, et Christianos aliquot sæculis à tẽporibus Christi & apostolorum nullam imaginem aut picturã in templa sua recepisse. Nam Origenes lib. contra Celsum 4. de Iudæis in hæc uerba scribit, Si quis uelit Iudæorum priscum illum uiuendi morem (non enim loquitur de Iudæis tantum è transmigratione reductis) aduertere, & legum institutionibus illis uacare, cõperturus est plane hos homines extitisse, qui uitæ cœlestis umbram in terris prætulerint: nimirũ apud quos præter eum qui cunctis præsidet rebus pro Deo nihil unquam sit habitum, nec quisquam siue imaginum fictor siue statuarum fabricator in eorum repub. fuerit, ut quos procul lex ipsa abigeret, ut ne qua his esset fabricandorum simulachrorum occasio, quæ stultos quosdam mortaliũ à deo reuelleret & ad cõtemplanda terrena animi oculos retorqueret. Et reliqua. In illis uero discimus lege dei adeò non permissa esse ullius generis idola, ut ne fabricatores quidem idolorum sibi in sua repub. ferendos existimarint. Caussa aperte additur, Ne animos

morta-

mortalium à deo reuelleret, & ad contemplanda terrena animi oculos retorqueret. Ioſephus lib. Antiq. 17. cap. 8. multis exponit quomodo iuuenes quidam zelo legis incenſi auream aquilam, quam Herodes ſupra portã templi poſuerat, deiſcere ſtatuerint, eo quod diuina lege imaginum eleuationes & propoſitiones eſſent prohibitæ. Idem lib. 18. cap. 5. res Pilati perſtringens, Venit Hieroſolymam, inquit, & ſecum ſtatuas Cæſaris quæ in ſignis militaribus inerant, intromittit. Imagines autem aut aliquid huiuſmodi facere, lex noſtra prohibet. Et propter hoc ante illum omnes Iudææ rectores ſine ſignis ingrediebantur mœnia ciuitatis. Primus autem Pilatus ignorãtibus populis introgreſſus, ſigna quæ ſecum apportabat, in ciuitate cõſtituit, &c. Reperiuntur huius generis quædã etiam in cap. 15. Manifeſtum ergo eſt Iudæos propter hanc legẽ omnino ab idolis abſtinuiſſe. Cumq; nemo omnium unq; dixerit Gentem illam legem propriam non intellexiſſe, certe conſequens eſt noſtros homines et legem non intelligere & imagines contra ſententiam legis erigere in templis.

Quomodo Chriſtiani ueteres legem de idolis intellexerint.

De Chriſtianis antiquis ſcribit uetuſtiſſimus et conſtantiſſimus fidei Chriſtianæ defenſor Origenes libro contra Celſum 8. Celſus & aras & ſimulachra & delubra nos ait defugere quo minus fundentur: quandoquidem inuiſibilis noſtræ huius & inexplicabilis communionis fidem & charitatis, factionẽ eſſe exiſtimat. Cum interim non uideat nobis quidem pro aris & delubris, iuſtorum eſſe mentem: à qua haud dubie emittuntur ſuauiſſimi incenſi odores, uota inquam & preces ex conſcientia puriore. Vnde Ioan. in Apocalypſi ſic inquit, Incenſa ſunt orationes ſanctorum, & apud

Hymnidicum illum, Fiat oratio mea sicut incẽsum in
„ conspectu tuo domine. Sunt præterea & SIMVLA-
„ CHRA et deo dignæ oblationes, non per impuros opi
fices aliquos fabricata, sed per dei uerbum in nobis &
ædita & formata. Insunt igitur omnibus simulachra
huiusmodi, qui ex diuina doctrina continentiam sibi
& iustitiam fortitudinemq; & sapientiam & pietatem
pararint & reliquarum uirtutũ structuras: in quibus
par esse crediderim ei honorem deferri, qui omniũ sit
simulachrorũ exemplar, imago scilicet inuisibilis dei,
unigenitus deus, uel hi quidem qui ueterem hominẽ
cum suis operibus exuentes nouum deniq; induunt,
qui renouatur in agnitione dei secundum imaginem
eius qui creauit eum, ut eius qui se creauit recipiant
imaginis similitudinem, in seipsis fecerint simulachra,
qualia summus ille uult deus. Et mox, Et ut summa-
tim expediam, Christiani omnes et quas diximus aras
& quæ iam ostendimus simulachra collocare maxime
adnitũtur, NON TAMEN INANIMATA ET IN-
SENSIBILIA QVAEDAM, nec dæmonum siue lo-
ca siue simulachra, ut diximus, susceptibilia, quæ pri-
us illi insederint, SED SPIRITVS DEI CAPATIA,
qui uirtutem inhabitat. Tabernacula, & eius utiq; dei
ad sui nos imaginem struxerit, et ueluti ad domesticos
& familiares accedat: sic autẽ Christi & spiritus (ut ita
dixerim) similiter figuratis insederit. Et hæc ipsa cum
uellet diuinus sermo prætendere, deũ descripsit in pro
missione iustos sic alloquentem, Inhabitabo in ipsis et
inambulabo, eroq; illorum dominus et ipsi erunt mihi
in populum. Saluatorẽ uero ita dicentem, Si quis uer-
ba mea audierit & fecerit ea ego & pater ueniemus ad
eum, & mansionẽ apud eũ faciemus. Disquiratigitur
quicunq;

quicũq; uelit aras ístas quas nuper expoſui, & ſi lubet cum arís his cõferat quas intulit Celſus, & SIMVLACHRA IPSA DEVM COLENTIVM ANIMIS INSIDENTIA cum Phídíæ íllíus & Polycletí ſímulachrís & opíficum cæterorũ huiuſmodi. Profecto aperte intelliget illa quídem ínanímata & temporís proceſſu corruptíbília fore, noſtra uero hęc ín anima ímmortalí permanſura tandíu quandíu rationalís anima in ea uoluerit permanere. Hęc Orígenes, manífeſtíſſíme teſtans Chriſtíanís nulla ſuo ſæculo uiſíbília ſíue materíalía fuiſſe ſímulachra ín templís, ſed uírtutum duntaxat ín anímís: nímírum quod & ípſí legem dei ita íntelligerent quemadmodum & nos hodíe exponímus. S. Chriſtí martyr Cyprianus ídola non tantum cõtra dei legem ſed etíam cum homnís natura & conditione pugnare exíſtímauit. Nam cõtra Demetrium díſputans aít, Quæ mentís ígnauía eſt ímò quæ deſípientium cæca & ſtulta dementía ad lucem de tenebrís nõ ueníre, et mortís æternæ laqueís uínctos ſpem nolle ímmortalítatís excípere, non metuere deum cõmínantem atq; dícentem, Sacrífícans díjs eradícabítur níſí deo ſolí? Et ítérum, Adorauerunt eos quos fecerunt dígíti eorum, & ícuruatus eſt homo & humílíatus eſt uír, & non laxabo íllís. Quíd te ad falſos deos humílías & ínclínas? Quíd ante ínepta ſímulachra & fígmenta terrena captíuum corpus ícuruas? Rectum te deus fecít, & cum cætera anímalía prona & ad terrã ſítu uergente depreſſa ſínt, tíbí ſublímís ſtatus, & ad cœlũ atque ad deum tuum uultus erectus eſt. Illuc ítuere, íllúc oculos tuos erígе, ín ſupernís deum quære. Vt caterę ínferís poſſís ad alta et cœleſtía ſuſpenſum pectus attolle. Quíd te ín lapſum mortís cum ſerpente quem

colis sternis? Quid in ruinã diaboli per ipsum & cum ipso cadis? Sublimitatem serua qua natus es. Perseuera talis, qualis à deo factus es. Cum statu oris & corporis animum tuum statue. Vt cognoscere deum possis te ante cognosce. Relinque idola, quæ humanus error inuenit. Ad deum conuertere, quem si imploraueris, subuenit. Christo crede, quẽ uiuificandis ac reparandis nobis pater misit. Hæc Cyprianus uere & simpliciter scripsit. Atq; utinã ea simplicitas placuisset etiam posterioribus sæculis: uerum maluerunt neglecta dei lege apertissima, sui capitis figmenta & cogitationes sequi, qua re implicarunt se maximis erroribus atque calamitatibus. Nam prius monui propter usum imaginum in templis, & Romanum imperiũ esse diuisum, & Machometanorum supra quàm credi possit creuisse uires. Voluit haud dubie iustissimus & ueracissimus deus peccatum suorũ grande ista calamitate maxima secundum uerbum suum punire. Saul regno et regia dignitate excidit, quod nollet audire legem dei & obsequi diuinis monitis. Habebat quidem suas ratiunculas in speciem honestas & pulchras, uerum dominus oblationibus præfert obedientiam. Præceperat attauo nostro Adæ dominus ne ederet de fructu scientiæ boni & mali, uerum seduxit se & hic suis ratiunculis & toti mundo malum dedit internicinum. Idem dominus prophetæ cuidam misso in Bethel ad execrabilia Iarobeam sacra præceperat, Ne ederis panem neque biberis aquam, neq; reuerteris per uiam qua ueneris: uerum audiuit hic nescio quas rationes alterius cuiusdam prophetæ, & laceratus à leone occubuit. Dominus enim meram à nobis petit obedientiam. Ergo cum dominus aperte & simpliciter præceperit, Non

Nõ obtemperare legi, uel glossis eludere legem.

facies

facies idola, nõ adorabis ea neq; coles, audiamus quæ-
so dominum, & non audiamus rationes nostras diuer
sum nobis suadentes. Potius sit nobis præceptum dei
nostris cogitationibus quæ maioribus nostris nunq;
bene cesserunt. Caueamus ergo à simulachris. Qui pe
riculum amat perit in eo. Et quanquam hæc pijs suffi-
cere poterant, recensebimus tamẽ paulò copiosius ar-
gumenta aduersariorum, & ne cui imponant, confuta
bimus ea pro gratia concessa nobis à domino.

Recensentur argumenta illorum qui imagines in tem-
pla receptas defendunt. Cap. XXVIII.

VDiuimus quæ apud ueteres potissimæ fue-
rint caussæ propter quas simulachra in tem-
pla recipi posse existimauerunt, nimirum ut 1
monimenta essent rerum gestarum ut docerent exci-
tarentq; animos contemplantium. Quò omnino per-
tinere uidentur illa Ioan. Damasceni uerba quæ ita le
guntur Stapuleñ. interprete libro de Orthodoxa fide
4. cap. 17. Et quia non omnes literas norunt, neque le
ctioni incumbunt, patres nostri consenserunt ueluti
quædam trophæa hæc in imaginibus repræsentare ad
promptam memoriam. Siquidem ob negligẽtiam fre-
quenter cogitatione non tenentes passionem Christi,
imaginem transfixionis Christi uidentes, in saluatoris
passionis memoriã redimus, & procidentes adoramus
non materiam sed imagine repræsentatum. Similiter
autem & sanctorum fortia facta præparant nos ad for
titudinem & zelum & imitationem uirtutis illorum
& gloriam dei. Hoc ipsum iudicauit Gregorius qui di
xit Picturam esse scripturam laicorum. His addunt 2
quidam hodie & alia pro simulachris argumenta. Le- 3

gem dei latam Exodi 20. aiunt nihil ad nos pertinere,
4 quod ceremonialis sit. Adijciunt & hoc, Non licuisse ueteribus ullam deo ponere figuram aut statuam, eo quod nondum uisus fuerit in specie humana, nunc autem maxime licere cum incarnatus hominibus per omnia similis factus sit, excepto peccato. Atq; huc iam applicant fabulam de Abagaro quodam Edesenorum rege, quam hisce uerbis reddidit nobis Damascenus, Fertur autem & quædã historia quod dominus Abagaro Edesenorum ciuitatis regi, qui pictorem miserat ut domini similem pingeret imaginem. Non ualente autem pictore ob resplendẽtiam faciei suæ claritatem, ipse uestimentum faciei suæ diuinæ & uiuificæ applicans, in uestimento suũ ipsius imaginem absterſit, & sic desideranti misisse Abagaro. Ad hæc fingunt dominũ Iesum Veronicæ aut Beronicę cuidam uultus sui imaginẽ peplo impressam tradidisse. Et Lucã euangelistã uirginis matris speciem coloribus ad uiuam faciem expressisse. Et Nicodemum eum qui nocte uenerat ad Iesum, imaginem habuisse crucifixi domini, cuius meminerit sacer Athanasius, describẽs miraculum quod
5 contigit in Berytho clarissima Phœniciæ urbe. Præterea opponũt legi dei, dei facta ueluti pugnãtia, nempe quod idem qui uetuit facere imagines, iusserit facere Cherubim, boues, leones, lilia, rosas, & alia huius generis multa, quæ uidere liceat et in tabernaculo Mosis & in templo Solomonis. Mosen quoq; æneum erexisse serpentem & Iosue lapidem posuisse: ex quibus omnibus colligunt legem non simpliciter omnis generis imagines prohibuisse, ergo suas quoq; illas esse con
6 cessas. Rursus in nouo testa. inquiunt, nõ legimus prohibitas esse imagines, sed idola tantum. Atqui per

idola

idola nõ intelligenda esse simulachra, sed deos falsos. Ideoq; è Græco in Germanicũ perperam uersum putant, Idola Götzen oder Bilder: uertendum fuisse Abgötter oder falsche Götter. Christianos enim in signis aliã sequi rationem quàm gentes, quas certò cõstet lignum & lapides, imò diabolum coluisse: id quod Christiani non faciant. Ad illud uero confirmandum certa proferunt scripturæ testimonia, in primis illud ex Psal. 115. Idola Gentium sunt argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & nõ loquuntur, &c. Et illud Ezechiæ ex Isaiæ 37. cap. Certe domine perdiderunt reges Assyriorum terram earum, ponendo deos earum in ignem. Quoniam non sunt dij, sed opus manuum hominis lignum & lapis, ideo perdiderunt eos. Rursus illud Pauli 1. Cor. 10. Quæ immolant Gentes dæmonijs immolant & non deo. Et quemadmodum deus in lege sua prohibuit deos alienos, sic legem intelligendam existimant non de imaginibus dei uel sanctorum, sed de simulchris deorum Gentilium. His addunt, Imaginis uel dei uel sanctorum uenerationem transferri ad exemplaris honorem. Per exemplar ipsum deum in cœlo & sanctos eius intelligunt, qui imagine uisibili repræsentant. Ideoq; concedunt deũ adorandum esse in spiritu, sed apponunt, spiritum dei nõ reijcere signa uisibilia, id quod manifeste appareat in ratione sacramentorum. Sunt alij quidam qui clamant, Et ut maxime constet imagines lege dei prohibitas esse, attamen satis fuerit si expellantur è cordibus, id uero qui fecit non admodũ offenditur si palàm prostent. Plericq; idolorum patroni Ecclesiæ consuetudinem urgent. Vrgent quorundam Conciliorũ decreta, Niceni uidelicet secundi, Lateranẽsis habiti sub

7

8

9

10

11

12

13

Gregorio ſecundo & tertio, item ſub Stephano pontifice, & Franconofurdieñ. ad Mœnũ. In his oĩbus icono-
14 noclaſtæ & iconomachia, aiunt, dãnata eſt hæreſeos.
15 Vrgent patrũ quorundã ſententias. Nam dicunt in ſua opinione fuiſſe Epiphaniũ Selybriæ Olybriæ ue præſulem, qui, authore Suida, aduerſus imaginũ concrematores commentarium contradictorium impendio utilem ſcripſerit. Annumerant huic Gregoriũ cognomento magnum pontificem Romanũ, uirum doctiſſimum & ſanctiſſimum. Bedam quoq; Angloſaxonem, qui dixerit palàm, Imagines fieri in eccleſia dei, nulla diuina litera uetuit. Neq; Ioã. Damaſcenũ omittunt, authorem, ut aiunt, longe uetuſtiſſimum. Citant & Carolum magnum regem Catholicum & imperatorem à deo coronatum, qui ſcripſerit 4. libros contra imaginum Chriſti & ſanctorũ hoſtes, præterea et Eraſmum Roterodamum alterum noſtri ſæculi eruditio-
16 ne & laborum tollerantia Adamant. Origenem. Vrgent & miracula ad imagines paſſim facta ac ædita.
17 Vrgent ſanctiſſimi Imperatoris Cõſtantini magni exemplum, qui quod tradidit Baptiſta Platyna, aureas
18 Romæ ſtatuas Saluatori poſuerit & apoſtolis. Poſtremo illud S. Pauli ex 1. ad Corinth. cap. 8. proferunt, Scimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quod non eſt deus niſi unus. Hinc enim colligunt, Si nihil eſt idolum in mundo, idola ſeruaſſe nihil nocebit, illis præſertim qui nouerunt unum tantum deum adorandum eſſe atq; colendũ. Ex illis omnibus colligunt iure proponi in templis Chriſtianorum ſaluatoris deiparæ uirginis ſanctorum angelorum ac diuorum ſtatuas atq; picturas, & has citra peccatum & ſcandalum, imò magna cum gloria & fauore numinis coli & ornari poſſe

à fidelibus.

à fidelibus. Et hæc illorum sententia est, sunt ista sententiæ ipsorum argumenta & causſæ.

Respondetur ad singula aduersariorum argumenta. Cap. XXIX.

AGè expendamus nunc quàm sobrie & syn-ceriter iuxta fidei proportionem sua modularint aduersarij. Primo non magnopere statuariam, picturam & plasticē adeoq; ipsa simulachra & picturas impugnamus, si non adhibeantur ad religionem, & si extra templa statuantur. Non enim damnamus imagines & picturam simpliciter. Quis enim prohibeat Cæsari, principi aut ciui bene merito de re publica & regno statuam ponere? Quis extra templa non magis probaret honestas picturas, petitas è literis diuinis, q; signa obscœna desumpta è spurco aliquo poëmate? In religionibus autem illas ideo horremus, quod lex Dei simpliciter ad religiones simulachra facere prohibeat: & quod nos experientia & pluribus exemplis docti certo nouimus quo tandem inclinent si intromittantur in templa. Ipse quidem Zuinglius beatæ memoriæ ecclesiæ Tigurinæ episcopus, qui ab aduersarijs oīmibus fortis iconomachus & impius iconoclastes appellatur, non simpliciter omnem damnauit picturam. Nam in Confess. fidei ad Carolum V. Augusſt. Imagines, inquit, quæ ad cultum prostitutæ sunt, non censeo inter ceremonias, sed ex eorum esse numero, quæ uerbo dei ex diametro repugnant. Quę autem non prostant ad cultum, aut ubi cultus futuri nullum est periculum, tam abest ut damnem, ut pictoriam & statuariam dei dona esse agnoscam. Hæc ille. Interim usuuenire potest ut imaginibus uel picturæ

Pictura non omnis damnatur.

domi tuæ uel in foro positæ nimium tribuas, id quod minime à nobis approbatum putabis eo nomine quod hactenus templorum meminerim dūtaxat. Non ignoro totum mundum recte dici & esse templū dei ubiq; præsentis. Proinde si in foro aut in ædibus tuis pictura abuteris uel propter has quicquā in legem dei peccas, & è foro & è priuatis domibus illas tollendas, atq; legem dei, imò quoduis uitæ officium illis præferendū esse censeo. Extat enim & hic lex dei aperta in hāc sententiā, Maledictus uir ille, qui fecerit sculptile & conflatile, abominationem domini, opus manuum artificis, & posuerit in abscondito; respondebuntq; uniuersi de populo, & dicent, Amen. Deut. 27. Huc pertinet quod historici referunt ratum aliquando Imp. Theodosium Antiochenis ciuibus quod uxoris suæ Augustæ Placillæ æream deiecissent statuam; atque hoc nomine dira quæq; adeoq; ipsam mortem minitasse turbatoribus: at Macedonium quendam heremitam miræ sanctitatis uirum imperatori concitato hæc dicere mandasse, Non es imperator solumodo, sed etiam homo. Noli itaq; respicere solum imperium, sed considera quoq; naturam. Nam cum sis homo, eiusdem naturæ hominibus cognoscēris imperare: & secundum imaginem diuinam atq; similitudinem hominum creata natura est. Noli igitur crudeliter dei imaginem occidere. Irritas enim creatorem cum illius punis imaginem. Illud quoq; considera quod tu ipse tantū propter æream cōtristaris imaginē. Quantū uero differat inanimata res ab aīata uiuenti atq; rationali, cunctis sensum habētibus est apertū. Insuper etiā illud cōsideret, nobis quidem facile esse pro una imagine complures æreas reparare; at illi omnino difficile uel unum capillum

lum reſtituere peremptorum. Voluit ergo ſanctus hic dei ſeruus minimum quod in homine eſt multis præferri uel æreis Auguſtæ erectis ſtatuis. Quid ergo ſpiritus aut mentis habere credimus eos, qui hodie multos innoxios propter uiolatos quoſdã truncos diuos male repræſentantes, ſæuiſſimis mortium generibus perimunt? Ergo ubi officia uitę non impediuntur, aut ubi nullum cultus periculum exiſtit, ibi non magnopere offendunt picturæ.

Quod uero aduerſarij aiunt imagines docere & excitare contemplantiũ animos in rebus ſacris, id demum uaniſſimum eſt. Nam animi fidelium per ſolum dei ſpiritũ excitantur, qui licet in corde hominis operetur foris tamen ut inſtrumentis ſuis uerbo ueritatis & ſacramentis non caret, ita inter inſtrumẽta ſua idola non habet. Religioſiſſime ergo & Eraſmus in 3. lib. Eccleſiaſtæ non admittit concionatori, ut pro publica concione & è ſacra cathedra docens adhibeat picturã, ubi tamen uocalis quodamodo uidetur: in parietibus ac tabulis tantum nõ mutæ ſunt omnes imagines, unde non immerito minus uidentur ferendæ. Verba & iudicium Eraſmi ſi quis requirat, hoc eſt, Huic affine eſt quod quidã per imagines mouent affectus, aut per oſtenſas ſanctorum reliquias, quorum neutrum conuenit grauitati loci, in quo conſiſtit eccleſiaſtes. Neq; enim legimus unquam tale quicquam factũ uel à Chriſto uel ab apoſtolis. Alibi plurimum utilitatis habent imagines, uel ad memoriam, uel ad rerum intelligentiam. Quædam enim uix percipiuntur niſi depicta: uelut in deſcriptione ueſtitus, aut locorũ aut arborum, uel ad infigendum animo phantaſias, qua nimirum in parte conducunt & concionaturis. Verum ea digni-

Cõtra Dæmaſcenum quod idola non doceant.

tas est cõcionis ut eiusmodi admincula grauatim admittat. Habes grauissimum & emunctissimum eruditissimi uiri iudicium, quo suus honos & suus usus tribuitur imaginibus, quo item non admittuntur in locũ sacrum & ad eam dignitatem quę soli uerbo debetur. Certe doctrina de Deo & filio eius unigenito, de operibus eius, deq; religione sancta ad dei cultũ pertinet. Atqui idola non habenda sunt ad cultum, iccirco nec ad docẽdum. Canit sanè propheta, Cœli enarrant gloriam dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum. Cæterum multum inter se distant opera parata digitis dei & parata manibus opificum. Viuunt illa et quodamodo animata sese domino sic efficiente oculis & animis contuentium insinuant. Hæc uero prorsus inanimata nihil euidentiæ, nihil energiæ, nihil denique uigoris ac uitæ habent. Iccirco nõ semel maxima cum emphasi in prophetis apponitur, Quos fecerunt digiti eorum, Opus manuum hominum. Prętera dominus ipse q̃modo homines doceri uelit manifeste edocuit. Nam Deut. 6. dixit, Et erunt uerba legis quæ ego præcipio tibi hodie, super cor tuum. Recensebisq; ea filijs tuis, & loqueris de eis cum resides in domo tua, atque cum ambulas per uiam, cum uadis dormitum & cum iterum surgis. Ligabis denique ea in signum super manum tuam, eruntq; monitoria inter oculos tuos. Scribes etiam ea super postes domus tuæ & in portis tuis. En, In corde tuo sit uerbũ meum, ait dominus, non in lapide aut pariete. Illud recensebis filijs tuis, nõ imagines in tabulam illitas aut Mercurialibus statuis impositas obijcies. Idq; nõ uno tempore aut loco, sed omni loco & tempore: non semel, sed frequentissime & quasi sine intermissione facies. Nam cõsequentibus membris

bris non externam rem ursit, sed studium & perpetuitatem ac indefessam uerbi dei diligentiam, quę si inueniatur in uita nostra, nullum locum habebunt imagines: sin minus, nihil proderunt, nihil docebũt, nihilq; mouebunt imagines. Hoc ipsum inculcauit & copiosius & planius in cap. 4. docens sermonem dei siue legem esse qua deus suos erudiri uelit. Legẽ scripsit deus in tabulas lapideas, inquit, & eas uobis proposuit: nullam uero similitudinem uidistis in die illa, qua loquutus est dominus in Horeb, itaq; ad doctrinam rerum diuinarum nihil faciet ulla imago. Huc pertinere uidetur quod Exodi 32. traditur Mosen non adeò multos post dies ab extructo uitulo, id est, à posita deo imagine, maxima cum maiestate descendisse de monte, ac in manibus suis portasse tabulas fœderis: quasi ipsa re dominus suos erroris redargueret, ac diceret, Præter rationem & necessitatem posuistis in cœtu uestro deo signum in memoraculum aut eruditionẽ insipientiũ. Nam legem meam scripsi, scriptamq; uobis tradidi, ut hac uos erudirem, uoce uidelicet uiua, et nequaquam idolo muto. Hinc non legis apud gentem Iudaicã paulò religiosiorem porrò unquam in eum honorem imagines & picturam euectam esse, ut tribuerint ei officiũ docendi. Et dominus Iesus toti orbi doctores missurus, nõ pictores aut statuarios uocat eruditq; in pictoria aut statuaria & ablegat ut fingant & pingant, sed prædicatores instituens, & prædicatores emittẽs, euntibus iam præcipit, Ite in orbem uniuersum & prædicate euangelium omni creaturæ. Hæc inquã uera docendi ratio est, non utiq; pingere, sed prædicare euangeliũ omni creaturæ. Quid quod Abakuk in 2. cap. diserte dicit, Væ qui dicit ligno, euigila, & lapidi insen

sibili, excitare: ipsene doceret? Ecce opertus est auro & argento, & non est ullus spiritus in eo: dominus autem in templo sancto suo. In idolo, ait, nullus est spiritus, nulla uita, motus nullus: illúdne doceret? Quasi dicat, nihil stultius cogitari potest, quàm quod quidã aiunt idola & inanimatas picturas docere. Verus autem doctor deus est in medio templi sui, in corde fidelis hominis docens illa quæ utilia & æterna sunt. Huic iunge illud Pauli, Quid cõuenit templo dei cum simulachris? Et uos estis templum dei uiuẽtis. Viuentis inquam in uobis & operantis. Quorsum ergo opus erit monitoribus ac doctoribus idolis? Atq; huic testimonio prophetico & apostolico plano & aperto plus tribuo fidei quàm omnibus omnium Gregoriorum & Damascenorum glossis. Quid quod omnes prophetæ uno ore omnes clamant Idola esse uana & mendacia? At à uanitate et mendacijs quis obsecro doctrinam ueritatis expectet?

Cõtra Gregorium quod pictura non sit scriptura Laicorum.

Nunc & ad Gregorij uerba uenimus, in quibus tria potissimũ uidẽtur nobis proponi. Primum, quod etiam prius annotare cœperam, Imagines ac picturas non esse proponendas ad cultum. Quod si proponantur ad cultum, omni modo esse reclamandum. Quare ergo non reclamant qui non nesciunt quid præcepe-
2 rit Gregorius, & uident interim quid faciat in templis Christianorum uulgus? Verum auaritia & compendium quod ex idololatria non sine fraude & sacrilegio capitur excæcauit omnes. Secundum quod proponitur illud est, quod tanto animi æstu Serenum interrogat, Dic frater à quo factum sacerdote auditũ est quod tu fecisti? Quod si per sacerdotes intelligit sanctos dei homines, diuinos, pphetas, & uiros apostolicos, quan-

tam

tam deus bone turbã ,pducere liceret si necesse esset? Verum omnibus alijs præteritis sanctum Epiphaniũ Salaminæ Cypri episcopum nominamus, qui idẽ omnino fecit quod Serenum feciſſe damnat Gregorius. Fuit is Epiphanius sacerdos dei, episcopus orthodoxus, & ab omnibus catholicis episcopis in primis à S. Hieronymo summo habitus in pretio. Hic palàm dixit Christi & sanctorum imagines in ecclesia Christi contra religionem nostram, & contra authoritatẽ scripturarum, & in maximum populi dei offendiculũ proſtitui. Nec id quidem semel dixisse & scripsisse satis esse credidit, sed inuentas abstulit atq; discerpsit. De qua re satis diximus in cap. 24. Restat ergo nunc tertium illud discutiendum, An pictura scripturæ loco data sit Laicis. Et quamuis per initia huius capitis satis, opinor, euidenter eam refutauerimus sententiam, attamẽ ne quid noui attulisse, aut iniuria affecisse uidear uel Damascenum, qui eiusdem sententiæ fuit, uel Gregorium magnum, opponam nunc istis ueterem illum & laudatissimum Athanasium magnum, ut ex huius iudicio æquus Lector dijudicet quàm uere ille dixerit picturam sanctorum scripturam esse Laicorum. Athanasius ergo in lib. contra Gentes, Philosophi Gentiũ, inquit, & qui apud eos eruditi dicuntur, cum urgeri à nobis cœperint, non negant hominum & mutorũ animalium formas atq; effigies esse, qui apud eos uidentur dij: uerum hanc afferunt rationem, iccirco se illas imagines fingere, ut per eas sibi deus respondeat & reueletur: non posse enim inuisibilem aliter nosse, quàm per huiusmodi signa ac teletas. Alij sapientiora his & altiora se dicere arbitrantes, aiunt, ideo hæc fingi atq; formari ut per ea cœlestes inuocentur & appareant

Id est ceremonias mysticas & initiationes.

angeli atq; uirtutes, sicq; apparentes uerã illis dei insi-
nuent notionem. ESSE ENIM EA HOMINIBVS
VELVTI LITERAS, quæ relegentes possint per eã,
quæ ex illis insinuatur cœlestium spirituum reuelatio
nem & dei intelligentiam consequi. Ita quidem illi per
quàm sanè fabulose, neq; enim rationabiliter dicunt.
Hæc hactenus Athanasius de Gentium sententia: cui
si iam componas Gregorij sententiam, eandem omni-
no dices. Hic enim, Quod legentibus scriptura est, in-
quit, hoc idiotis pictura præstat cernentibus. Hæ ue-
ro, Esse, aiunt, ea hominibus ueluti literas, &c. Quid
uero de his iudicat Athanasius? Fabulose id & sine ra
tione dici. Imò copiosius illa refutans subdit, Nam ut
eos percontemur sub iudicio ueritatis, Dicant quæso,
quo pacto per hæc aut respondeat aut noscitur deus?
Vtrum per circumpositam illis materiam, an per indu
ctam materiæ formam? Nam siquidẽ ob materiã, quæ
iam formæ necessitas, ut nõ prius etiam quàm ista fin-
gerentur, per omnem prorsus materiam apparuerit
deus? Frustra uero templa quoq; isti fabricati sunt, in-
cludentes intrinsecus unum uel lapidem uel lignũ aut
quamlibet auri particulam, cum hisce substantijs terra
omnis plena sit. Porrò si superducta effigies apparitio
nis diuinæ caussa est, quid iam auro cæteraq; materia
opus est, ac non magis per ipsa uera animalia, quorũ
formæ simulachra sunt, deus reuelatur? Nam clarius
profecto dei gloria, iuxta eorum rationem innotesce-
ret, si potius per animata rationabilia & irrationabilia
quàm inanimata & immobilia manifestaret. Quibus
in rebus MAXIMAM IMPIETATEM in perniciem
suam operantur. Hactenus Athanasij uerba recensui,
quæ tametsi dicta sint in Gentes sui sæculi, aptari tamẽ
poterunt

poterunt in nostros quoq;, qui Gentilismum in imagi nibus reducunt. Et quid in nostris picturis ac imagini bus uisitur præter materiam & formã? Quod si dicas, Formam materiæ inditam significare ac docere, Age (ut nihil ex Athanasij argumentis repetamus satis alî âs euidentibus) explices nobis licebit doctum an indo ctum doceant imagines ac picturæ? Indoctũ sanè eru dire non possunt, nisi ponè habeant interpretem. Ne sciet enim imperitus quid repræsentetur statua uirgi nis matris aut crucifixi domini. Doctus uero sibi mini me opus putat, ut è parietibus discat, quod è uerbo dei certo didicit. Quid quod maxima religionis nostræ mysteria nullis exprimi possunt coloribus? Nã redem ptionis uim, futuræ uitæ gloriam, imitationem uirtu tum, obedientiam uerbi, quo penicillo exprimes obse cro? Placeat ergo nobis uerus doctor spiritus sanctus, qui uerbo & sacramentis suos erudire uoluit: per quæ nobis omnia palàm & aperte tradi possunt, & à pecto re, spiritu dei non uacuo, percipi. Quod si post illa om nino uisibilia quædam quibus operum dei admonea ris, cupis, attolle oculos ad ipsamet dei opera. Simula chra & imagines imitamẽta & rerũ umbræ sunt. Con uertamur ergo ad ueritatem potius contemplandam. Simulachra à simulando nomen indepta sunt. Vnde in hæc uerba colligit Lactantius lib. Institut. 2. cap. 19. Quicquid simulatur id falsum sit necesse est: nec po test unquam ueri nomen accipere, quod ueritatem fuco & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio non res potissimum seria, sed quasi ludus ac iocus est, nõ religio in simulachris sed minus religionis est. Præ ferendum est igitur uerum omnibus falsis. Calcanda terrena ut cœlestia cõsequamur. Tantum ille. Quod

si nihil ueri est in imagine, doctrina autem nostra uera esse debet: si nihil religionis est in simulachris, doctrina autem ad religionem pertinet, quis porrò dixerit ideo ferenda esse idola ut rerum gestarum admoneamur & in ueritatis doctrina per illa erudiamur?

An lex cõtra idola ceremonialis sit.

Ceremonialem aiunt esse legem latam contra imagines Exodi 20. Quod quidẽ facile dicitur, nõ eadem uero facilitate probatur. De etymo uocabuli Ceremonia uariarunt authores. Certum tamen est illud à Gentibus ad nos esse translatũ. Thomas Aquinas in prima secundæ quæst. 99. art. 3. refert fuisse quosdam qui existimarint Ceremonias esse dictas quasi dona Cereris. Nam Cererem frugum deam & primitus ex frugibus deo oblatum esse, unde demum illa uox omni cultui dei aptata uideatur. Aulus Gellius in 4. cap. 9. Ceremonias dictas putat à carendo: quem fortassis sequutus Aurel. Augustl. lib. retract. 2. cap. 37. ceremonias dictas credidit, quasi caremonias, eò quod obseruantes, careant ijs rebus quibus abstinent. Et quanquam horum sententiam non damnẽ, uerisimilior tamen eorum esse uidetur qui uocabuli originem deducunt à Cærete ciuitate Thusciæ. Nam Strabo lib. de Situ orbis 5. testis est Cærites capta urbe Roma, redeuntes Gallos & spolijs onustos & fudisse in agro Sabino & spolijs exoneraſſe: præterea eos qui ad se Roma capta fugerant benigne excepisse simulq; æternum ignem sacerdotesq; Vestales summo protexisse studio. Hic autem apparet Romanos in eius beneficij memoriam uoluisse ut omnis diuinus cultus à Cærete uocaretur Ceremonia. Atq; ita constat & Gellium in 10. cap. 15. usurpasse Ceremonias p legibus institutis ac ritibus traditis de religione. Hæc de uocis origine: iam de usu eius

3

eius dicemus, quid per ceremonias legales intelligendum uideatur. Apparet legem ceremonialem præscriptionem esse de cultu dei ritibusq; ecclesiasticis & de obseruationibus externis, repræsentantibus interim aliquid, pro loco & tempore, certo alicui hominum generi & ad certum tempus traditã. Qualis est præscriptio de Tabernaculo & ijs quæ erant in tabernaculo, de sacerdotio, de sacrificijs & quæ his cognata uidentur, de ferijs, de ablutionibus, pollutionibus, & ciborũ delectu, ut de non uescenda carne suilla, & quæ huius generis quàm plurima in lege reperiuntur. Aliter de lege ceremoniali nemo sanus docuit. Quod si adumbratio illa displicet aduersarijs, agè proferant meliorẽ. Videamus nos interim an idola sub legem ueniant ceremonialem. Si simulachra inter ceremonialia numerantur, profecto uel ad cultum dei & ritum ecclesiastícum pertinebunt, uel inter illas obseruationes externas recensentur quæ aliquid specie sua repræsentant, uel præceptum ipsum de idolis traditũ est Iudæis tantum, nec amplius quàm ad tempora correctionis, ad quæ etiam alia ceremonialia constat esse tradita. Cæterum palàm à cultu dei & ministerio ecclesiastico, tanquam sacrilegia repelluntur idola, hactenus ergo ceremonialia non sunt. Iam lex de nõ faciendis, adorandis ac colendis idolis, neq; ad certum tempus alligari potest, neq; solis Iudæis data uideri: nequit ergo esse ceremonialis. Nam constat omnes à deo doctos non tantum in populo electo, sed inter Gentes quoq; ante latam legem scriptam horruisse idola, nimirum quod eum horrorẽ concepissent ex uoluntate dei, quam ipsis deus in corda ipsorum uel apostolo teste inscripserat. Possem idipsum pluribus manifestum facere argu

mentis, nisi quædam huius & quantum satis est attigis sem in cap. 8. & 10. Prophetæ uero apertissime legem de idolis ad ecclesiam usq; prorogant, imò illam in hac maxime ualituram prædicũt. Nam ut de alijs nihil dicam, nónne Isaias aperte in 2. cap. Exaltabit, inquit, in die illa dominus solus et idola penitus conterentur. Et Zacharias in 13. cap. sic testatur, Et erit in die illa dicit dominus exercituum, exterminabo nomina idolorũ de terra, & non memorabuntur ultra. Proinde lex idolorum locum habet suum & in nouo testamento. Præterea non obscurum est quid sancitum sit in Consilio Hierosolymitano, in quo conuenerant presbyteri ecclesiæ & apostoli domini. Neq; obscurum & illud est quod idololatriam insectantur omnes omniũ apostolorum literæ, non ad Iudæos modo, sed ad nouũ illum dei populum ad Gentes scriptæ. Neq; uero & uerborum Origenis sumus obliti, quibus manifestissime attestatus est Christianos ueteres caruisse idolis. Desinamus ergo in re usqueadeò manifesta tergiuersari, nugari & in apertam ueritatis lucem nebulas offundere errorum. Lex illa contra idola à deo lata simplex est & perpetua. Agnouit hoc ipsum & Aurel. Augusti. qui epist. ad Ianuariũ de ritibus ecclesiæ, quæ ordine 119. est, Inter omnia illa decem præcepta, ait, solũ ibi quod de sabbato positum est figurate obseruandum intelligitur. Cætera tamẽ ibi præcepta proprie sicut præcepta sunt, sine ulla figurata significatione obseruamus. Nam & idola non colere manifeste didicimus, & non inuanum accipere nomen domini dei nostri, & honorare patrem & matrem, & non mœchari, non occidere, non furari, non falsum testimoniũ dicere, non concupiscere ullam rem proximi; non figurate aliud præ-

tendunt,

tendunt, & mystice aliud significant, sed sic obseruantur ut sonant. Obseruare tamen diem sabbati non ad literam iubemur secundum otium ab opere corporali, sicut obseruant Iudæi. Et ipsa eorũ obseruatio quia ita præcepta est, nisi aliam quandã spiritualẽ requiem significet, ridenda iudicatur. Et reliqua. Nõ est igitur quod quisquam posthac idola censeat numerãda esse inter Indifferentia. Indifferens est quod neq; bonum neq; malum est: siue enim feceris siue non feceris nec iustitiam habebis nec iniustitiam. Sic enim & Hieronymus in epist. ad August. indifferentia finiuit. Quis uero non intelligat id quod simpliciter lege dei prohibetur, ne scilicet fiat aut adhibeatur ad cultum, nequaquam posse dici indifferens? Si enim fiat, indubie malum est atq; peccatur.

Quoniam autem quidam existimarunt præceptũ illud quod contra idola pronunciatum est, nihil pertinere ad Christianos, ideo præterierũt id in Decalogo, & ultimum posterioris tabulæ præceptum dissecuerũt in duo: cum satis constet unum modo & simplex esse. Prohibet enim in genere Concupiscentiam. Deinde species siue partes subijcit, explicans quid prohibeat deus concupiscere, uxorem, opes, ædes, seruos, ancillas, denicq; & iumenta ac pecora proximi tui, breuiter, omne id quod possidet pximus tuus. Ex illa uero enumeratione partium isti fecerunt decimũ præceptum, ipsa re palàm reclamante. Neq; tamen adeò propter diuisionem præceptorum decertandum esse putarem, si hac diuisione sua non explosissent legem secundam tabulæ primæ latam cõtra idola. Nam uel apicem aut iota è lege ac uerbis dei transferre aut auferre denicq; nephas et flagitium esse uidetur longe scelestissimum. *De diuisione Decalogi.*

Constat autem Decalogũ & proprio dei ore pronunciatũ in concione populi Izraelitici, & digito dei proprio exaratũ esse in tabulis lapideis. Testatur hoc Moses Deut. cap. 4. & 5. Equidem non fidei modo uiolatæ, sed læsæ maiestatis accusatur & capite plectitur, quisquis è publicis regum instrumentis uel uerbũ expunxerit, aut in consessu magistratus principum literas legens sententiam aliquam præterierit sciens. Proinde credendum est illos in diuinam maiestatem grauissime atrocissimeq; peccare & magnã in se dei iram concitare, quicunq; scientes hoc dei sacrosanctũ præceptum uel negligunt, uel prætereuntes in obliuionẽ hominum abducunt. Non ignoro quid super hac re disputarit Magister in sententijs lib. 3. distin. 40. Nec ignoro & Aurel. Augustinum quæstio. in Exodũ 71. numerasse tria præcepta primæ tabulæ, septem secundæ, sed idem non præterit, non omittit, non dissimulat secundum. Nam hoc primi explicationem esse credit. Præterea non adeò magnam caussam habet quam in illa diuisione sequitur, ut nõ possit eius sectio dissimulari. Nam propter trinitatis mysteriũ pro quatuor tria numerat: cum tamen illud ex alijs locis possit demonstrari euidentius. Vt ergo ingenue fatear plus probanda est superior sectio quæ primæ tabulæ quatuor, secundæ sex partitur præcepta. Placuit ea partitio & primarijs in religione nostra uiris Origeni & Ambrosio, Augustini in fide præceptori. Nam Origenes Homelia quæ in Exodũ reliqua est 8. Hæc omnia (intelligit autem primum & secundum præceptũ) simul, inquit, nonnulli putant unum esse mãdatum. Quod si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorũ. Et ubi iam erit Decalogi ueritas? Sed si eo modo dirimatur

matur quo & nos in superiori pronunciatione distinximus, integer decem mandatorum numerus apparebit. Est ergo primum mandatum, Non erunt tibi Dij alij præter me. Secundum uero, Non facies tibi idolũ, neq; ullam similitudinem, &c. Hęc Origenes, Ambrosius pari modo partitur in Commentarijs suis super 6. cap. epist. ad Ephesios, & Iosephus Antiquitatũ lib. 6. cap. 3. Quæ cum ita habeant nihil mirum quod boni & docti uiri clamitant diaboli fraude factũ hactenus quod præceptum illud, quo omnibus hominibus & temporibus idololatria prohibetur neglectũ est. Sensim enim ex hominũ pectoribus elapsum uigorẽ suũ amisit. Et eò quidem hodie res deuenit ut plerique putemus illud ad Christianos nihil pertinere: unde mirum non est Christianorum templa oppleta obductaq; esse statuis & nepharijs picturis. Sed uincet ueritas, quæ pronunciat, Verbum domini manet in æternum. Et iterum, Prius perierit cœlum & terra quàm iota unũ aut apex ceciderit de lege domini.

Imagines Christi.

Veteribus ideo non licuit, inquiunt, ullam deo ponere imaginem, quod ab ipsis deus non sit uisus in specie humana, nunc autem cum incarnatum esse cõstet licere maxime signa & deo & diuis ponere. Ad primã partem primum respondeo, Veteres deo posuisse signum, id quod 11. cap. copiose demonstrauimus: uerũ displicuit id domino, ergo ne nunc quidem si ponatur placebit: cum sit saxum immobile & deus ueritatis, & non Protheus aut Vertumnus quispiam. Deinde dicimus populum Izraelis non uidisse ullam dei speciem, sed additur in Horeb cum daretur lex, ne uidelicet existimarent ad tradendam legem aut percipiendã quicquam conferre imagines, de quo superius quædã an- 4

notauimus: sed constat nihilominus species humanas deum quodamodo adumbrantes, & Mosi & reliquis prophetis esse obiectas. De Mose extat locus Exo. 33. & 34. De Isaia apertissimus est in cap. 6. & ut de alijs nihil cõmemorem, nónne Danielis 7. palàm legimus, Videns uidi in uisione nocturna, & ecce cũ nubibus cœli ceu filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum pertingebat, & adduxerunt eum ante conspectum eius. Interim uero nullus ueterum prophetarũ aut sanctorũ ullam ponebat uel patri uel filio statuam, nemo illos humana specie uel effigiauit uel pinxit. Nec obstabat hic aliud quàm claritas & religio mandati diuini. Nulla ergo religio, nulla fides de Incarnatione filij dei iubet aut suadet idolum Christo ponere. Neque uero ipse dominus Iesus hac caussa carnem assumpsit humanam, ut legem solueret, & pictoribus ac statuarijs exemplar aut experimentum exhiberet artis suæ, sed ut pignus esset gratiæ æterniq; fœderis ac coniunctionis dei atq; hominum, & ut haberet quod pro nobis in pretium redemptionis offerret, deniq; ut palàm demonstraret quid homines speraremus. Ideo enim resurrexit & in cœlos ascendit, ut illuc & nostra corpora aliquando transferenda crederemus. Iã quanto ipsum corpus umbra præstabilius est, tanto ipsa res antecellit signum rei. At non profuit nobis caro Christi in terris superstes post absolutum redemptionis mysterium: minus ergo proderunt corporis Christi imagines ac lineæ umbratiles. Quod diuinam Christi naturam attinet patri per omnia coëqualis & cõsubstantialis est. Cæterum Isaias in 40. cap. Omnes gentes, inquit, sunt quasi nihilum coram eo, & reputantur comparatione eius minus q̃ nihil, & quod nihilo minus est.

est. Cui ergo assimilabitis eum, aut qua similitudine exprimetis eum? Ergo quæ fabulantur aduersarij de Abagaro, Veronica, Luca & Nicodemo, non recipimus neq; ulla responsione dignamur. Nam pugnant cum religione nostra & cum omnibus scripturis diuinis. Non tacuissent sed uel uerbo istarũ rerum meminissent euangelistæ qui tanta diligentia res multo uiliores prosequuti sunt. Descripserunt priuatorum hominum legationes ad Christũ, regum sanè non tacuissent. De fimbria & attactu fimbriæ diligenter tradiderunt quæ authore domino euenerãt, de sudario & uultu illo mirifico quomodo ueri simile est silere adeò potuisse? Lucas professione aut cõditione fuit medicus, id quod asseruit Paulus, nõ pictor. Pictor forte dictus est ob euidẽtiam stili. Quemadmodum enim pictores res quaslibet olim gestas perinde ac si iam iam gerantur coloribus exprimunt & oculis subijciunt, ita historia propter energiã pictura uideri potest. Et cum nullus inter euangelicæ historiæ scriptores Virginis matris uirtutes & gloriam copiosius & diligentius Luca historico descripserit, inde fortassis ortũ uidetur quod quidam dixerunt Lucam pinxisse uirginem matrem. Dicere solebat Simonides, quemadmodum traditum est apud Plutarchum, picturam poëma esse tacens, & poëma loquentem picturam. Quæ autem circumferunt de Berythana cruce, cuius author Nicodemus, testis & scriptor S. Athanasius fuerit, & fabula fabulosiora sunt, & titulo authorem mentiuntur, id quod nõ obesæ naris Lector facile subodorabitur. Imò quid indignius & turpe magis est, quàm tantis authoribus tam ineptas et omni sale carẽtes nęnias ac gerras ascribere? Sed quid tot uerbis disputamus de imagine Chri

Sanctißimus Christi uultus.

ſti, cum nulla poſſit melior & magis genuina figurari, quàm quæ ſpiritus ſancti artificio expreſſa eſt literis euangelicis? Nullus Apelles ſic effingit penicillo lineamenta figuramq; corporis, ut in oratione cuiuſq; relucet imago mentis, præſertim in Chriſto, qui cum eſſet ſumma ſimplicitas ueritasq;, nihil omnino poterat eſſe diſſimilitudinis inter archetypum diuini pectoris et inde ductam imaginem ſermonis. Vt nihil patri ſimilius quàm filius patris uerbum, ex intimo illius corde ꝓmanans, ita Chriſto nihil ſimilius quàm Chriſti uerbum de pectoris illius ſanctiſſimi adytis redditum. Et hanc imaginẽ nemo miratur, nemo adorat, nemo oculis pijs colluſtrat, nemo animo amplectitur, omnes laruas neſcio quas & lemures, hoc eſt ineptiſſimas Chriſti picturas, ne micam quidem Chriſti habẽtes aut exprimentes, ſuſpicimus & ueneramur, ut non immerito pro dignitate expendens inſaniam noſtram exclamaret cum Lucretio,

O ſtultas hominum mentes ô pectora cæca.

5 Quod autem adijciunt, legem non prohibuiſſe omnis generis ſigna: non negamus. Neq; enim alia impugnamus quàm quæ proſtant ad cultum, aut quæ in ijs locis ſeruantur in quibus futuri cultus periculum eſt. Aeneus ſerpens typus fuit Chriſti domini, id quod ipſe dominus tradidit apud Ioannẽ, dicens: Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat ſed habeat uitam æternam. Et per initia quidem ſæculo Moſis & quorũdam Iudicũ fortaſſis imperio nemo adorabat ſerpentẽ, nemo colebat, nemo ponebat ſerpenti incenſum, ſed progreſſu temporis typicũ iſtud ſignum ſuperſtitione utentiũ uenit in abuſum. Quod

Aeneus ſerpens.

cum

cum uidisset rex Iuda sanctissimus Ezechias, non misit prophetas qui admonerent populum serpentem à Mose nõ in hunc finem erectum esse ut coleretur, sed ut esset memoraculum, & propterea non adorandum esse, seruandum tamen, abusum modo tollendum: sed missis ministris serpẽtem deiecit, excidit & cremauit: nihil moratus q uetus esset obseruatio, quod septingentis propemodũ annis & amplius durasset, & quod plurimi ante eum reges fuissent sancti & sapientes qui dissimularant ac toleraverant. Et laudem hinc maximam à deo & apud oẽs bonos indeptus legitur. Idem ergo faciãt & magistratus nostri omnibus imaginibus ad quas cultum exercuit populus, licet ab initio non fuerint institutæ ad cultum, sed ad memoriam retinendam ac refricandam. Iam & Solomon boues, leones & uolucrum species nõ ideo in templum induxit ut illis speciebus uel deum repræsentaret uel rerum diuinarum admoneret, uel ut simplices ac Laicos doceret, sed ut ornaret uasa ministerij: unde ad ornatum facta sunt non ad cultum. Faciamus ergo & nos in templis nostris ad ornatum. Ad quæstum & lucrum diceretis si uerum diceretis. At uero ornatum longe alium postulant Christianorum templa: de quo dixi in cap. 21. Esto autem quod Cherubim propitiatorio arcæ *Cherubim* impositi angelorum fuerint species, id quid faciet pro idololatria aut pro eo quod idola doceant, cum non legatur illis ullus exhibitus esse cultus, cum constet arcam non expositam fuisse populo, sed in adyta reclusam? Nephas enim erat illam prophanis cõtueri obtutibus. Id quod uidere licet Numeri 4. & 2. Paralip. 5. Et Cherubim non erant aliud quàm signa præsentiæ dei, & peculiare quoddam dei institutũ. At nemo hic

ignorat peculiaria dei instituta legibus uniuersalibus non præiudicare. Erigebat aram Helias in Carmelo contra dei legem scriptam, non tamẽ peccabat: erexerunt pari modo & alij quidam: sed uniuersalem interim ex his factis contra legem Deute. 12. nemo colligebat. Nã propter certa priuilegia & dispensatiões quasdam diuinitus concessas non dissoluitur lex uniuersalis. Similis ratio est etiam in Titulis, quos & Iosue & Samuel erexere non contra dei legem, sed pro præsentium rerum, temporum ac personarum qualitate. Interea uero perstat immota & perpetuo suum uigorẽ retinens lex illa dei uniuersalis prohibens omnibus hominibus ne idola faciant ad cultum, & si facta fuerint ne quis colat aut adoret.

Idola non sunt falsi dij, sed falsorum deorum simulachra.

6 Mirum uero qua fronte audeant dicere Idola, id est imagines in nouo testamẽto non esse prohibitas, cum palàm non uno in loco reuincantur mendacij. Confutatur Paulus ad Roman. 1. & 1. Corinth. 5. et 10. Petrus quoq; 1. Petri 4. & Ioannes 1. Ioan. 5. Verum ista loca omnia deprauantes unoq; uerbo eludentes aiunt, scripturas & apostolorũ testimonia prohibuisse idola non imagines, id est, falsos deos non simulachra dei ac sanctorum. Euincemus ergo planis scripturarũ testimonijs idolum non significare aliud quàm simulachrum, & proinde imagines dei & hominum toties prohibitas esse ad cultũ, quoties prohibita constat idola. Psal. 114. canit ꝓpheta, עצביהם כסף quod omnes interpretes uerterunt, Idola ipsorum argentum. Nam עצב significat figurauit siue formauit, ut עצבים uocare liceat formas & similitudines. LXX. uerterunt τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν ἀργύριον, id quod Hieronymus uertit, Simulachra gentium argentum. Quid quod ipsa prophetæ sententia

sententia non uerba duntaxat euincunt quod per ídola non intellexit deos falsos, sed imagines deorum paratas opera artificum? Nam ídola eorum sunt argentum, inquit, at falsus deus non est argentum sed imaginatio falsa uel eius quẽ colimus spíritus. Addit, Opus manuum hominũ: quo quid poterat dici planius? Imagines enim fiunt per manus artificum. Præterea sequitur, Os habent & non loquunt, oculos & non uident: quæ non possunt nisi de imagínibus exponi, præsertim cum sequatur, Similes illis fiant qui faciũt ea. Iam & Hierony. in quæstionibus siue Tradit. Hebraícis in Genesim super illud, Et furata est Rahel ídola patris sui.) Vbi nũc ídola, inquit, legimus, in Hebræo תרפים scríptum est, quæ Aquila μορφώματα, id est figuras uel imagines interpretatur. Hoc ipsum idẽ tradit plenius in epístola quadã ad Marcellã. Et quid pluribus opus est? Scriptura imagines appellat פסלים Exodi 20. Iudicum 3. תרפים Gene. 31. & עצבים Psal. 114. Ea uocabula omnia reddiderunt LXX. interpretes per unicã uocem εἴδωλον, eam autem ubiq; uertit S. Hierony. simulachrum. Idem illud Ioannis, 1. Ioan. 5. τεκνία φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων, uertit, Filioli, custodite uos à simulachris. Et Tertullianus scriptor uetustíssimus & utriusq; linguæ peritíssimus in lib. de Corona militis, scribit, Altius Ioannes, Filioli, inquit, custodite uos ab idolis: nõ iam ab idololatria quasi ab officio, sed ab idolis, id est, ab ipsa effigie deorum. Indignũ enim ut imago dei uiui, imago ídoli & mortui fiat. Rursus Hieronymus Comment. lib. in Isaiam 11. in illud prophetæ, Tu es solus deus omnium regnorum, illorum díj non sunt díj, sed opera manuum hominum lignum & lapides, Audacter, inquit, dominum deprecatur & solum

deum asserit esse uiuentem. Per quæ intelligimus idola imagines mortuorũ. Constat ergo idolon aliud non esse quàm imaginẽ uel simulachrũ. At simulachrum, ne hoc quoq; ignores, Lactãtius à simulando deriuat, lib. Institut. 2. cap. 19. Et Plinius lib. 34. cap. 4. Romæ, inquit, factum simulachrum ex ære Cereri primum reperio ex peculio Sp. Cassij, quem regnũ affectantem pater ipsius interemerat. Transijt & à dijs ad hominũ statuas atq; imagines multis modis. Antiqui pingebãt eas bitumine, quo magis mirum est placuisse auro integere. Ex quibus uerbis claret liquidò quid significet simulachrum. Nec est ut rideas Plinij uerba adducta esse in caussa religionis. Nam cum de usu & proprietate linguæ concertatio incidit, non potest lis illa decidi melius q̃ per uetustissimos linguæ authores. Verũ ut donemus Plinij authoritatem in præsentiarũ nihil ualere, quis è Pontificijs Erasmi Rotero, iudicium super hac re damnabit, cuius lucubrationẽ in testamentum nouum ipse Pontifex Leo X. tanto elogio celebrauit atq; cõmendauit? At is in 8. cap. prioris ad Corinthios scribens, ait, Thomas Aquinas adducit nouam differentiam inter Idolum & Simulachrum, quod Simulachrum sit effictum ad similitudinem alicuius rei naturalis, Idolum contra, ut inquit, si corpori humano addatur caput equinũ. Quæ distinctio uera sit nec ne, iudicent alij, mihi Lexico quod Catholicon inscribitur non indigna uidetur. Certe Ambrosius nullum nouit discrimẽ inter idolum & simulachrum, nec ego ullum uideo, nisi quod simulachrum est uox Latina, à simulando dicta: Idolon Græca ab εἶδος species, quod speciem & imaginem inanem præ se ferat, quum absit ueritas. Vnde quæ nos spectra uocamus Græci uocant

Idolum & simulachrum.

cant εἴδωλα. Claret autem ex hiſce Eraſmianis uerbis quæ ſit uis & ſignificatio, quis uſus utriuſq; uocabuli. Addemus his Senecæ quædam ex 8. epiſt. lib. ad Lucilium ex epiſt. 59. ut ſingula huius negotij perſpicatius uideantur. Is ergo uenuſte deſcribẽs quid Idos ſit per oppoſitum uocabulum Idea, Pictor, inquit, cum reddere Vergilium coloribus uellet ipſum intuebatur, idea erat Vergilij facies futuri operis exẽplar, ex hac quod artifex trahit & operi ſuo impoſuit εἶδος eſt. Quid interſit quæris? alterum exemplar eſt, alterum forma ab exemplari ſumpta & operi impoſita. Alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem ſtatua, hæc eſt idos: habet aliquam faciem exemplar ipſum quod intuens opifex ſtatuam figurauit, hæc idea eſt. Etiamnum aliam deſideras diſtinctionem? Idos in opere eſt, idea extra opus, nec tamen extra opus eſt, ſed & ante opus. Sic Seneca. Proinde cum idolum deriuetur ab idos, idolum certe aliud non eſt quàm imitamentũ & ſpecies quam formauit opifex ad ideam, id eſt ad ſimilitudinem & imitationẽ eius dei aut diui quem ſtatua aut pictura repræſentare uoluit. Idea ergo uel deus uel diuus erit, idolum figura à deo uel diuo ſumpta & operi per artificem impoſita. Vnde rectiſſime reddiderunt hanc uocem Idolum qui expoſuerunt per Germanicã Bilder uel Götzen. Nam monuimus in cap. 11. Deum Germanis Gott appellari, imitamentũ uero dei abſtracto uel deductitio uocabulo Götz. Quanquã nõ negẽ alicubi idos poni pro idea, ſignũ pro re ſignata, id eſt figuram dei pro ipſo deo: ſed inde non ſequitur pro uoce Idolum reponendum eſſe in apoſtolicis literis uocabulum dei uel falſorum deorum. Nam explicandus eſt locus per metonymiam non corrũpendus.

per nominis transpositionem. Et hæc hactenus de eo quod idolum significet simulachrum, speciem ab exemplari aliquo tractam, siue imitamentum, dei uel diui similitudinem & figuram, unde iam sponte consequitur apostolos toties imitamenta & simulachra prohibuisse, quoties idola prohibuerunt. Quod aduersarij obijciunt, Sed idola falsorum deorum, non ueri dei aut sanctorum prohibuerunt, λογομαχία est. Scriptura enim absolute damnat idololatriam. Præterea constat Gentes uero deo posuisse idola. Neq; nostra quicquã differunt à Gentium idolis, id quod per consequentia aperte demonstrabimus.

Quam rationem in signis colendis sequantur Gentes & Christiani.

Nunc enĩ ad illud quoq; respõdemus quod aiunt, Christianos aliam sequi rationem in signis quàm Gentes. Nam hæ, inquiunt, adorarunt & coluerũt lapides & ligna: nos autẽ nec colimus nec adoramus lapides & ligna, sed eos magis qui nobis repræsentantur per illa. Verum Augustinus Enarratio. in Psal. 113. Videntur (inquit, de Gentibus loquens) purgationis esse religionis qui dicunt, Simulachrum non colo, sed per effigiem corporalem eius rei signum intueor quam colere debeo. Hæc de Gentiũ sententia dixit Augustinus. Consentit pariaq; tradit Lactantius 2. instit. lib. 2. cap. dicens, Non ipsa, inquiunt Gentes, timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta & quorũ nominibus consecrata sunt. Vides opinor Gentes paulò prudẽtiores non adorasse uel lignũ uel lapides: uides Gentes hoc ipsum obtendisse quod hodie à nostris obtẽditur. Eandem ergo rationem sequuntur in signis & Gentes & Christiani. Interim uero negari nõ potest à rudioribus apud Gentes supplicatũ esse statuis: sed nũquid idem & à simplicioribus Christianis factũ uidimus? Illis autem

7

tem qui adhuc reclamant, tolle Virginis matris, Apostolorum, martyrum, Annæ, Vuolphgangi, aut alterius cuiuspiam diui imaginem è loco illo in quo hactenus inuisebatur à peregrinantibus, & locum desertũ cane peius & angue oderunt: priusquam uero tollere tur, illum supra quàm dici potest amarunt & exornarunt, unde liquido claret stupidos simulachro esse ductos. Quid quod plericꝫ uelimus nolimus imagines & adorauimus & coluimus. Nam hoc quod fecimus, & illud quod uel hodie apud simulachra fit, manifeste euincit imagines à nobis & adoratas esse & cultas. Insanis nunc, scio, sed audi me paululum, & si uerum non dixero, damnato. Colendi uerbum late patet, ceu monui in cap. 5. Daniel in 11. cap. Deum, inquit, quem ne scierunt patres eius colet auro et argento. Colit itaque qui rem quam colendam suscepit auro & argento ac rebus preciosis ornat. 2. Paralip. 29. cap. legitur, Completus est cultus domus domini: ubi per cultum intellexit ritum ceremonialem & omne ministerium eccle siasticum externum. Colit ergo imagines quisquis infert in locum consecratum religioni, qui eis affigit incenditꝫ cereos, qui illis oblationes, sacrificia & anathemata dedicat atꝫ sanctificat. Iam cum luce meridiana clarius sit, ista omnia exhibita esse & uel hodie exhiberi simulachris passim in templis Christianorum prostantibus, non erubescam occlamare toti mundo idola aut si imagines appellare malis, à Christianis & culta esse hactenus & etiamnum coli. Porrò Adorare significat nõ tantum deo affixum deditumꝫ esse corde & animo, sed genuflectere procumbere, inclinare & nudare caput. Legis enim Genesis 23. cap. Surrexit Abraham & adorauit populum terræ, filios uide

Colere.

Adorare.

licet Heth. Rursus Geneſis 33. non ſemel dicitur de Iacob, uxoribus & liberis ſuis, quod adorarint Eſau. Et 3. lib. Regum cap. 1. legitur de propheta Nathan, Nathan regem Dauid adorarat pronus in terram. In quibus locis omnibus adorare ſignificat inclinare, ꝓcumbere & caput nudare honoris gratia. Ergo cum proſtrauerimus noſtra corpora ante idola, cum uel hodie incuruemur ante ipſa & nudemus capita, quis negabit iſta adorari à nobis? Atqui dominus dixerat, Non adorabis ea neq; coles. Rurſus cum propheta dicit, Simulachra eorum ſunt argentum & aurum, opus manuum hominũ. Os eſt eis et nõ loquuntur, oculi ſunt eis & non uident. Aures habent & nõ audiunt, nares habent & nõ olfaciunt. Manus habent & non palpãt; pedes habent & non ambulant, neq; loquunt̃ per gutur ſuum: dicant nobis quęſo idolorũ defenſores, quid noſtra differant à Gentiũ idolis. Si diſſimilia ſunt, oportet ſanè noſtra non eſſe opus manuum hominum, imò loqui poſſe, uidere, audire, olfacere, palpare, ambulare & uocem formare in gutture ſuo. Hæc autem ſi nequeunt, interim uero os habent, oculos, aures, nares, manus & pedes, ſi ſunt opus manuum hominum paratũ è materia corruptibili et terrena, ſimilia ſunt Chriſtianorum & Gentium idola.

Gentes quomodo dicantur lignum & lapides adoraſſe.

Porrò cauſſam explicabo cur ſcriptura dicat Gentes adoraſſe lignum & lapidẽ, unde id quoq; colligatur pari errore implicitos Chriſtianos adorare lignũ & lapidem. Oſtendimus autem paulò ſuperius Gentes quæ paulò uidebantur emunctiori eſſe iudicio, nõ coluiſſe ſimulachra, id eſt ligna & lapides, ſed eos magis quorum nomine proſtabant ſimulachra. Hos partim in cœlis eſſe & proinde cœlites, partim uero in terris agere

ris agere atq; ideo inferos appellabant: inuenerunt & medioxumos. Verum cum hi omnes reuera nõ essent dij, sed dæmonibus mancipati homines adeoq; & dæmones ipsi, aut nuda quædam hominum nomina, uanis è fabulis nata, ipsa idola uanitates & mendacia, sed & dæmonia dici cœperũt, nimirum quod uel damnatorum nebulonum uel rerum non existentium & instinctu diaboli parata essent signa. Et cũ hanc ob rem constaret idola aliud iam non esse quàm lignum, lapidem uel metallum, Ezechias deos Assyriorũ lapides & ligna appellat, & scriptura non semel dicit Gentes ipsas ligna & lapides adorare ac colere. Nam delusi falsa imaginatione nihil aliud habebant in idolis quàm lapidem & lignum. Quod enim illa existimabãt signa esse absentium, fallebantur. Nam absentes illi superi uel inferi uel etiam medioxumi dij quos sibij ipsis imaginabantur & idolis repræsentare uolebant, uel non uixerant unquam, aut si uixerant aliquando, attamen nunc non erant dij sed dæmonum socij. Iccirco uana colebant signa, lapidem scilicet, æs & lignum. Neque aliud hodie colunt nostri imaginũ admiratores. Nam simulachra eorum uel Deum ipsum uel diuos repræsentant. Atqui scriptum est, Cui similem facietis deum aut quam imaginem ponetis ei? Et rursus, Deus est spiritus. Cum uero inuisibilis nulla re uisibili repręsentari possit, consequens est signa siue imagines dei uanitates & mendacia esse, cum quod contra ueritatem & legem dei erecta stant, tum quod deum inuisibilem omnino repræsentare non possunt. Sed & illa signa mendacia sunt quæ diuis ac beatis spiritibus consecrantur. Nam etsi eos nobis repræsentent qui olim uixerunt & qui nunc cum summo Deo æternũ in cœ-

lis uiuunt, mendacia tamẽ iccirco sunt, quia patronos atq; tutelares nobis deos referunt, deinde reuera non ita referunt ut fuerant. Proinde ne aduersariorum quidem idola aliud sunt quàm lapis & lignum uanitas & mendacium. Nam id non est quod repræsentare debebant. Etsi enim deus sit, huiusmodi tamen non est nedum lapidi simílis aut ligno: etsi diui sint & apud deũ uiuant, patroni tamen & aduocati non sunt, cuius rei gratia consecrantur ab illis.

Gentes quomodo dicuntur diabolum coluisse.

Venimus & ad illud quod dicunt Gentes immolasse dæmoníjs se uero sacrificare diuis. Adducũt pro confirmatione huius apostolum ex 1. ad Corinth. cap. 10. Cæterum Gentes díjs suis, ut díjs, non ut dæmoníjs immolarunt, neq; agnouissent aut animo æquo tulissent si quis dixisset ipsos litare non díjs sed dæmoníjs. Aperta sunt huius rei testimonia in líteris Gentilium & quædam in cap. 8. Apostolus autẽ sacrificia eorum non æstimauit ex erronea ipsorum opinione intentióneue, sed ex ipsa ueritate ac lege diuina, ad quam animi offerentium componi debebant. Saul rex Izraelis non malo immolabat animo, ueruntamen propheta Samuel sacrificium illud bona quidem, ut uocant, intentione, institutum, sed non pio secundum uerbũ dei animo compositum, & cum magia & cum idololatria comparare audet: cum tamen rex nulli idolo nulli deo peregrino sed deo Izraelis immolare statuerit. Nã propheta dei sacrificium non ex opinione sacrificantis æstimauit, sed ex reputatione eius dei qui alibi uetat facere quod singulis bonum uidetur, præcipitq;, id sequamur & faciamus tantum, quod ipse nobis præcepit, & eo quidem modo faciamus sicut ipse præcepit. Nam alibi quoq; propheta clamat inspiratus à domino,

no, Qui sacrificat bouem, quasi qui occidit hominem, qui immolat bouem quasi qui iugulat canẽ, &c. Causam addit, Nam & ipsi elegerunt uias istorũ. Quorum obsecro? Gentium quæ quod sibi bonum uidetur operantur, legem dei non curant. Nisi ergo aduersarij probarint ritum illum suum colendi diuos ac idola ex deo esse in scripturis traditũ, copulabuntur Gentibus, quę licet negarent se dæmonijs immolare, scriptura tamen districte contra ipsos pronuncians contrariũ definit.

Porrò non displicet quod aiunt lege alienorũ deorũ imagines ut alienos deos prohiberi. Posterior enim lex ducitur ex priore. Et idola tum demum formantur & ponuntur exterius, cũ in animo prius interius dei ideam nobis concepimus. Hic autem uideant aduersarij ne ad dei nomen impingant. Deus reuera omne id dicitur, quod amamus & cui innitimur. Et alienus deus est, quicquid nobis extra deũ eligimus quod metuamus diligamûsue, aut cui fidamus ac seruiamus. Necꝫ enim obscurum est quod apostolus Paulus uentrem appellauit Deum, & auaritiam idololatriam. Iam ergo quisquis iuxta præceptum primum Deum uerũ pro deo suo habet & agnoscit, is intelligit Deum illum uere summum, æternum, optimum, maximum, inuisibilem, incomprehensibilem, & per omnia præsentem esse, atcꝫ ideo summum credit esse ludibrium uim tantam imagine aliqua uisibili putridaꝫ exprimere uelle. Rursus qui uni Deo uero totus adhæret, ab uno omnia postulat, ad unum in omnibus necessitatibus accurrit, diuos aut creaturas ullas minime suspicit, ijs non fidit, nec deum alienũ in corde suo sibi concipit, ergo nulli diuo aut deo tutelari ullam imaginem fabricat. Itaqꝫ fit ut homo fidelis deo abscꝫ simulachro

Alieni dij & idola eorum. 8

seruiat, & deo quidem soli. Rursus claret simulachra uel deo ipsi uel diuis posita, apertissima esse animi corrupti & prauis opinionibus infecti argumenta. Hæc enim produnt aut indigna te de tanta maiestate cogitare, qui omnia mouentẽ uiuentemq; in sæcula repræsentare conaris immobili trunco speciem mortalis hominis præ se ferente: aut non soli te totum omnia danti adhærere, solũ colere, soliq; seruire, qui nescio quorum tibi imagines paras, ante quas cereos incendas, preceris, cultumq; diuinum exerceas.

Imaginis honor transfertur ad exemplaris honorem.

Addunt, fortassis ex Basilio, si recte citat Damascenus, Imaginis honorem transferri ad exemplaris honorem. Exemplar autem id esse credunt quod nos ex Seneca appellauimus ideam, ipsum deum aut diuum, qui significatur imagine. Addant si libet & illud, Preces apud simulachra & ad imagines fusas, non dirigi ad materiam uisibilem, sed ad eum qui cum sit in præsenti inuisibilis habeat tamen hic signum uisibile. Cæterum refutauit illas nugas Lactantius Firmianus ante annos mille ducentos. Nam lib. Institut. ad Constantinũ 2. cap. 2. sic scribit, Cum cæteri animãtes pronis corporibus in humum spectent quia rationem ac sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis uultus, ab artifice deo datus sit, apparet istas religiones deorũ non esse rationis humanæ, quia curuant cœleste animal ad uenerãda terrena. Parẽs enim noster ille unus & solus cum fingeret hominem, id est animal intelligens & rationis capax, eum uero ex humo subleuauit & ad contemplationem sui artificis erexit. Quod optime ingeniosus poẽta signauit,

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit cœlumq; uidere
Iussit,

Iussit, & erectos ad sydera tollere uultus.
Hinc utiq; ἄνθρωπον Græci appellarunt, quod sursum spectet. Ipsi ergo sibi renunciant secq; hominum nomine abdicant, qui nõ sursum aspiciunt sed deorsum; nisi forte idipsum quod recti sumus sine caussa homini attributũ putant. Spectare nos cœlum deus uoluit, utiq; nõ frustra. Nam & aues & ex mutis penè omnia cœlum uident: sed nobis proprie datum est cœlum rigidis ac stantibus uidere, ut religionẽ ibi quæramus, ut deum cuius sedes illa est, quẽ oculis non possumus animo cõtemplemur: quod profecto non facit, qui æs aut lapidẽ quæ sunt terra ueneratur. Et in cap. 2. Ideo timetis, ait, quod eos in cœlo esse arbitramini. Cur igitur oculos in cœlum non attollitis? Cur ad parietes & ligna & lapides potissimum quàm illò spectatis ubi esse creditis? Hæc omnia Lactantius in Gentes peroranit, quæ si quis nominibus mutatis adhibeat et nostrorum figmentis, intelliget idolorum nullum omnino usum esse Christianis, nec honoris nomine dignum esse qui contra naturam conditionẽq; hominis & religionem ueram non sine contumelia diuorum diuis aut etiam ipsi deo impendi uidetur. Vbi interim non ignoro quid mihi obiecturi sint antagonistæ, Lactantium à ueteribus erroris esse notatum. Id quod non nescio: sed addo Lactantium propter oppugnata simulachra nunquam à ueteribus fuisse damnatũ. Institutionum libri apud catholicos & optimos quosq; uiros, præsertim sex priores, optime audierunt semper. Testem hic habeo S. Hierony. qui in epistola ad Pammachium ac Oceanum de erroribus Origenis sic scribit, Lactantius in libris suis & maxime in epistolis ad Demetrianum spiritus sancti negat substantiã, et errore Iudaico

Authoritas Lactan tij.

dicit eum uel ad patrem referri uel ad filium: & sanctificationem utriusq; personæ sub eius nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam Institutionum eius libros, quibus contra Gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est? Cessent ergo serpentum uenenati sibili ac calumniæ malignorum hominum. Retinuit hactenus suam gloriã in ecclesia Christi Lactantius, licet in quibusdam cum alijs uiris sanctis errauerit. Quem enim dabis ex patribus sanctis qui non alicubi errarit? Ideóne explodenda erunt quæ bene dixerunt?

10 Qui deum adorat in spiritu, ei non opus est ullis picturis aut imaginibus. Alioqui necesse esset eos qui spiritu cœperũt, carne consumari. Quod ad sacramenta attinet, agnoscimus ea esse instituta à domino et uerba esse uisibilia addita audibilibus: rursus certò nouimus idola à domino publica & aperta lege lata prohibita, aliud non esse nisi uanitates & mendacia, imò indignissimum esse rem deo abominabilem sacrosanctis dei sacramentis conferre. Abeant ergo quò digni sunt cum illa inepta sua collatione.

Eijcere idola ex pectore.

Recte uero dicitur, idola eijciẽda esse è pectoribus. Verum quisquis illa semel eiecerit è pectore, in oculis
11 non feret. Id quod exempla probãt optimorum Izraelis principum. Nam hi non tantum instituerunt prædicationem propheticam contra idola, sed gladio ultore securiq; uastatrice cuncta exciderũt. Vitulus in deserto erectus repræsentabat Deum Izraelis, id quod Moses non ignorauit. Hic tamen non diu disputauit de usu & abusu imaginum, de tollẽda imagine ex animo, de scandalo infirmorum, de communi omniũ consensu, non separat aurum, nõ distribuit singulis quod

in idolum

in idolum contulerant, sed protinus atq; in castra uenit arreptum idolum deiecit, conterit atq; conculcat; ipsum denicq; religionis authorem Aaronem acerbissima increpatione castigat & proscindit. Ita enim refert nobis historia sacra, Factum est cum appropinquasset ad castra Moses uidisset q; uitulum & choros, excanduit facies eius, & proiiciens de manu sua tabulas ad radicem montis, arripuit uitulum quem fecerant, & proiiciens in ignem contriuit eum in puluerē, & sparsit in aquam, deditq; bibendum Izraeli. Et dixit ad Aaronem, Quid fecit tibi populus ille quod induxisti super eum tam grande peccatum? Rursus legimus Iudicum capite 10. Et dixerunt filij Izrael ad dominum, Peccauimus, quoniam deseruimus deum nostrum, & coluimus Baalim, age tu nobiscum quicquid bonum fuerit in oculis tuis, tantū eripe nos in die hac. Ex quibus uerbis colligimus quod pœnituerunt Izraelitæ quod idola expectorarunt & deo sese subdiderunt in fide & obedientia. Et quamuis hæc de eis tradantur, subiungit tamen nihilominus, Abstulerunt uero deos alienos de medio sui, & seruierunt domino. Quisquis ergo idola serio eiicit ex corde, idē tollit ipsa etiam ex oculis. Qui uero difficulter ipsa sinit remoueri ab oculis, apertum de se argumentum præbet, quod ipsa ex animo nondum contemnit, adeoq; & Deo uero imperfecto corde seruit. Dicemus de his forte plura in capite 32.

Christus in euangelio, Ego sum ueritas, inquit, & non ego sum consuetudo. Proinde nulla consuetudo quantumuis antiqua & recepta quicquam contra ueritatem potest. Et ecclesia Christi pastoris solius uocē audit, alienorum non agnoscit. Fuit olim celebris & *Cōsuetudo ecclesiæ.* 12.

magna Izraelitarum ecclesia. Fuerunt in hac uiri excellentes, illustres, sancti, docti, ipse quoq; miraculorũ patrator, sapiens ille & eloquens Aaron. Fuere in hac Eleazar, Ithamar, Hur, Phinees & multi alij omni eruditionis genere ornatissimi uiri, senes & multo rerum usu peritissimi. Quid quod uniuersa hæc ecclesia in qua erant sexcenta armatorum millia uoto concordi uitulum conflatilem recepit? Nam nemo se fœdo illi consilio opposuit: sed nunquid ideo placebat opus domino, quod factum constaret ab uniuersali ecclesia, silentio suo approbantibus id sanctis & doctis uiris, & consentiente in hoc palàm iuuanteq; beato patre Aarone? Imò dominus ad Mosen, Vade, ait, descende, Corrupit populus tuus, nimirum fœdus: recesserunt cito de uia (apostatæ certe facti) quam præcepi eis, tradito decalogo. Fecerunt enim sibi uitulum cõflatilem & adorauerunt ipsum. En fœdifragos & apostatas appellat os domini doctos & sanctos illos uiros, ecclesiã deniq; Izraelis uniuersalẽ. Igitur cum uel hodie idem dei præceptum uigeat præcipiens clare, Nõ facies idolum, non adorabis neq; coles, nihil contra nos probabunt qui obijciunt Ecclesiæ consuetudinem, imò peccarunt in legem dei & ecclesiam quicunq; idola induxerunt in templa Christianorum.

Confutatio quorundam consiliorum, et doctorum idola in tẽplis Christianorum defendẽtium. Ca. XXX.

Consilia pro imagi nibus.

13 Consilijs Papisticis oĩbus opponimus Consilium Apostolicum quod uocant Hierosolymitanum, cuius mentio fit Acto. 15. Nam in hoc, Visum est, inquiunt apostoli & seniores ecclesiæ, spiritui sancto & nobis ut abstineatis ab idolothytis siue ab

ue ab inquinamentis simulachrorum: qua quidem in uoce complexi sunt haud dubie quicquid simulachris connexum est. Quod autem inquinamentum simulachrorum dixere, alluſum apparet ad illud Deut. 7. Idolum est abominatio dei tui, quasiq; spurcitiam detestaberis & uelut inquinamentum & sordes abominationis habebis. Quia anathema est. Hæc autem ut manifestissima sunt, ita perstabunt immota quicquid tandē in consilijs suis definierint nouatores episcopi. Certe synodus Nicena congregata Hirænes reginæ opera palàm impium & scripturis aduersum dogma toti ecclesiæ obtrusit. Hæc enim dicit decreti perioche esse,

Nam deus est quod imago docet, sed non deus ipsa.
Hanc uideas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Licet imago non sit Deus ipsa, inquiunt, est tamen deus hoc ipsum quod docet imago: neq; ipsa quidem sed id quod cernis in imagine colendum est. Miretur autem aliquis an patres illi inopia iudicij laborarint, an cum ratione insanierint, an toti ecclesiæ tanquam luscioſæ uoluerint ad plenum oculos oblinere procaciterq; illudere. Ego mihi planè persuadeo completum esse in illis patribus quod sui uerbi contemptoribus hisce uerbis apud prophetam dominus minatur, Facite uosmetipsos stupidos et obstupescite: ebrij sunt & non à uino, commoti sunt & non à sicera. Quoniam oppetuit uos dominus spiritu soporis & obstruxit oculos uestros: quin & prophetas & præcipuos uestros uidentes operuit. Quis enim unquam uel paululum in literis sanctis uersatus dixit Deum id esse quod docet imago: & illud colendum spiritu quod cernitur in ipsa? Proh pudor. Nam quid post materiā & formam aliud uides in imagine? Forma refert hominē: ergóne deus

Cōfutatio Synodi Nicenæ II.

Dei imago

in ſimilitudinẽ hominis corruptibilis membra habet? Cur ergo dãnati ſunt hæreſeos Anthropomorphitæ? Materia autem uel aurum eſt uel argentum, lapis aut lignum, non raro & lutum: quis uero dixerit deum ſimilem eſſe luto, lapidi, ligno aut metallo? Igiť quomodo deus eſt quod imago docet? Rurſus ſi colendum eſt mente, quod uidetur in imagine, ergo terrenũ aliquid colendum erit. Nihil enim aliud in imagine uidemus quàm quod terrenum & corruptibile eſt. Ex his pauculis liquido claret homines cæcos turpiter impegiſſe et contra ueram dei religionem deiq; immenſam maieſtatem definiſſe. D. Paulus quaſi ex diametro contra illos ueniens clamat, Genus ergo cum ſimus dei, non debemus exiſtimare auro aut argento aut lapidi arte ſculpto, & inuento hominis numen eſſe ſimile. An nõ pugnant iſta inter ſe, Deus non eſt ſimilis auro uel argento uel ullo hominis inuento: & Deus eſt quod imago docet? Neq; uero in ſcripturas duntaxat peccarũt diuinas, ſed eorũ quoq; oblíti ſunt, quæ ante ipſos ſcripſerunt patres ſancti. Athanaſius enim aduerſus Gentes, Certe ſi corporea omnino ſpecie, ait, Deum eſſe arbitrantur uentremq; illi & manus ac pedes, ceruicẽq; & pectus & genitalia humano more membra circundare non uerentur, uide ad quæ impietatis prærupta illorum mens deuoluta eſt, quæ talia de Deo cogitare nõ metuit. Sequetur enim neceſſario ut alia quoq; corporeæ imbecillitatis pati dicatur, ſi circũſcribatur hominum inſtar uarietate membrorũ, ut ſcindi poſſit ac diuidi, & rurſus ex toto interire. Atqui hæc & huiuſmodi in deum non cadere quis tam dæmens quin uideat? Sunt enim terrenorum corporũ propria. Deus enim incorporeus eſt & incorruptibilis, immortalis,

æternus,

æternus, nulliusq; omnino indigens. Hæc autem & corruptibilia sunt & corporum lineamẽta, quæ & humana ope atq; arte opus habẽt. Nam sæpenumero cernimus ea cum fuerint uetusta renouari, & quę uel æui diuturnitas uel pluuia uel animal quodlibet fortè uiolauit, ea denuo fingi. Et quæ sequuntur. Euidentiora propè tradidit Lactantius, lib. enim Instititu. 2. cap. 2. ait, Postq; deus ille præsto esse cœpit, iam simulachro eius opus non est. Quæro enim si quis imaginẽ hominis peregre constituti contẽpletur sæpius ut ex ea solatium capiat absentis, num idem sanus esse uideatur si eo reuerso atq; præsente in contemplanda imagine perseueret, eaq; potius quàm ipsius hominis aspectu frui uelit? Minime ꝓfecto. Etenim hominis imago necessaria tum uidetur, cum procul abest, superuacua futura cum præsto est. Dei autem, cuius spiritus ac numen ubiq; diffusum abesse nunquam potest, semper utiq; imago superuacua est. Quibus uerbis quid poterat obsecro in patrum istorum decretum uiuidius uel excogitari? Idẽ author istis non dissimilia subiungẽs, ait, Sed uerentur ne omnis eorum religio inanis sit & uacua si nihil in præsenti uideant quod adorẽt, & ideo simulachra constituunt, quæ quia mortuorũ sunt imagines, similia mortuis sunt: omni enim sensu carent. Dei autem in æternum uiuentis uiuum & sensibile debet esse simulachrum. Quod si à similitudine id nomẽ accepit, quomodo possunt ista simulachra deo similia iudicari, quæ nihil sentiunt nec mouentur? Itaq; simulachrum dei non illud est quod digitis hominis & lapide aut ære, aliáue materia fabricatur, sed ipse homo, quoniã & sentit & mouetur & multas magnasq; actiones habet. Et reliqua quæ in hanc sententiã quàm plu-

rima sequuntur. Nam per integrũ caput morosophos illos acerrime insectatur. Nec est quod aduersarij statum à deo transferãt ad diuos. Nam quod ad picturas & statuas dei attinet palàm deprehensi sunt in errore nephario. Iam quod ad diuorum imagines attinet, Dicant quæso imagines sanctorum, animarúmne an corporum imagines sunt? Animæ quia incorporeæ sunt simulachris exprimi non possunt. Secundum has autem credimus illas uiuere in cœlis beatas apud dominum: corpora humi in spe resurrectionis computrescere. Ergo corpora lineis corporalibus repręsentatis. Hic uero qui fit ut non magis uiua spectetis colatisq; corpora, quàm corporum computrescentiũ umbras? Igitúrne intelligitis homines ineptissimi, quod si simulachra sentire & moueri possent, ultro opifices suos adoraturas fore, à quibus sunt expolita: quæ nisi sic fuissent formata, mansissent haud dubie aut incultus aut horridus lapis aut materia informis & rudis. Homo igitur illorũ quasi parens putandus est, per cuius manus nata sunt, per quem speciem, figuram, pulchritudinem habere cœperunt. Et ideo melior est qui fecit ijs illa quæ facta sunt. Et tamen factorem ipsum nemo suspicit. Recte ergo Seneca in libris Moralibus in Gentes dixit, quod et in nostris hęret, Simulachra deorum uenerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem aut astant, illis stipem iaciunt, uictimas cædunt, & cum hæc tantopere suspiciant, fabros qui illa fecere contemnunt. Illi idẽ miran tur, expendunt & pleno ore prædicant in picturis & imaginibus opificum artem, interim opificium dei negligunt. Pauci enim pulchritudinem rerum indagamus & pro dignitate extollimus pręconia conditoris: ineptijs

Diuorum imagines.

ineptijs humanis contemplandis occupamur, cum di uina prouidentia plus artis & sapientię uel in minima formica uel in flosculo agri exiguo uel in folio arboris herbæq; minimo exhibuerit conspiciendum ac expendendum hominibus, quàm reperire in omnium pictorum ac statuariorum omnibus picturis ac statuis artis suæ nobilissimis experimentis, liceat. Et tamen nō pudet ineptos illos patres relegare simpliciores ad cacographiam & ineptias hominum. Credant ergo Consilijs illis quibus uolupe est oberrare, impingere & cadere: qui sapiunt credūt scripturis atq; ideo Consilia ista insanijsse dicunt. Posteriora enim Romanensia Niceno nihilo fuerunt meliora, utinā nō ineptiora quoq;.

In illis autem Consilijs omnibus damnata est, inquiunt, iconomachia hæreseos. Nunc enim hæresim uocant audaces ac temerarij quod in ecclesia Christi hactenus ut orthodoxum est habitum. Equidē catholicum & orthodoxum non esse non potest quod è lege dei petitum, ab apostolis et apostolicis obseruatum, ex scripturis sanctis defenditur atq; traditur. Isti uero in consilijs illis suis definierunt quod cū lege dei pugnat, quod neq; ab apostolis neq; ab apostolicis uiris obseruatum est, neq; ullis scripturis ostendi probariue potest: ipsi ergo uiderint quo spiritu aut quàm orthodoxe imaginum usum obtruserint ecclesiæ dei. Augustinus in Catalogo Hæreseon, Sectæ Carpocratianæ fuisse traditur, inquit, socia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Iesu & Pauli, & Homeri & Pythagoræ adorando incensumq; ponendo. Quid dicent hic aduersarij? Marcellina ponitur in Hæreseon catalogo quod socia fuit Carpocratis & imagines Iesu & Pauli poëtarum & philosophorum principes coluit. Vos ap- *Hæresis imaginū.* 14.

pellatis nos hæreticos quod imagines Iesu & sanctorum oppugnamus atq; cum omnibus Catholicis & orthodoxis docemus illas nõ esse adorandas, id est nullũ eis cultus genus exhibendum, nullum incensum illis ponendum. Lactantius quoq; nullam existimauit ibi religionem esse, ubicunq; prostarent simulachra: nos subuersores religionis dicimur, quia religionis ueræ pestem subuertere satagimus. Verba Lactantij si quis requirat hæc sunt, Nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem maior est homine, supra ergo nõ infra est: nec in ima positus sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium QVIN RELIGIO NVLLA SIT VBICVNQVE SIMVLACHRVM EST. Nam si religio ex diuinis rebus est, diuini autẽ nihil est nisi in cœlestibus rebus, carẽt ergo religione simulachra. Quia nihil potest esse cœleste in ea re quæ sit ex terra. Ex lib. Instit. 2. cap. 19. Hinc diligentissime cauit sibi prisca illa & apostolica ecclesia ab imaginibus. Nam possumus uel ex Aelio Lampridio scriptore Ethnico demonstrare primitiuã ecclesiam prorsus abhorruisse ab omnibus imaginibus. Historicus enim ille in uita Imp. Alexandri Seueri, Capitolium, inquit, septimo die cum in urbe esset, ascendit, templa frequẽtauit, CHRISTO templum facere uoluit, eumq; inter deos recipere: quod et Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulachris iusserat fieri: quæ hodie iccirco, quia non habent numina, dicũtur Adriani: quæ ille ad hoc parasse dicebatur, sed prohibitus est ab his qui consulentes sacra repererant omnes Christianos futuros, si id optato euenisset, & omnia templa deserẽda. Hactenus Lampridius, manifeste testatus eum morem

morem Christianis fuisse ut in domibus suis et templis nulla simulachra haberẽt. Tale facturus Seuerus erat, & iam Adrianus passim extruxerat, ut data occasione hoc commodius ritum Christianum inducere posset, nisi dæmonia diuersum suasissent, scilicet simulachra in templis erigenda ne sua interiret religio. Quod si Ethnici hominis testimonium respuunt aduersarij, audiant Erasmum Rote. in Catechesi sua Cate. 6. aperte in hæc uerba testantem, Vsque ad ætatem Hieronymi erant PROBATAE RELIGIONIS (obserua ne crimineris hæreticos) uiri, qui in templis nullam ferebãt imaginem nec pictam, nec sculptam, nec textam, ac ne Christi quidem, ut opinor propter Anthropomorphitas, paulatim autem imaginum usus irrepsit in templa. Tantum Eras. Vixit autem S. Hierony. quadringentesimo à Christi natiuitate anno & amplius, ut ipse de sese testatur in Procœmio 3. lib. Cõment. in Amos. Meminit enim ibi sexti consulatus Arcadij Aug. cum Anicio Probo, qui incidit in annum domini 408. Eutropius author est Hierony. nonagenariũ iam sub imperio Honorij apud Bethleem Palæstinæ migrasse ad dominum. Prosper Aquitanicus supputat annum à natiuitate domini 422. Vnde iam manifestissimũ est ecclesiam Christi priscam caruisse usu imaginum annis quadringentis & multo amplius. Ergo cum hac damnari hæreseos mihi posthac non adeò graue & inauspicatum uidebitur. Intelligis autem Lector pie, & indigne & præter meritum aduersarij nobis hæreseos notam inurere moliantur, cum manifeste iam pateat nostrum conatum laboremq; huc tendere ut sublato omni paganismo ac hæresi priscum illud apostolorum & apostolicæ ecclesiæ ritum ac sæculum reducamus.

15 Si qui ergo patres fuere, ut iactitant aduersarij, qui idolorum usum in templis Christianorum propugnarunt, eorum porrò nõ tanta erit authoritas ut propter ipsorum iudicata, lex dei aperta, ueritas orthodoxa, exemplum denicq; priscæ apostolicæq; ecclesiæ luxari debeat: neq; necessum erat ijs respondere sigillatim. Quia uero aduersarij horũ catalogo simpliciores non nihil obturbant, perstringam pauciſſimis imbecillem illorum spem.

Epiphanius. Principio non habent Commentarios Epiphanij Selybriæ præsulis: quomodo igitur argumentis quæ ignorant niti possunt? At satis cõstat illum, inquiunt, defendisse imagines. Quid tum amplius? Ergóne plus apud te ualet Epiphanius quàm lex diuina & scriptura canonica? Quod si tantum credis homini pio & docto & episcopo deferendum, quare non credis seniori Epiphanio Salaminæ Cypri episcopo uiro incomparabili, qui & uerbis & factis attestatus est simulachra Christi et sanctorum in templis contra religionem Christianam & maximo cum bonorum offendiculo proponi?

Gregorius Gregorius præsul Romanus non fuit uir malus, attamen errauit in multis & author extitit errorum in ecclesia nec paucorum nec minimorũ. At ueritas uerbi domini quæ manet in æternum Gregorio omnibus pijs potior est: quod norunt omnem carnem esse gramen, & omnem hominis gloriam quasi florem graminis. Et nos superiore capite ad argumenta Gregorij quantum satis esse credimus, respondimus.

Beda. Beda doctus, diligens & non infelix fuit in tractandis sacris literis, sed iniuriæ temporum illud hominis dictum, si modo Bedæ est, tribuerim. Nã quis iam nescire potest Imagines fieri in ecclesia lege dei prohiberi?

Ad

Ad Damascení argumenta respondí superiorí ca- *Damasce-*
pite. Neq; ignoro fuisse scriptores quí tradiderunt Da *nus.*
mascenum Augustiní fuisse synchronon, sed aberra-
runt toto cœlo. Est quí eum uixisse credit Theodosij
Augusti sæculo, uerum refutatur ipsius Damascení te
stimonio. Nam lib. de orthodoxa fide 3. cap. 10. citat
Calcedoneñ. Synodi decretũ. Atquí ea synodus pau-
lò ante Gelasij Pont. ætatẽ celebrata est. Igitur Anto.
Sabellicus ponit Damascenũ in tempora Gelasij. Cęte
rum errauit et hic. Damascenus enim lib. 3. cap. 12. me
minit Theodori hæreticí, contra quẽ sub Imp. Iustinía
no & Pont. Vigilio quinta Synodus Constantinopolí
coacta legit. Rectius ergo sentiũt quí Damascenũ post
Gregoriũ uixisse dícunt, è quorũ numero Eutropius
est, quí lib. Rerũ Romanorũ 21. tradit illũ floruisse sub
Leone 3. Imp. quí ímagines eiecit è templís. Vnde mí-
rum non est Damascenũ tam diligẽter defendisse íma-
gines. Incidit enim in cõtentiosa illa exulceratáq; tem
pora. Certe scripta hominis haud frustra in contrauer
sia ímaginum suspecta sunt habita bonis.

De Carolo magno & libris eius annotaui quædam *Carolus.*
in præcedentibus, quæ credimus hominibus non per-
uersis sufficere.

Erasmum Roterod. uere magnũ & æterna laude *Erasmus.*
dignum uirum, miror quo uultu pro se adducere au-
deant aduersarij. Nam luce clariora sunt quæ ille scri-
psit de Imaginũ usu in Enchiridio militis Christiani,
in Morias encomio, in Colloquijs & multis alijs locis.
Verum demus illa dubia esse & in utrãlibet partẽ rapi
& exponí posse, nónne in ultimis senij & mortem pro
xime præcedentibus lucubrationibus quæ de pictura
et maginũ usu in templo sensit, apertissime dixit? Pro-

tulimus in 28. cap. testimonium ex Concionatore minime obscurum. In Catechesi postquã mirifice sese in caussa imaginum torsisset inq; omnẽ partem se uertisset, tandẽ huc defertur ut simpliciter fateat ac scribat, Vt imagines sint in templis nulla præcipit uel humana constitutio. Et ut facilius est ita tutius quoq; est omnes imagines è tẽplis submouere, quàm impetrare ut nec modus prætereatur nec admisceatur superstitio. Iam ut animus sit ab omni superstitione purus, tamen non caret superstitionis specie orantem ad ligneum simulachrum procumbere, in hoc intentos habere oculos, ad hoc uerba facere, huic oscula figere, nec orare prorsus nisi coram imagine. Hęc Erasmus prudenter, pie, uere & sancte pronunciauit.

De miraculis.

De Miraculis circa idola æditis dicemus fortè quædam in collatione, diximus nonnulla in cap. 14. & 19.

16 Certe & Gẽtiles maxima miracula pro assertione idololatriæ suæ proferebant. Videre id licet apud Lactantium lib. Instit. 2. cap. 8. Quemadmodũ uero deus tum ista fieri permisit in ultionem incredulitatis, ita nunc quoq; miracula ingentia apud idola fieri uidemus, ut ita iudicentur qui miraculis euangelicis non crediderunt, sed mendacijs Antichristi credere maluerunt. Atque huiusmodi miraculis quid probabunt obsecro aduersarij? Fortassis quod simulachra nõ ad regnum Christi sed Antichristi pertinent. Et D. Augustinus lib. de Vnitate ecclesiæ cap. 16. Audiant, inquit, quæ narrant Pagani de Templis & Dijs suis mirabiliter uel facta uel uisa, & tamen dij Gentium dæmonia, dominus autem cœlos fecit. Exaudiuntur ergo multi & multis modis non solum Christiani Catholici, sed & Pagani, & Iudæi et Hæretici, uarijs erroribus & superstitionibus

stitionibus dediti. Exaudiuntur autem uel à spiritibus seductoribus, qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur, deo sublimiter atque ineffabiliter iudicante quid cuiq; tribuendum sit, siue ab ipso deo, uel ad pœnam malitiæ, uel ad solatium miserię, uel ad admonitionem quærendæ salutis æternæ. Hæc ille.

Constantinus sanè construxisse legitur apud Constantinopolim templa sed domino, quod & 21. cap. monuimus, statuas autem posuisse non legitur. Nec quic quam huius meminit Augustinus, qui tamen libro de Ciuit. dei 5. cap. 25. Constantini laudes diligenter percenset, Inter alia aperte dicit Constantinum adhæsisse uni deo firmiter, & uerum uere coluisse, atq; ideo concessum ipsi à domino, ut urbem de suo nomine conderet Romano imperio sociam, idq; sine aliquo peregrini dei templo aut idolo. Cui per omnia similia tradens Paulus Orosius lib. hist. 7. cap. 28. Vrbē, inquit, Constantinus nomine suo Romanorū regum uel primus uel solus instituit: quæ sola expers idolorum breuissimoq; tempore cōdita à Christiano imperatore & puecta est, ut sola Romæ tot sæculis miseriisq; puectæ forma & potentia merito posset æquari. His authoribus plus fidei tribuendū existimo q; Platynæ, qui fabulas illas de aureis Cōstantini statuis ex monachi aut mendacis alicuius Bibliothecarij Chronicis decerpsit. Vixit Cōstantini sæculo Lactantius ille Firmianus simulachrorū acerrimus hostis: at huic tradidit Imperator Crispum filium in literis & pietate instituendū. Præterea inscripsit Cōstantino magno Lactātius libros suos Institutionū. Vixit eius ætate & Athanasius sacer ille Alexādriæ episcopus, q et ipse impiū esse dicebat deo ullā ponere statuā. Credat ergo Platynæ q credere po-

An posuerit Cōstantinus statuas domino & apostolis.

17

teſt, principē illū religioſum fabricaſſe deo uel ſanctis imagines, qui interim non ignorabat, ibi nullam eſſe religionem ueram ubicunq; ſimulachrum eſt: & deo pręſenti per omnia non poſſe ullam poni ſimilitudinē abſentis memoraculum. Sed donemus uera ſcripſiſſe Platynam, an uero id inde conſequitur, quod colligūt aduerſarij, Ergo imagines religioſe fiunt & imponuntur altaribus? Nō puto. Si quas enim imagines finxit Conſtantinus, ex Gentili nimirū cōſuetudine, de qua dixi quædā ex Euſebio cap. 24. finxit. Nam è paganiſmo ad religionē noſtrā conuerſus dicitur. Quis nunc tam audax et impudens eſt, qui hinc colligere auſit obſeruationē Gentilem in oēs omniū Chriſtianorū eccleſias eſſe recipiendam? Sed nō poſuit dilectus deo Imp. Cōſtantinus ulla deo uel diuis ſimulachra, uana ergo tradidit Platyna. Nam inuicta & ſyncera perſtant adhuc teſtimonia probatiſſimorum authorum.

Vanum eſſe deoq; improbari pretioſum idolorum ornatum. Cap. XXXI.

OStulat hic locus ut obiter demonſtrē externū illū pretioſum adeoq; et pompoſum idolorum ornatū, quē aduerſarij in phanis ſuis luxurioſiſſime oſtentant, deo prorſus abominabilem eſſe: præſertim cum illum ex rapinis bellicis artibuſq; turpibus ac fœdiſſimis conſtet eſſe collectum. Dominus ergo apud Iſaiam in 61. cap. Ego, ait, dominus diligo iudicium, & odio habeo rapinā in holocauſtū. Di-

Dona ex rebus turpibus.

ſplicet ergo domino ſi quis uſuris, expilationibus, bellis, rapinis & fœdis alijs artibus rem augeat familiarē, & ex hac opimas oblationes & anathemata pretioſa in honorem dei ante idola offert atq; ſuſpendit. Placet

autem

autem ipsi iustitia & misericordia, ne quẽ fraudemus, ne iniustis artibus opes nobis paremus, sed benefici simus ex iustis opibus, restituamusq; per iniuriam ablata fratribus. Turpe est arbitrari deum placari muneribus de iniusta possessione oblatis. Nam & Plato de Legibus Dialogo decimo non impie, Necesse est, ait, eum qui credit deos ueniam hominibus iniustis præbere, si quis ipsis rapinæ partẽ tribuerit, dicere eos esse ueluti canes quibus lupi particulã rapinæ concedant, ut illi muneribus his placati greges diripi patiantur.

Iam ut donemus iustis artibus parata esse idolorũ ornamenta, deus tamen splendorem & pompam diuitiarum in religionibus plane non probat. Non probarunt uel inter Gẽtes qui fuerũt religionis periti. Nam Numa Pompilius, uir in religionibus & disciplina ciuili peritissimus, usqueadeò diuitias cõtempsit (quod de eo retulit Bessarion Cardinalis in opere suo pro Platone scripto) ut omnem sumptum magnificentiam omnemq; lasciuiam ciuitate exterminans à dijs primum incœperit, nec argenteis aut aureis uasis sed fictilibus res sacras fieri iusserit. Merito ergo talis Princeps quandiu regnauit, annos scilicet 24. pacem, tranquillitatemq; omnium rerum po. Rom. seruauit. Quo tempore urbs Roma non opibus sed uirtute amplificata totius orbis principatum obtinuit. Mox uero eo defuncto diuitiæ simul & bella urbem inuasere. Cum ex teris paria omnino tradunt & nostræ religionis homines. Lactantius enim lib. Instit. 2. cap. 4. Quicquid inquit oculis manibusq; subiectum est, id uero quia fragile est ab omni ratione immortalitatis est alienũ. Frustra igitur homines auro, ebore, gemmis deos excolũt & exornant. Quasi uero ex his rebus ullam possint ca

Reprobatur splendor in religionibus.

pere uoluptatem. Quis usus est pretiosorum munerũ nihil sentientibus? An ille qui mortuis? Pari enim ratione defunctorum corpora odoribus ac pretiosis uestibus illita & conuoluta humi condunt qua deos honorant: qui neq; cum fierent sentiebant, neq; cum coluntur sciunt. Nec enim sensum cõsecratione sumpserunt. Nõ placebat Persio quod aurea uasa templis inferant, superuacuũ putanti esse inter religiones quod non sanctitatis sed auaritiæ sit instrumẽtum. Illa enim satius est deo, quem recte colas, inferre pro munere,

Compositum ius fasq; animi sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Egregie sapienterq; sensit. Verũ illud ridiculum subdidit, Hoc esse aurum in templis quod sint Veneri donatæ à uirgine puppæ, quas illa omittere fortasse contempsit. Non uidebat enim simulachra ipsa & effigies deorũ Polycleti & Eufranoris & Phidiæ manu ex auro atq; ebore perfectas, nihil aliud esse quàm grandes puppas, non à uirginibus quarum lusibus uenia dari potest, sed à barbatis hominibus consecratas. Merito igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet. Non, inquit, bis pueri sumus (ut uulgo dicitur) sed semper. Verum hoc interest quod maiores nos ludimus. Ergo his ludicris & ornatis & grandibus puppis & unguenta & thura & odores inferunt: his opimas & pingues hostias immolant, quibus est quidem os sed carent officio dentium: his peplos & indumẽta pretiosa, quibus usus uelaminis nullus est: his aurum & argẽtum consecrant, quæ tam non habent qui accipiunt quàm qui illa donarunt. Nec immerito Dionysius Siciliæ tyrannus post uictoriam Græcia potitus deos tales contempsit, spoliauit, illusit. Siquidem sacrilegia sua iocularibus

ribus etiam dictis prosequebatur. Nam cum Ioui Olimpio aureum amictum detraxisset, laneum iussit imponi, dicens æstate grauem esse aureum, hyeme frigidum, laneum uero utrique tempori aptum. Idem auream barbam detrahens Aesculapio, incongruum & iniquum esse ait, cum Apollo pater eius imberbis esset adhuc ac leuis, priorem filium quàm patrem barbatum uideri. Item pateras & exuuias & parua quædam sigilla, quæ simulachrorum protentis manibus tenebantur, detrahebat: & accipere se illa non auferre dicebat. Perquam enim stultum esse & ingratum, nolle accipere ab his ultro porrigentibus à quibus bona sibi homines precarentur. Hæc enim fecit impune, quia rex & uictor fuit: quin eum sequuta est solita felicitas. Vixit enim usq; ad senectutem regnumq; per manus filio tradidit.

Christianorum stultitia circa imagines.

Sed quid illa inquis ad Christianos? Multum per omnem modū. Quid enim uoluptatis capiunt ex cultu & donis pretiosis nostræ imagines? An uero nostræ dum fierent sentiebāt, aut sciunt uel hodie dum colun tur? An denique soli Persio Ethnico scriptori aurum in templis displicere credimus? Displicuit semper bonis & sapientibus omnibus, probarunt potius animi dona, fidei synceritatem, integritatem uitæ & iustitiam beneficentiamq;. Quod enim mortalium sapientissimi Moses, Dauid, Solomon & nonnulli in populo Izraelitico aurum importarunt in domum domini, typum prætulit, exemplum non dedit. Et externa illa tantum cōcessa erant ad tempora correctionis, ad tempora uidelicet Christi domini, qui omnia illa in spiritum & fidem beneficentiamq; transtulit. Quid uero in templis nostris Virginis matris aliorumq;

deorum ac dearum imagines aliud sunt quàm puppæ grandes? Nunquid et à barbatis ponuntur? Nunquid & nos non bis modo sed semper pueri sumus? Videas enim his nugis puellaribus occupari ipsos religionis antistites, qui optimam temporis partem & in se exornandis & in idolis excolendis uaniſſime prodigunt atque deperdunt. Texuntur coronæ ac mitræ Phrygiæ, imponuntur cum maiestate idolorum capitibus, à collo suspenduntur gemmæ & torques pretiosiſſimæ, digiti anulis gemmatis collucẽt, integuntur corpora rigida rigentibus auro pallijs, Persicũ aliquẽ satrapam astare iurares. Pari luxu redimiti & sacrorum ministri Iunonium ingredientes, profunde se ante ueneranda illa idola inclinant, odores suauiſſimos excitant, ante illa thurificant & offerunt: quæ tamen perinde atque Gentiũ oculos habent & non uident, aures & non audiunt, nares & non olfaciunt, ora sed non dentiũ officium. Nil igit̃ mirũ est si & ipsa sacrilegos inuenerunt Dionysios, qui huiusmodi excauatos truncos contemnunt, spoliant, euertunt & concremant. Quanto uero rectius est omissis insensibilibus & uanis, oculos eò tendere ubi sedes, ubi habitatio est dei ueri, qui terram stabili firmitate suspendit, qui cœlũ distinxit astris fulgentibus, qui solem rebus humanis clariſſimum & singulare lumen in argumentum suæ unicæ maiestatis accendit, terris autem maria circũfudit, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit,

Iussit & extendi campos, subsidere ualles,
Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes?

Quæ utiq; omnia non per diuos condidit, sed per uerbum æternum, solus inquam

Ille opifex rerum mundi melioris origo.

Qui

Qui uocatur Deus, cuius principium quoniam nõ po teſt compræhendi, ne quæri quidem debet: ſatis eſt ho mini ad plenam perfectámque prudentiam, ſi Deum eſſe intelligat, cuius intelligẽtiæ uis & ſumma hæc eſt, Principio ut ſuſcipiat & honorificet communẽ paren tem generis humani & mirabilium fabricatorem, qui filium ſuum unigenitũ dedit in mortẽ pro peccatis no ſtris, quo illi fidentes æternùm cum ipſo uiueremus. Deinde ut benefaciat proximo ſuo, de omnibus etiam hoſtibus benemereatur, ut hominem uiuam dei imagi nem ornemus atq; excolamus conſilio & auxilio libe rali ac benigno. Hic cultus deo placet. Hæc eſt religio cœleſtis, non quæ conſtat ex rebus corruptis, ſed quæ uirtutibus animi, qui oritur è cœlo.

Non ſedet in tenebris deus, nulla igitur luce, nullo cereo opus habet: non eſurit, nõ friget, non alget, ergo cibo ac potu aut indumẽto nõ indiget: cœleſtis et æter nus eſt, nulla ergo illi re terrena, nullo auro aut argen to opus eſt. Imo cũ hęc aliquando ex diuina conceſſio ne offerrentur à populo Izraëlis deo, per prophetã ta men clamãs ait, Audi me popule & loquar, Izraël ego teſtis ero cõtra te. Nam deus, deus tuus ego ſum. Non propter ſacrificia tua corripiã te, aut propter holocau ſta tua. Non accipiam de domo tua iuuencũ & de cau lis tuis hircos. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluati cæ & animalia quæ ſunt in mille montibus. Cognoui omnia uolatilia montiũ & feræ campeſtres meæ ſunt. Si eſuriero non dicam tibi: meus eſt enim orbis & ple nitudo eius. Nunquid comedam carnem taurorum & ſanguinem hircorum bibam? Et mox quid petat & quare coli uelit ſubijciens ait, Sacrifica deo laudem & redde altiſſimo uota tua. Et inuoca me in die tribu

Non eget deus ullis rebus ter renis.

lationis: eruam te & sic glorificabis me. Possem huius generis & multa alia ex prophetarum sermonibus afferre, nisi unũ hoc pro multis esse posset, quo deus diserte testatus est nulla se delectari, indigere, uel coli re terrena.

Ignominia afficiũtur diui per simulachra illa exornata.

Iam quod ad ipsos attinet diuos, haud uerisimile est, perfectiores iam factos & in cœlo agentes, auro, argento, gemmis & ueste preciosa affici, qui cum imbecillitate carnis essent circundati & in hisce terris agerent, terrenas illas res nedum dilexerũt ut appetibiles uerum etiam ut extremè pernicioſas calcarunt. Vnde iam consequens est aduersarios theatrico illo suo luxurioso q; diuorũ cultu adeo nõ gratificari diuis, ut ipsos potius faciant exempla luxuriæ & iniquitatis, ac beatitudinem ipsorum absolutissimam in dubium uertant. Declamant sanè pro publicis concionibus in superbiam & luxuriam, diuos citant uelut contemptores luxuriæ & exempla omnis continentiæ, ut reuera sunt. Cæterum cum uulgus interim oculos uertit ad aras, ad statuas, & parietum picturas, & has cernit uobis authoribus cultissimas & luxuriosissimas prostare, mox colligit cõtrarium, & hoc quod in imaginibus uidet, luxurioſe uiuens, sponte sequitur. Quid enim, inquit, factum noceret homini, quod diuo nõ nocuit? Collígebat ad eundem modũ & Cherea Terentianus, qui apud impurum illum Comicum amores suos, stuprum, & huiusmodi picturarum fructus & encomia recitans, ait, Dũ apparatur, uirgo in conclaui sedet
Suspectans tabulam quandã pictam, ubi inerat pictura hæc, Iouem
Quo pacto Danaë misisse aiunt quondã in gremium
imbrem aureum,

Egomet

Egomet quoque id ſpectare cœpi, & quia conſimilem luſerat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi
Deum ſeſe in hominem conuertiſſe atq; per alienas tegulas
Veniſſe clanculum, per impluuium fucum factũ mulieri.
At quẽ deũ? qui templa cœli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud uero ita feci, ac lubens.
Atq; hæc nimirum egregia illa doctrina eſt quam uobis tradunt imagines & picturæ illorum: ne non ſimiles ubiq; habeant labra lactucas. Placeant ergo inſtrumenta & impoſturæ ſathanicæ, cui non placere poſſunt certa & diuina oracula. Porrò neceſſe eſt diuos imbecilles eſſe ac ſummæ uirtutis expertes, ſi ſubiecti ſunt cupiditatibus, hoc eſt ſi afficiuntur donis illis corporalibus. Cur enim cœleſtes eos putemus, ſi deſiderãt aliquid de terra? Vel beatos, ſi aliqua re indigent? Vel incorruptos, ſi uoluptati habent ea in quibus appetendis cupiditas hominũ non immerito damnatur? Videtis iam quod beatitudinem illorũ uertitis in dubium? Si uero muneribus & ornatu illo ueſtro non afficiuntur ſancti, fruſtra itaq; affertis atq; excolitis ipſorum ſigna. Vultis ergo audire ut quod uerum eſt uobis referam? Sub obtentu diuorũ colitis auaritiam & cupiditatẽ. Cõſulitis em̃ ueſtris uentribus ſacerdotes, et plebęi ſtolide creditis diuos amare quicquid ipſi concupiſcitis, neq; aliud uniuerſo cultu q̃ oculos, animũ, omnesq; ſenſus delectatis. Venitis enim ad ſacra, non tam religionis gratia, quę nulla poteſt eſſe in rebus ma

Non egent diui munere ullis.

le partis & corruptibilibus, nec à deo sed homine inuentis institutisq̃, q̃ ut aurum oculis hauriatis, uenustas picturas, nitorẽ leuigati marmoris aut eboris aspiciatis, ut insignes lapillis & coloribus uestes, uel distinctas gemmis fulgentibus cruces insatiabili contemplatione intueamini, & ut concentum musicum tam humana uoce quàm instrumentis musicis suauissime modulatum audiatis. Et quanto fuerint ornatiora templa & pulchriora simulachra, & suauior crebriorq̃ musica, tanto plus maiestatis feruorisq̃ habere creditur religio. An uero ideo religio nil aliud est q̃ quod cupiditas humana miratur? Certe Daniel de Antichristo prophetans in cap. 11. dicit, Deum quẽ non cognouerunt patres eius honorabit auro & argento, lapide precioso, & rebus desiderabilibus. Patres quidem nostri auita simplicitate contenti, deum uerum cœli & terræ conditorem pietate coluerunt, nescierunt mundum illum muliebrem & nugas puellares, nec unq̃ credere potuerunt illa probari deo, imo crediderunt eum potius deo probari, qui aurum, argentum, & res precioſas contemnit. Hodie uero mutatum quis esse deum arbitrari poterat, qui simulachra dei tanto luxu in templis publice proponi cernit. Qui uere religiosus est, externa illa non miratur, nec opes suas effundit in idola, sed iuxta præceptum Christi in egentes. Nam S. Iacobus, Religio, inquit, pura & immaculata apud deum & patrem hæc est, Inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, et immaculatum seipsum seruare à mundo. Verum de uero dei cultu disputauimus in cap. 5.

Tractatur locus Pauli 1. Corin. 8. Scimus quia nihil est idolum in mundo, &c. Cap. XXXII.

Postre-

Postremæ collectioni Si nihil est idolum in mundo, idola seruasse nihil nocebit, illis præsertim qui nouerunt unum tantũ deum adorandum esse atq; colendum, opponimus ueteris & apostolicæ ecclesiæ exemplũ. Quare enim gentilium idola neq; nos neq; maiores nostri inuenimus? Quare sancti dei martyres & ecclesiarũ antistites principes et iudices Christiani statuas deiecere deorum, picturasq; gentiles expunxerunt? Cõsilium Toletanum 3. cap. 15. in hæc uerba decreuit: Quoniam penè per omnem Hispaniam siue Galliciam idololatriæ sacrilegium inoleuit, hoc cum consensu glorioſissimi principis sancta synodus ordinauit, ut omnis sacerdos in loco suo unà cum iudice territorij sacrilegium memoratum perquirat studiose, inuentum exterminare nõ differat, omnes uero qui ad talem errorem cõcurrunt, sine discrimine qua poterunt animaduersione coërceant: quod si neglexerint, sciant se utriq; excommunicationis periculum esse subituros. Hac constitutione quid oro opus erat si idola seruasse nil nocet illis qui nouerunt unum tantum deum adorandum esse atque colendum? An uero non crediderũt prisci illi ecclesiæ uiri unum tantum deum adorandum & colendum esse? Sane. Interim subuerterunt omnia idola: unde consequens est locum Pauli aliò referri. Videamus ergo quẽ sensum habeat. Theophylactus eius loci occasionem hisce uerbis exposuit, Erant apud Corinthios perfecti nonnulli, qui planè sentirent nihil hominem posse ex his quę stomacho ingeruntur coinquinari, et idola haud dubiè scirent è ligno cõstare uel lapide, nec posse cuiquam illa officere, ideoq; indifferenter idolorum huiusmodi templa adeũtes et aras, sese idolothytis in- 18

gurgitabant: quod cũ fidei infirmioris spectarent non nulli et unà accedebãt & immolationibus uescebãtur, nec tamẽ pari uel mẽte uel opinione, ut qui idola indi gna crederẽt quibus immolaretur. Id sanè factũ ut suc censeret Paulum prouocauit. Quid ni? quod utrisque mirum in modum obesset, & perfectioribus, quia dæ monum mensæ participarent, et minus perfectis, quia ad idololatriam impellerentur. Studet igitur id mali Paulus castigare, eoq; omissis, ut assolet sæpe, imper fectioribus illis, alloquitur perfectiores reprimitq; im primis illorum quam ex humana scientia concœpe rant insolentiam. Hæc Theoph. de occasione & argu mento loci præsentis. Negotium ipsum apostolus sic tractat. Principio eleganti exordiolo arrogantiã pseu doapostolorum perstringit, docens scientiã quantum uis præstantem, quæ charitate non moderatur, nõ mo do nihil utilem sed etiam pernicioſam esse. Deinde re censet istorum obiectiones, quas mox dissoluit. Ad ar gumenti aduersariorum explicationem illud pertinet quod ait, Scimus quod nullum est simulachrũ in mun do, &c. Nam scioli isti ad hunc modum probabant ido lothytis uesci licere. Dij gentium nihil sunt, ergo neq; simulachra neq; sacra ipsorum ullius momenti sunt. Antecedens sic probatur. Vnus duntaxat deus est, quocirca quicquid de dijs dicitur uanum est et falsum. Hanc autem propositionem paulò copiosius exponit. Consequens ita probatur. Idolum siue simulachrum eius repręsentat speciem cuius simulachrum est. Cum autem iam constet deos ipsos nihil esse, consequens est & ipsorum idola nihil esse. Non quod neget idola quę extant in orbe nihil esse prorsus, sunt enim lignũ uel lapis, sed quod nullius momenti sint. Ex eo autem sic

collígebant

colligebãt aduersarij Pauli, Cũ certum sit simulachra esse uana, uanus cõuincitur esse & eorũ cultus. Quod si uanus est, & si uanũ esse credunt pñ qui reuera dun taxat unum deum confitentur, quid obsecro prohibe= ret quo minus pius quisq; spectator prophanis astare sacris aut etiam in epulis ipsorum conuiua esse possit? Mens enim sibijpsi restituta unum deum adorat & re= ueueretur, idola ergo contemnit, igitur & sacris exteris, cum animus fide purificatus sit, non polluitur.

His demũ ad hunc modũ respondet Paulus, Tam= etsi credas unũ esse deum et ideo intelligas uana esse et simulachra & simulachrorũ cultũ ac sacra, haudquaq̃ tamen id uident omnes, neq; sic animati ad sacra acce= dunt. Infirmus enim ex ueteris instituti cõtagio, quod à maioribus imbibit altius animo suo condidit q̃ facile possit euelli, ergo nõ sine religione ad epulas accũbit, ex ueteri superstitione nõnihil deos illos metuẽs, maxi me cũ te, quẽ existimat iudicio prępollere, uidet ad pro phanas epulas accumbere. Suspicatur enim te nõ alio animo uesci q̃ uescitur ipse: itaq; offenditur tuo plus q̃ libero exemplo. Atq; hunc sensum agnoscit et Ambro sius & Theophylact. atq; ipse Paraphrastes Erasmus.

Ista si nunc accommodes ad rem prẽsentem nil for tius impugnabit imagines. Tametsi enim tu qui pau= lo firmiore fide es nosti simulachrum nihil esse, alius ta men qui fidem habet infirmiorẽ, non ita iudicabit: sed quandiu ista prostare uiderit in templis, sic interpreta bitur apud se loquens, Non est tam execrabilis idolola tria, quandoquidem in templis adhuc reseruantur ido la, & feruntur à uiris alioqui doctissimis, atque ita in errore retinentur, nunquam ad synceram & liberam fidem uere perueniunt, quibus ex maiorum institu=

tis à prima pueritia persuasum & penitus infixum est, simulachra nonnihil religionis habere. Consultissimũ ergo fuerit simulachra semel tollere, præsertim cum in loco sacro, res nihili prostare, & nonnihil existimationis habere, turpissimũ sit. Sed & apostolus hanc disputationem in 10. cap. breuibus absoluens, Quapropter dilecti mei, inquit, fugite ab idololatria.

Colligimus tandem post multam concertationem simulachrorum Christi uel diuæ uirginis, angelorum, uel alioqui sanctorum dei hominum, in templis Christianorum usum, ad religionem institutum, manifeste pugnare cum lege dei, atq; ideo indignũ esse filijs dei. Habuit sanè pictura initium in templis speciosum & plausibile, medium autem eius fuit anceps et dubium, tandem uero finem sortita est abominabilem, impium atq; blasphemum. Contempta ergo illa, audiamus sanctissimum & domino dilectissimum discipulum Ioannem, ueritatẽ docentem atq; clamãtem, Scimus quod filius dei uenit & dedit nobis mentẽ, ut cognoscamus illum qui uerus est: & sumus in uero, in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus deus & uita æterna. Filioli cauete uobis à simulachris. Amen.

Eundem esse cultum, superstitionem eandem deorum idolorumq; apud Gẽtes, et diuorum ac imaginum apud Christianos. Cap. XXXIII.

REstat nunc, qui operis & instituti nostri ultimus labor est, ut euidẽti demõstratione, per collationem, omnium piorum oculis exponamus approbemusq; quod idẽ sit cultus eademq; superstitio deorum idolorumq; apud gentes & diuorum ac imaginum apud Christianos.

Et

Et quamuis istud citra negotiũ ex ijs intelligi posset quæ hactenus disputauimus, attamen in assertionem ueritatis, & cõfutationem erroris copiosius rem agemus, si prius nebulas aduersariorũ discusserimus, quas etiamnũ Lectorum oculis offundere nõ cessant. Pugnant enim pro focis & aris. Aiunt ergo Christianos non eo genere cultus diuos colere quo deus colitur, sed eo potius quo ipse deus in sanctis coli uoluerit: quibus donarit ut intercedant pro nobis & auxilio suo adsint periclitantibus. Hoc enim aiunt uirtutis esse præmium. Istud uero dijs Gentium hominibus turpissimis & omni scelere coinquinatis minime esse concessum, quo nomine constet ipsorum & memoriam et simulachra perpetuum à deo in sacris literis damnari. Igitur concludunt diuos cum dijs, & idola cum imaginibus non posse conferri nisi ab homine insignite sacrilego. Cæterum nos pluribus scripturæ euidentibus argumentis euicimus superiore disputatione uerum dei cultum constare pietate, pietatem gemina charitate: at hunc cultum competere soli domino: sed & externum cultum qui ex interno nascitur, deum non communicare cum ullis creaturis, neq; has talem cultum à nobis petere, exceptis dæmonibus & dæmoniaca superbia inflatis quibusdã hominibus qui in perniciem suam maximam diuinos sibi honores impendi postularunt. Deus ergo in sanctis non aliter coli potest, quàm si soli deo adhæreamus, si eum adoremus ac inuocemus, cui illi dederunt testimonium, si gratiam ipsis collatam à domino miremur ac laudemus, errores & scelera quæ isti oppugnarunt execremur, sanctaq; ipsorum imitemur exempla. Datur quidem à deo suũ præmium uirtuti: uerum hoc est immortalitatis præ-

mium & uita sempiterna. Proinde sanctos suos regno suo dignatus est: gloriã uero suam & unigeniti neminí sanctorũ contulit. Ipse enim solus dominus est, ipse solus omniscius & omnipotẽs, solus copiæcornu suis accurrit & præsto est in omnibus. Idem solus preces sibi per nomen filij sui Iesu Christi domini nostri oblatas agnoscit et exaudit. Sed addunt, Gentium deos homines fuisse turpissimos, Iouem Saturni filium adulterum impudentissimum, Martem parricidam crudelissimum, Mercurium impostorem maximum, Venerem scortum uilissimũ: at Christianorũ diuos dum homines uixerũt in terris, omnibus uirtutibus inclaruisse. Sed quis id negauit unquam? Neq; uero hoc quærimus, sed illud potius, An diui ob uirtutes & beneficia in deorum numerum sint relati? an hoc nomine inuocandi & colendi? Si negatis, iam ipsi diuos dijs æquastis nebulonibus. Sola enim uirtus inter utrosque discriminare uidetur. Si asseritis propter uirtutes deos esse factos, capti tenemini. Nam Cicero, Quoniam dei proprium est seruare & benefacere: iccirco qui ingenti aliquo afficit beneficio, quoniam dei quasi uice fungitur ei cui prodest aut cui placet uirtus, deus dicitur extitisse. Et Plinius in historia mundi, Hic est uetustissimus referendi bene merentibus gratiã mos, ut tales numinibus ascribant: quippe & omnium aliorum nomina deorum, & quæ supra syderum retuli ex hominum nata sunt meritis. Idem tradit in Institutis Lactantius. Proinde cum Gentes deos suos propter uirtutes & benefacta consecrauerint, & aduersarij dicant diuos factos à deo ex hominibus propter uirtutes & beneficia, quis non uideat ex eodem instituto ex eadem opinione & caussa exortum esse, quod

Gentium dij nebulones, Christianorum diui sancti

quod dij apud Gentes plurimi & diui nobis apud Christianos sint consecrati? Præterea edisserant nobis quæso aduersarij, Cur Iouem, Aesculapium, Apollinem, Mercurium & huius generis alios deos impugnarit, sed & idola ipsorum contriuerit Christianorum ecclesia? Nónne quia fuerant homines, & quod interim id ab ipsis peteret rudis populus quod ab uno Deo petendum erat? An uero diuos negatis esse homines? Non puto. Iam quis uestrum negare potest illud à diuis quoque nostris petitum esse quod ab ipso deo erat petendum? Sanitatem enim, eruditionem, formam, opes, & si quæ alia sunt in hominum uotis maiora à diuis postulauimus, his uota nuncupauimus, templa extruximus, aras erexímus, statuas posuimus, illis sacrificauimus. Quod si Gentium dij hac potissimum caussa è Christianorum ecclesia repulsi sunt, quod ab eis nempe hominibus mortuis ea peteret populus quæ solus largitur dominus: quibus argumentis, aut quanam armatura tutabuntur aduersarij diuorum inuocationem adeoq; & religionem, qua qui imbuti sunt, ea cum Gentilibus à creaturis petunt quæ solus largitur creator, à quo omnia per nomen Christi petenda erant? Rursus quibus scripturis propugnabunt simulachra sua? Subinde sermonem suum ita disponunt, ut appareat ipsos nonnihil discriminare inter idola et imagines, cum nulla alia sit differentia, nisi quod illud Græcanicum hoc uero Latinum est. Et quod deos uituperant propter scelera, diuos autem laudant à uirtutibus, quid hoc faciet ad apotheosim? Neque enim propter ullas uirtutes diuinas honor diuinus ullis creaturis communicandus erit. Sunt enim & uirtutes illæ munera

dei. Præterea satis constat pleroſque deorum propter uirtutes non propter scelera relatos esse in numerum deorum, cultosq; ab hominibus. Quæ cum ita habeant arbitror me religiose non sacrilegè pronunciare eundē esse cultum & eandem superstitionem deorum idolorumq; apud Gentes & diuorum ac imaginum apud Christianos. Id quod subiecta collatione nunc demonstro.

Apud Gentes ita comparatū erat, ut nulla esset regio, nulla prouincia, insula nulla, imò ne ciuitas quidē ulla quantumuis uilis, quæ non haberet deum tutelarem. Sic Babylonij & Assyrij Belum coluerunt, Aegyptij Osirim et Isidem, Aphri Neptunum, Mauri Iubā, Rhodij & Massagetæ Solem. Samos coluit Iunonem, Lemnos Vulcanum, Paphos Venerem, Delphos autem Apollinem. Roma habuit Quirinū, Athenæ Mineruam, Iunonem Carthago. Hæc passim obuia sunt poëmata legentibus & historias. His omnem uitæ suæ fortunam miseri tribuebant, adeò ut dijs tutelaribus nondum euocatis suas crederēt oras fore inexpugnabiles. Hinc Vergilius Maro,

Excessere omnes adytis arisq; relictis
Dij quibus imperium hoc steterat. &c.

Quanquam, ut est apud Macrobium, tutelarium deorum nomina arcana essent paucisq; cognita. Timebant enim ne apertis nominibus euocarētur ipsiq; caperentur dijs absentibus. Iam uero quis negauerit cū urbes tum regna diuis apud Christianos ut tutelaribus esse deuota? Heluetia nostra olim agnouit uirginem matrē, nec tamen aliam quàm eam quæ in opaca ac nigricante, ut aiunt, sylua hæremitarum, facibus cereis, oleo & lichnis fumigantibus graueq; olentibus

colitur:

colitur: nimirum ne frondium densa umbrositas idoli nitorem obtenebret: sed errauerunt uiri fœminei cultus ignari: non uiderunt muliebrem mũdum nulla re perinde fœdari atq; fumo tedarum, imò uaporẽ lucernarũ ac olei fuco & ceruſſæ esse inimiciſſimũ. Germani gens bello & cædibus nata, Georgio cataphracto consecratur equiti, ab hoc opem implorat, in pugnis uires atq; uictoriã, quasi Perseus ille Ouidianus deus belli factus, rapinis gaudeat & cædibus, Martem expulerit, ipse sanguine placeẽ humano. Constat enim Martem à Germanis inter primos deos olim esse habitum, id quod uel ex his Germani equitis nobiliſſimis & doctiſſimis carminibus claret,

Primus honor Marti, clypeo Mars fulget & enſe,
Germanamq; manu frameam tenet, illius aris
Victima prima cadit, gentis pater ipse uocari
Gaudet, & Arctoo sedem sibi deligit orbe.

Et dubio procul pleræq; in Germania gẽtes & urbes, quæ olim Martem coluerunt, pro Marte receperunt Martinum, quod hoc uocabulum Martis, cui egre uadicebant, nonnihil referret ſimileq; ſonaret. Romani apoſtolorum principes habent, Petrum & Paulum, & illius quidem claue in omnes omniũ penè thesauros penetrauerũt, huius uero enſe omnes Chriſtianorũ principes in ſua iura cõiurare cõpulerunt. Quis ergo facile contempſerit tantæ maieſtatis & potentiæ deos? Hiſpania unà cum Gallicia Iacobo adhærẽt apoſtolo. Perſuadent enim ſibi apoſtoli ſe habere reliquias, cum tamen Toletani id egre admittant, & Lucas in Actis, Egeſippus & Euſebius in hiſtoriis tradãt utrunq; Iacobum Hieroſolymis & occubuiſſe & eodem loci esse ſepultum. Porrò Galli homines uer-

ſutiſſimi, callide duobus ſui demandarunt curam, Michaëli & Dionyſio. Nam alter alatus eſt, & proinde in negotijs iuuandis expediendisq; promptiſſimus, alter uero capite truncatus, nihilominus uiuit, ut maxime ſuum ipſius caput ſuis geſtet manibus. Credunt itaq; horum beneficio uicturos ſe uel mortuos, & feliciter ac celeriter omnia ſua negotia confecturos. Pannonia in Lodouicum regem innititur, deinde & in uirginem matrem, cæterum non in aliam quàm eam quæ Aquiſgrani ſedes habet. Hanc uero certo indicto q; tempore frequentes, allia cæpasq; olentes, & quaſi inſtructo exercitu cateruatim inuiſunt, & cereo ingenti, pecunijs ceu ſetis infixis ſcabro, donant, ne ſola ſemper in æde ſedeat ampla. Diuus Ambroſius Mediolano præſidet, tiara pedo & flagello probe armatus, haud abſimilis Ioui Statori. Agrippina Colonia haud temere tribus fidit Regibus, cum Auguſta Vindelicorum olim ſe crediderit uni Huldrycho, neſcio qua talari tunica induto & ad defendendum minime inſtructo, imò manus iamiam protendenti codice piſceq; impeditas. Sunt urbes quæ à Leodogario, Oſualdo, Nicolao, Vrſo, & neſcio quibus alijs dependent, & ita dependent ut illis ſe totos committant, in pace & in bello. His ſacella, imò & templa adeoq; & cathedralia templa ponunt, ſtatuas fabricant, aras extruunt, & ſacerdotes inſtituunt. Horum imagines monetæ incudunt, interſignijs ceu clypigeros apponũt, portis denique, uallis & turribus illiniunt, denique ſignis militaribus imponunt. Horum opem & conſilia in pace uotis ambiunt. Horum auxilia in prælijs implorãt. Horum meritis tranquillas reſpublicas aut inſignes victorias ferunt acceptas. Fingunt præterea

diuum

diuum illum tutelarem, cum nondum abductus esset alterius cuiusdam diui precibus, aut rite euocatus, cir cumisse uallum, territasse hostem, prohibuisse irruptionem, anteisse aciem, excepisse tela hostium. Quis enim nescit Fridlinum globos fulmineos & bombardarum tonitrua olim pastorali illa sua pera elusisse? Quod si alterius cuiusdam diui meritis fuit abductus, fingunt illum sine singularis tristitiæ signis non excessisse. Certa sunt illa apud ipsos sed & libris æditis & tabulis depictis omnibus exposita.

Sed quid interea deus? Mei sunt cœli, inquit, & mea est terra, orbis terrarũ & plenitudo eius, ego fundaui ea. Meum est regnum. Regnum meum regnum est omnium sæculorum. Ego sedeo super gyrum terræ & habitatores eius quasi locustæ. Ego stare facio, & ego in fugam conuerto: à me sunt consilia & auxilia. Et nisi ego ciuitatem custodiero, frustra uigilat qui custodit eam. Hæc cum ita habeant, & nos interim pendeamus à creaturis cum gentibus, profecto gentibus idololatris nihilo sumus meliores.

Conferuntur Diui Christianorum cum dijs Gentium quibus cura elementorum, animantium, morborum, artium, omnium denique membrorum hominis credita putabatur. Cap. XXXIIII.

RÆterea ipsa quoq; inter se elemẽta dij Gentium partiti sunt. Et Ioui quidem obuenit ignis unà cum cœlo, Iunoni aër: Neptuno datum est mare, Inferna uero cesserunt Plutoni. Et Apollo oẽs excoquebat fructus: uino præerat Bacchus: frumentorũ dea erat Ceres: & pecorũ curam unà cum Apolline gerebat Pan. Sed et Mechanica uitę institutа

& res literaria dijs suis nõ caruit. Notæ enim sunt Musæ, notus cum Apolline Mercurius, fabrorum quoq; Vulcanus, medicorum Aesculapius, militum Mars, scortorum Venus, nautarum Castor & Pollux: sed quis fecem istam sine nausea ad fundum usq; exhauriat? Sunt ista apud poëtas illorum passim exposita. Pesti medicabatur Apollo, comiciali morbo Hercules, Lucina præerat partui. Breuiter deorũ series pro cuiusuis libidine & commodo uel incommodo ita creuit ut Varro Terentius deos reuocet ad calculum, ab hominis exorsus cõceptione, numerumq; ad decrepiti prouehat metas. Ab eodem annotatum est trecentos fuisse ueteribus deos Ioues, idemq; repetitum est à Sept. Tertulliano. Oenomaus tradit trigínta millia deorum in orbe terrarũ suo sæculo fuisse culta, quod ipsum & uates asserit in Theogonia Hesiodus.

Inter Christianos uero quid quæso in uniuersa rerum machina est quod peculiarem penè diuum nõ habeat, siue elementa spectes, siue nascentia terræ, siue morbos, siue artes, siue ipsum hominem totum. Olim fecerat Iuppiter Aeolum nimborum regem, tempestatumq; potentẽ: at nunc ea uis tradita creditur Valesiano cuidam Theodulo, qui in hoc & colitur & inuocatur, ut grandinem à segetibus auertat, furentes uẽtos sopiat, & nociuas tempestates dispellat. Alij hoc officij Ioanni tribuũt & Paulo. Ignis Agathæ datus est, ceu Vestæ cuidam nouæ: & quo minus ignis impetũ omnibus aliâs formidabilem ob sexus imbecillitatem timeret, additus est ei Florianus panoplia instructus, qui urna ceu Inachus quidam in sæua aquam incendia fundat. His additur Nicolaus marinus deus, naui gantibus ppitius, repositus haud dubie in Castoris

& Pollucis

& Pollucis locum: hinc enim & collegam assequutus creditur Christophorum. Est autem hic proceræ statu ræ gygas & firmis lateribus poëticus Polyphemus, atque ideo prę modum nauigantibus per maria & flumina accõmodus, quippe de quo Maro canit,

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Postquam altos tetigit fluctus & ad æquora uenit
Luminis effossi fluidum lauit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu, graditurq; per æquor
Iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.

Igitur tam uastæ molis deo haud difficile est in altissimis uorticibus periclitãtibus succurrere. Quod si præ uasta corporis mole mouerit segnius, mox uirgini matri occinitur carmẽ, Aue maris stella, dei mater alma, &c. Vino præest Vrbanus uinosorum hominum deus, per cuius nomen non sine risu deiurant inter pocula. At rubiginem è frumento expurgat Iudocus: brucos abigit Magnus. Et horum quidem simulachra extructis prius sacellis, aruis non raro imponuntur, nimirum ut ad Priapi morem sint auium maxima formido, ceu canit Flaccus. At qui religio uetaret sacra exponere auibus prophanis: irreligiosæ enim fœda alui proluuie expolitos illos hortorum aruorumq; deos coinquinant: quos tantum abest ut timeant aut reuereantur, ut etiam sub eodem nidificent tecto, garriant, & totam principis aulam conspurcent, quin rapinam ex agris hortisq; ad ipsos cõuehant recondantq; tutores. Neq; uero & pastoribus caremus Christiani. Nam anserum cura Gallo est cõmendata: ouium Vuendelino cuidam: Eulogius equorum habetur deus: boum Pelagius: immundissimos porcorum greges custodire co

gitur míser Antonius. Quid quod præ díjs his nec glíres nec mures impune rodunt? Nam mox ut arrodere cœperint, colo díſíjcit rodentes murium dea Gertrudis. Quod ſi penſum nondum abſoluit nec illum abrumpere libet, Huldrychus interea arrepta Auguſtanæ terræ gleba & proiecta, nocentes díſturbat. Illa ẽm creditur omnibus glíribus eſſe lœtalis. Pudet me profecto ſtultitiæ, & teſtor deum noſtrum, quod illa non díco in ignominiam hominũ dei, ſed in temeritatem, uanitatem, & ſtultitiam noſtram, qua ex creaturis dei ſanctiſſimis indigniſſime deos falſos facimus. Hí certe omnem gloríam ſolí domíno tribuerunt, & eandem ſolí deo tribuendam docuerunt: ergo non ípſos accuſamus aut rídemus díuos, amímas beatas, ſed uaniſſimã impíjſſimamq́ hominum opinionem.

Hac eadem factum eſt, ut & eruditio & eloquentía & artes ac uitæ inſtituta deos deasq́ inuenerint apud Chriſtíanos. Colunt enim literarum candidatí Catharinam quandam uírginem Alexandrinã ceu Athenieñ. Mineruã, alíj colunt Gregoriũ quaſi alterũ Mercurium. Pictores Lucam uenerantur Euangeliſtã, quí tamen medícus fuit non pictor. Iure ergo poſſent cum pictoribus expoſtulare medící: uerũ habent íj pro uno duos Coſmã & Damianũ. Fabrí pro deo ſuo inuocant Eulogium, Calcearíj Criſpínum & Criſpinianum. Sarctores cum ſint plerunq́ belli homunculi, dignũ ſuis moribus deũ inuenerunt Gůtmannum neſcio quẽ. Feciſſent tamen paulò conſultius ſi huic & Bacchum alíquẽ iunxiſſent. Hic ẽm et uiní deus eſt, quo iſti uehementer delectantur, et capras odit, quas iſti plus q̃ Vatiniano inſectantur odio. At figulorum deus barbaro quodã nomine & horribilí pictura terribilis eſt. Nam

Goar

Goar dicitur (id quod ex ranis Aristophanis aut Homeri Batrachomyomachia petitum uideri poterat) & dæmonem atrum micantibus oculis humeris gerit frementem & olla sæue tumultuantem. Venatores Eustachium uenerantur Romanum illum ciuẽ, de quo non minus prodigiosa fabulatur mendax monachorũ colluuies, quã de Vlysse olim Græcia mendax. Porrò miraris scio quas deas inuenerint Christianorum scorta, nec Venerem nec Florã, sed Aphrã & Magdalenam: has inuocant, his uota nuncupãt, his immolant nescio quid, atq; ita satis esse putãt, si istas sic colãt perpetuo, etiãsi à peccatis nunq; cõuertantur. Quasi scilicet diuę muneribus tuis fœda arte partis demulceant, et nõ magis cupiant ut ad ipsarũ exemplũ cõuertaris ad dñm.

Dicamus nunc & de morborũ diis paucissima. Inuocatur in peste Sebastianus, cuius imago nõ multum absimilis est Homerico Apollini lœtales sagittas in Græcorum exercitũ atq; puppes iacienti. Originẽ huius superstitionis qui plene cognoscere uelit, legat Pauli Diaconi de gestis Longobardorũ, li. 6. cap. 2. Nouus autem ille & propemodum incurabilis morbus, quem nuncupant Poscas Francicas uel scabiẽ Neapolitanã, tumorẽ itẽ Gallicũ, nouũ quoq; deũ inuenit Rochum et apud nonnullos alios Viacẽ. Febricitantes curat Petronella apostoli Petri filia: nec mirum. Cum enim dñs socrum Petri febricitantẽ restitueret sanitati pristinæ, filiola non intellecta subrepsit & medendi artem didicit. Ioannes Euangelistes unà cum Abbate Benedicto uenenum epotum continuo reddunt innoxium. Vuolphgangus contractorũ medicus est. Romanus quidã dæmoniacos soluit & lunaticos. Marcus mortẽ auertit improuisam ipso etiã fato fortior, deus omnino

potentissimus. Susanna omnem in uita tollit cultori ignominiam. Et quod decorum ipsum excedit Margarita uirgunculadea facta est partu laborantium: iuncta est ei Notpurgis ipsissima Ouidij Niobe. Leonhartus inuocatur à captiuis: quia cultoribus compedes rumpere creditur. Quid quod Vitus procul dubio inuitus, furiose saltantiũ agit choragum? Sed & Valentinus Herculeo morbo laborantibus & spumãtibus auxilio esse dicitur: in hoc enim & inuocatur & colitur.

Atq; hic mihi monendus uidetur Lector, secũ expendat, an non ea potissimum causa diui quidam morbis curandis sint præpositi, quod nomina ipsorum uicinitatem haberent cum nomenclatura morbi. Quid enim aliud est Valentinus quàm caducus? Patria em̃ lingua Cadere significat fallen. Quid aliud est Vincentius quàm inuentiuus? Patria enim lingua significat finden. Præest autem hic diuus amissis rebus, sicut & Vindanus quidam apud Rynouiam appellatus sant Findy. Simili modo apud Romanos instituit & coluit Pauorem & Pallorem Tullus Hostilius, Cloacinã Tacitus, Mentem, Rubiginem & Febrem S.P.Q.R. Stupenda de paribus dicere possem, sed sit hic expostulandi iurgandiq; modus. Nã aduersarij alias me Atheon, Lucianũ, deorũq; irrisorẽ imò contẽptorẽ appellabũt.

Reliquum est ut uideamus quinam diui totum hominis corpus & membra singula occuparint. Caput ipsum obtinet Ita, non oĩbus cognita diua. Oculos habet Otilia. Et mirum est si alienis mederi oculis potest, quæ suos proprios seruare nequiuit: nisi fortassis eius oculos quos codici impositos gerit, ambiant qui de suis desperarunt. Linguam instituit Catharina in rhetoricis & dialecticis exercitatissima. Apollonia dentes

proprios

propríos amíſit, interím ab hís ínuocatur quí dentíum ſentíunt cruciamína. Fortaſſis ut ab Otília oculos ſíc ab Apollonía petunt dentes. Collo præſídet Blaſíus ſpíratílis deus. At dorſum unà cũ ſcapulís obtínet D. Laurentíus: quod ín crate ferrea toſtus affící poteſt ſímilí dolore afflíctís. Eraſmí uenter eſt totus cum ínteſtínís. Ilía ením propría ad gírgíllum conuoluta probe perrímauít, ut íam ín íſs ĩudícandís quod ad morborũ cauſſas attínet ípſum níl poſſít latere. Sunt quí Burgharto cuídam & crura & pedes cõſecrauerínt: quamuís ĩſdem non negant hunc ín partícípatum nonnunquam admíttere Antonínum, Quírínum, Ioannem, & neſcío quos alíos díuos, quos uæſaní íllí patría língua uocãt Bůßheligen/deos uídelícet plagoſos. Quíd quod Apollínarís quídam Príapí uíces ſubíít, pudendorum deus effectus. Proh pudor, quæ eſt ílla ímpudẽtía? aut quís ſuperſtítíonís modus? Líbícas harenas numerauerím cítíus quàm Chríſtíanorum deos. Nam quíſq; pro ſua líbídíne, pro ſuo commodo, aut íncõmodo deum ſíbí fínxít, neq; uel hodíe nouos fíngere nobís ceſſamus. Totas legíones Thebeorum producunt, numerant quamplures martyrum & uírgínum chíliades, ut ípſæ Gentes nobís collatæ pauciſſímos deos habuiſſe uídeantur.

Quo quæſo ruítis míſerí? ſiſtíte gradũ, audíte quæſo fratres chariſſímí. Nónne ín nomen patrís & fílíj & ſpíritus ſancti baptíſatí eſtís? Nónne deus noſter deus unus eſt? Nónne ídẽ oĩa ſua agit prouídentía? Nónne ex íllo & per íllum & ín íllum omnía? Nónne híc uítæ & mortís, opum & ínopíæ, ſapientíæ & ſtultítíæ, ſanítatís & morborum unícus et uerus author eſt? Nónne íllí ſolí te totum anima & corpore debes? Nónne íllíus.

creatura & seruus es? Quid ergo ô miser à creatore auerteris ad creaturas? Hoc gentes solent: tu si Christianus es, soli Christo adhæres, per hunc cõiungeris cum patre. Quod si diui agũt omnia, si penes hos est regnorum & urbium tutela, fuga, uictoria, ars, erudítio, cura morborum, sanitatis beneficium, si uentorũ habent potestatem, si commoda ab his sunt & incommoda, si omnia hominis membra occupant, quid interim operatur deus? ubi est dei prouidẽtia? An labore fatigatus diuis ut subsidiarijs utitur instrumentis? Verum non cadunt in deum infirmitates illæ hominũ. An uero creditis operari quidẽ deũ, sed non per alios, q̃ per diuos? Sed & gentes fatebantur uim quandam primam & immensam esse, à qua uirtutes alię, ut à prima exísterent. Sic em̃ asserebant multos esse deos et operationes multas, ut interim uim agnoscerẽt unam. Ergo Homerus & Vergilius poẽtarum clarissimi & primarij uiri omnes deos ipsi fato subiecerũt. Et quamuis ita sentirent de deo diuinisq; operationibus, fides tamẽ orthodoxa huiusmodi sententiam non recipit, omnem gloriam soli deo tribuit. De qua re disputatũ est in cap. 18. ubi diximus ex Lactantio de ministerio angelorũ. Ideoq; cum etiam Pontificia cohors diuos in administratione mundi asserat subsidiarios, & quasi medioxumos esse deos, per quos operetur ille motor primus, subsidiarijsq; illam concedat gloriam, ut hoc nomine à mortalibus & inuocari & coli possint: non uideo quid discriminis sit inter errorem Gentilium & Christianorum.

Conferuntur simulachra, templa, sacrificia, festa, uota, et anathemata Christianorum cum Gentilium superstitionibus. Cap. XXXV.

Compo-

COmponamus nunc etiam utriusq; gentis colendi ritus sacra et festa aliasq; id genus cerimonias. Apud gentes tãta erat religio simulachrorum, ut ipsas imagines non minore dignarentur reuerentia q̃ ipsos deos quorũ erant signa: quippe deum ipsum non lignũ aut materiam idoli adorabant. Statuas itaq; imponebãt tẽplis, ad has frequentes cursitabãt, ante istas procidebant, illis supplicabãt, his ponebant incensum. Idẽ facimus Christiani. Nam diuorum simulachra aris ac templis deo consecratis locis imposuimus, ad ista concurrimus, istis genu flexi-mus, ad ista cõuersi uota nuncupauimus nostra. Quid quod eos ultricibus iniicimus flãmis, qui imagines aut loco mouerunt, aut tanq̃ lignum cremauerunt? Et ut olim apud gentes una Diana iam Agrotera, mox Coryphea, deinde Laphyra, itẽ Corythallia, Ephesia quoque, Aulidensis, & Pergea dicebatur: ita apud nostros uaria Mariæ indita sunt nomina. Alia enim Lauretana, alia Hęremitana, alia Aquensis, alia Cãpensis, alia Speciosa, alia Rosacea, alia Liliaca, à uanissimis hominibus propter loca in quibus extant idola, nuncupata est. Et ut de Diana uarię erant fabulæ, cuius generis & illa erat à Ioue delapsum esse Dianæ Ephesiæ simulachrum, ceu in Actis memorat Lucas: ita de diuæ uirginis idolo uanissima quædam traduntur, ut & de sacellis. Hoc enim aiunt ab ipsis angelis ex orientis partibus in extimas occidentis delatum oras: illud uero ab angelis uel fabricatum, uel auctum, uel consecratum, uel ab hostium incursione defensum. Præterea hoc simulachrum uirginis à Luca pictum, aliud à sancto quopiam sculptum, & aliud ab angelis uel inuentum uel reuelatũ, item aliud sua sponte, sed miraculose ena

simulachra.

tum, iam & multa cœlo delapsa esse mentiuntur. Quę dam item alia Christi & diuorũ idola fingunt profudis se lachrymas et sanguinem, quędam respuisse colores, quædam non potuisse moueri loco. Quid quod quædam finxerunt uel animaduertisse in hostes, quædam reddidisse de se fulgorẽ, quædam loquuta, nescio quæ uẽtura prædixisse. Notissimæ sunt fœdę illæ de Bernhardo, de Thoma Aquinate, & innumeræ aliæ fabulæ turpes. Iam & thure Sabeo alijsq; odoramentis pręmuniuntur idola illa contra lucernarum uapores. Perpetuis enim iugibusq; lucernis illustrantur. Nam religio sum esse creditur eos lucernis honorare corruptibilibus, qui habitant cũ lumine sempiterno & purissimo: imò & huic sebaceam candelam, uel cereum teretem aut fumantem tedã offerre religio esse uidetur. Quam uæsaniam extremamq; dementiam hisce uerbis increpauit lib. Instit. 6. ca. 2. Lactantius, Quod si cœleste lumen quod dicimus solem contemplari uelint, iam sentiant quod non indigeat lucernis eorum deus, qui in usum hominis tam candidam lucem dedit: & tamen cum in tam paruo circulo, qui propter lõginquitatem nõ amplius quàm humani capitis uidetur habere mensuram, tantum sit fulgoris, ut eum mortaliũ luminum acies non queat contueri, & si paulisper intenderis hebetatos oculos caligo & tenebræ consequantur, quid tandẽ luminis, quid claritatis apud deum, penes quem nulla nox est, esse arbitremur? Qui hanc ipsam lucem sic moderatus est, ut neq; nimio fulgore neq; calore uehementi noceret animantibus: tantumq; istarũ rerum dedit ei quantũ aut mortalia corpora pati possunt aut frugum maturitas postularet. Num igitur mentis suæ compos putandus est qui authori aut datori luminis, cande-

candelarũ ac cerarum lumẽ offert pro munere? Aliud uero ille lumen exigit à nobis, & quidẽ non fumidum sed ut ait poëta liquidum atq; clarum, mentis scilicet. Mox subijcit, Illorũ autem dij quia terreni sunt egent luminibus ne in tenebris sint: quorum cultores quia cœleste nihil sapiunt, etiam religiones quibus deseruiunt ad terram reuocãt. In ea enim lumine opus est, quia ratio eius & natura tenebrosa est. Itaque dijs non cœlestẽ sensum sed humanũ potius attribuunt. Ideoq; illis necessaria & grata credũt esse quæ nobis, quibus aut esurientibus opus est cibo, aut sitiẽtibus potu, aut ueste algentibus, aut cum sol decesserit lumine ut uidere possimus. Hactenus Lactantius mirum quàm apposite & nostrorum detegens atque refutans dementiam. Præterea apud Gentes idola ijs rebus ac signis ornata astabãt, quibus præesse credebant dij. Venus enim amorum ac uoluptatis dea nudato corpore pingebatur, ponè insidente Cupidine pharetra arcu ac sagittis philtro illitis instructo. Sic & deus uini Bacchus, pampinis & uite botris dependentibus redimitus, & pueri & ebrij hominis specie fingebatur. Nam & poëtæ talem finxere priores. Maro enim,

Silenum pueri somno uidere iacentem
Inflatum hesterno uenas, ut semper, Iaccho.
Serta procul tantum capiti delapsa iacebant,
Et grauis attrita pendebat cantharus ansa.

Hinc nimirum Christiani Vrbanum quendam uini deum esse uoluimus, nimirum quod bene poti suaues & urbani esse incipiamus: igitur Vrbani idolum lagena ampla & uite botris graui pinximus, atq; utinã hoc carmen inscriptionis loco affixissemus,

Vespere cum bibimus homines sumus atq; benigni,

Mane homini siccus trux fera surgit homo.

Gertrudim muriũ terriculamentũ nentem intra murium choros posuere pictores. Valentino collapsos sæueq; spumantes subiecimus homines. Georgius panoplia instructus feroci equo uehitur. Antonio affingitur porcus. Vuendelino canis. Et hic quidẽ gladium gerit, ille hastam, alius malleum, hic forcipẽ. Sed quis enumeret omnes omnium stultitias? His uero simulachris aurum, argentum, gemmas, corallium, & quicquid uidebaẽ pretiosum appendimus atq; affiximus, purpura, serico, ueluto & uestibus Damascenis ad luxum usque plus quàm Persicum exornauimus. Imò his nugis adeò sumus immersi, ut religionem ueram sine illis putauerimus integram non fore.

Templa. De Templis deorum gentilium quid dicam? Vincunt nostræ Basilicæ omnem Gentiũ luxum. His præerant apud illas Pontifices, Flamines, Salij sacrorũ ministri. Apud nos præsunt templis atque sacellis Custodes, Canonici, Sacerdotes, Sacellani, Monachi, Lolharti, Aedituí, Clerici, & hoc genus omne, qui omnes splendide & laute aluntur diuorum facultatibus, ut sacrorum sint ministri. Sunt ergo in his qui simulachra purgant et ornant: sunt alij qui festa diuorum indicũt: sunt alij rursus qui in festis solennibus solenniter sa-

Sacrificia. cra perficiunt. Et apud Gentes quidem uaria erant pro ratione deorum sacrificia: sed nostris unum modo sacrificiũ est, quod Missam uocitant, quanquam & in ipsa preces & quæcunque Missæ sunt uno Canone excepto, diuis applicauerint. Nam extant peculiares Missæ de Tempore, ut uocant, & sanctis: id quod Missales libri testantur. Sed de Missa alibi disputabitur. Sunt præterea Cantores & Succentores & Choraules,

raules, qui diuos compositis ad hoc cantilenis collaudant & inuocant, non secus atque Salij in sacris suis Herculem, ut extat apud Maronem. Denicp ut Belum Nabuchodonosoris sacrorum ministri omnibus instrumentis musicis, quemadmodum docet Daniel, demulciebant ac prædicabant, ita operosam quandam ac theatricam musicam in sacras ædes induximus Christiani, tumultuosum diuersarum uocum garritum, qualem non opinor in Græcorum aut Romanorum theatris unquam auditum fuisse. Omnia tubis, lituis, fistulis, ac sambucis perstrepunt, cumcp his certant hominum uoces. De Matutinis & Vespertinis precibus nunc nihil dicam. Sunt & illæ in uniuersum compositæ de Diuorum laude & inuocatione. In Missis porrò celebratis de Diuis, ubi cantus ille & organorum strepitus ad præscriptas accesserit metas, mox in medium magna cum grauitate procedit diuorum encomiastes, & de Diui natalibus, patria, educatione, uita, moribus, uirtutibus & exitu ad longum differit, deinde quibus rebus præsit, & quibus medeatur ostendit, denique & cultum & inuocationis modum præscribit, postremo & miracula recitat, ut his maxime simplicium permoueat animos. His absolutis redit ad aram, geniculatur, ac Diui magna cum ueneratione accipit reliquias, cõuertitur ad plebem, uenientemcp & ferentem munera diuo, benigne excipit, & reliquias illas uel osculandas præbet uel capiti ciuiliter inclinat. Interea uero dum ita concurritur ad Diui ærarium, diuus ipse præscriptis cantilenis ardenti uoce inuocatur. Concinunt & organa, haud dubie ut stolidũ & iners uulgus ad hanc saltatio

nem magis incendant, animosq; offerentium demulceant, ne fortè pœniteat pigeatq; sumptus. Cedo autem cui donum fers? Laurentio? Martino? Anastasio? Sebastiano? Valentino? Nicolao? Atqui cũ immortales sint, & æterno perfruantur bono, non opus est talibus tuis muneribus. Cui ergo offers? Vis audire? Dicam, Principio alis sacrificulorũ libidinem ac luxũ fœdissimum. Deinde uestis & ornas ligna & lapides. Postremo offers gladiũ quo iugularis aliquando & ejcias uel è paterna possessione uel seruus fias. Et cũ hoc fit, cõmode appellaris diui non hominis mancipiũ. Cæterum diui dum uiuerẽt in terris, suis exemplis docuerunt pauperes iuuare beneficijs, non premere aut etiã opprimere grauibus sarcinis miserorũ dorso iniectis. D. Laurentius ecclesiæ thesauris non ita usus legitur? his neminem tributarium effecit, neminẽ patria sede pepulit, neminem oppressit: idem nullum simulachrũ fabricauit, & opes ecclesiasticas in illud effudit, sed inopes & egenos iuuit, erexit, liberauit. Vos pauperes denudatis ut ornetis atq; induatis mundo muliebri lignum & lapides. Quis hic dubitet illud ꝓphetæ impletum esse, Similes fiant idolis qui faciũt ea? aut quis nõ uideat uos à deo iustissimo iuste traditos esse in sensum reprobũ? Deus ergo misereatur nostri, illuminet uultum suum super nos, & misereatur nostri: quia miseri & amentes facti sumus.

Reliquiæ. De reliquiarum superstitione quid dicam? Hac nihil unquã fuit in orbe stolidius. Adorant nonnulli caligam Iosephi nutritij domini, alij calceos Thomæ, alij ocreas Martini, alij ensem Georgij, alij uaginã, alij mulierum cincinnos, uestes, cingulos, camisias, obsoletas strophiola, & sudariola quædã muccosa, imò incognita quæq;

ta quæq; mortuorum ossa. Aiunt in urbe quadam Liguriæ seruari inter reliquias caudam asini eius cuius meminerũt euangelistæ; ego difficulter semper credidi; quanquã nõ minus uilia ab illis seruari certum sit. Illa uero auro & gemmis inclusa ostẽduntur, & à stulta plebe adorant. Rectissime ergo Eras. Rot. in Eccles. suo, Deforme exemplum est, inquit, pharmacopolarũ qui mensa in foro posita ostentant dentes eductos, lapides è uesicis exectos, diplomata magnatũ quos à morte reuocarint, magnaq; uanitate denarrant sua præclara gesta turpis lucri gratia. Horum non dissimiles sunt quos nimium diu tulit mundus qui circumferũt reliquias & statuas sanctorum, summa impudentia iactantes miracula quæ nunquam gesta sunt, & interdum plus quàm scurrili impudentia fœnum aut stramenta ex latrina fortassis aut horreo sumpta, offerunt simplicibus osculanda: ostendũt carbones è foco sumptos, mentientes his assum fuisse Laurẽtium. Sed quid ego hoc superstitionum pelagus ingredior? Nemo enim iustis libris de reliquiarum superstitione scriptis uel centesimam partem huius mali digne absoluerit.

A Ceremoniis & sacris publicis ad epulas & conuiuia festinamus Christiani. A mẽsis ad aleam descendunt senes, ad choreas ducendas iuuenes. Et cum prophanis diebus his non licuerit incumbere, feriis totos nos in omnem luxum & libidinem effundimus. Cui uero iam non subeant in mentem Comi & Baalis sacra? De Dedicationibus templorum & Natalitijs diebus sanctorũ, de Exequijs & Anniuersarijs, nihildum refero, in quibus omnia multo cum maiore intemperantia peraguntur. *Epulæ.*

In Peregrinationibus diuorum gratia susceptis, ab *Peregrinationes.*

optimis & iustissimis uotarijs maxime in religionẽ ueram peccatur. Nam ueritas orthodoxa peregrinationes illas damnat. Queritur dominus in ꝓphetis se prætexito nescio quæ loca peti. Clamat itaq;, Quærite me & uiuetis: & nolite quærere Bethel, ad Gilgal nolite intrare, & ad Berseba ne transieritis. Sed & dominus Iesus in euangelio ad Samaritanam interrogãtem, Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis quod Hierosolymis sit locus ubi oporteat adorare: respondit, Mulier, crede mihi uenit hora quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis patrem. Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit qui adorent ipsum. Deus est spiritus & eos qui adorãt eum spiritu & ueritate oportet adorare. A malis uero & iniquis tã turpia tã fœda & sceleſta perpetrãtur in illis peregrinationibus, ut pias aures spurcitia abominãda cõtaminare nolim: hoc tantũ adiecerim, Peregrinationẽ ad diuos cõmodã esse rationẽ ac uiã qua maritorũ uigilantiã eludere possunt adulteræ. Quia enim cõmutarũt ueritatẽ dei, mẽdacio, ideo tradit illos deus per cupiditates cordium suorũ in opera ꝓpudiosa: ut nihil nunc dicã de iactura quã uotarij illi stulti fecerunt in corporibus suis & fortunis.

Vota & anathemata.

In Votis ipsis ac anathematis Gentes longe superauimus. Et alia quidem uota aurea sunt, alia argentea, quædam ferrea & cerea, sed & uiua, ut nigræ gallinæ pullus croceis pedibus insignis. Pleraq; uero contracti esse uidentur iuxta formulam, Do si facias, si dederis faciã. Sunt qui iuxta hanc formulã uoueãt, Adibo te Saluatoris tunicã, nudis cruribus et capite, corpore ferrea lorica tecto, calceis harena oppletis, cibo ostiatim

tim mendicato, & lingua muta: quod si uerbũ dixero, age oleũ & operã luserim; sed istud fecero si uxorẽ nactus fuero & formosam & opulentã & meis cõgruentem moribus. Fallit haud dubie quisquis credit maiora uel saltem paria stultitiæ argumenta apud ullas extare gentes. Quo referri & illud potest quod oẽs templorum diuis consecratorum parietes, testudo denique ipsa, referta est anathematis, signis, prodigijs & inanibus ac ementitis picturis. Et hac quidem parte dependent confractæ naues, laruæ ex cera formatæ, ferreæ manus, ligneí pedes, pepla, induſia, calcei, caligæ, & ocreæ oppletæ paleis, denique cõpedum & catenarum magna pondera. At parte ex alia tabulæ apparent pictæ miraculorũ præcones ac testes. Perreptarat enim hic incuruus & æger in uirginis matris aut diui alicuius templum, salutarat truncum ficulneum, mox integritati restitutus, idolo in rei gestæ memoriam fulcra quibus innixus uenerat, suspendit. Alius è naufragio incolumis enatarat diui adiutus præsidio remigioque, igitur tabulam pictura hoc loquentem appendit diui idolo. Elapsus tertius aliquis è hostium graui obsidione, uotum uouerat uirgini, imagini ergo uirginis arma suspendit. Alius quispiam carceribus effractis diuo apparenti & è neruo ducenti dedicat manicas catenas ac compedes: & hæc quidem ante idolum suspensa omnes inuitant ad illius Diui cultum. Alius ab hoste perfossus uixit. Alius è prælio pugnantibus cæteris non minus feliciter quàm fortiter aufugit. Alius in crucem subactus fauore Diui cuiuspiam furibus amici, decidit, ut nonnullos etiam male diuitijs onustos pergeret exonerare. Alij potum uenenum, aluo soluta, remedio non exitio fuit,

idq; non admodum læta uxore, quæ operã & impensam luserit. Alius ruina oppressus uixit. Alius rediit ab inferis. Hæc omnia circum parietes suspensa ingrediuntes diuumq; salutantes mirum quàm sibi ipsis eripiant ac totos diuo agglutinent. Diligenter enim illa ab idolorum ministris exponuntur & inculcantur diuum inuisentibus: adiiciuntur quotidie noua signa, id est prodigiosa & stupenda mendacia. Nihil hic fingimus. Exercentur illa adhuc ab idolorum ministris. Ergo neminẽ nunc esse credimus qui his iuste expensis non uideat eundem esse cultum, superstitionem eandem deorum idolorumq; apud Gentes & diuorũ ac imaginum apud Christianos.

Quantopere cauere oporteat idololatriam omnẽq; cultum peregrinum, & quantum dominus illum odiat ac execretur. Cap. XXXVI.

VM autem par omnino cultus ratio utriusque gentis sit, cõsequens est omnia quæ contra deos & idola gentium pronunciata sunt à sanctis, etiam contra nostros diuos eorumq; imagines esse pronunciata, & idololatriam hanc nobis non minus persequendam esse, quàm sui sæculi idololatriã maiores nostri persequuti sunt. Constat autem reges Christianos magno studio & ardenti zelo primũ claussisse idolorum templa, deinde à fundamentis ne uestigio quidẽ relicto illa eruisse, pauculis modo exceptis, quæ ministerio uerbi & sacramentorum consecrarũt. Testant hoc historiæ ecclesiasticæ & Imperatorũ sanctissimæ leges. Nã apud Theodoretũ lib. 5. cap. 20. & apud Epiphaniũ in Trip. hist. lib. 9. cap. 33. in hæc propemodum uerba legis, Fidelissimus Imp. Theodosius

Instrumenta impietatis sublata

contra

contra errorem Paganorum suum transtulit studium, legesq; cõscripsit, præcipiens idolorum templa subuerti. Constantinus enim Magnus, dignissimus omni laude Imperator, qui primus exornauit imperium pietate, cum adhuc insanire cerneret orbem terrarũ, interdictu suo sacra dæmonum prorsus sustulit, phana tamen non subuertit, sed inaccessa esse uoluit. Huius filij & ipsi paternis uestigijs institerant. Iulianus impietatẽ renouauit, & antiquæ deceptionis incendit ignẽ. At Iouinianus imperiũ adeptus, rursum simulachrorum cultum prohibuit. Et Valentinianus magnus ijsdem legibus Europam gubernauit. Valens uero suam cuiq; quam delegisset religionem liberam esse uoluit, cum solis apostolicæ doctrinæ sequacibus nunq̃ bellare cessauit. Toto ergo eius imperio reparabantur aræ, lucebant ignes impij, & honorabãtur simulachra. Verum illa omnia fidelissimus imperator Theodosius semel & funditus euulsa oblitioni dedit. Paucula quædam residua diris edictis reges posteri proscripserunt. Id quod iam legibus aliquot subiectis paulò copiosius exponemus, illis quoq; additis quas priores ediderũt.

Leges contra idololatriam.

Constantinus Magnus ad Taurum PP. in Codicis lib. 1. tit. 11. Placuit omnibus locis, inquit, atq; urbibus uniuersis claudi protinus templa, & accessu uetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificijs abstinere. Quod si aliquid fortè huiusmodi perpetrauerint, gladio ultore sternãtur, facultates etiam perempti fisco decernimus uendicari: & similiter puniri rectores prouintiarum, si facinora uindicare neglexerint.

Legis Theodosianæ meminit Eccles. historia, li. 11. cap. 19. & rursus 22. & 23. ca. Meminerunt eius & ipsæ

Theodosianæ const. nouellæ, Tit. 2. Est autẽ prolixior quàm quæ recensẽri scripto patiatur.

Rursus in Cod. eodem libro & Titulo, Honorius & Theodosius AA. populo Carthaginensi sic scribũt, Omnia loca quæ sacris error ueterũ deputauit, nostræ rei iubemus sociari. Quod autem ex eo iure ubicunq; ad singulas quascunq; personas, uel præcedentiũ principum largitas uel nostra maiestas uoluit peruenire, id in eorum patrimonijs æterna firmitate perduret: ea uero quæ multiplicibus constitutis ad uenerabilem ecclesiam uolumus pertinere, Christiana sibi merito religio uendicabit.

Et iterum Imp. Valent. & Mart. AA. Palladio PP. ita scribunt, Nemo uenerantis adorantisq; animo delubra, quæ olim iam clausa sunt, reseret. Absit à sæculo nostro infandis execrandisq; simulachris honorẽ pristinũ reddi, redimiri sertis templorum impios postes, prophanos aris accendi ignes, adoleri in ijsdem thura, uictimas cẽdi, pateris uina libari, & religionis loco existimari sacrilegium. Quisquis contra hanc serenitatis nostræ sententiam, & contra interdicta sacratissimarum ueterum constitutionum sacrificia exercere tentauerit, apud publicum iudicem reus tanti facinoris legitime accusetur, & conuictus proscriptionem omnium bonorum suorum, & ultimũ supplicium subeat. Cõscij etiam ac ministri sacrificiorũ eandem pœnam, quæ in illum fuerit irrogata, sustineant: ut hoc legis nostræ seueritate perterriti, metu pœnæ desinant sacrificia interdicta celebrare. Quod si uir clarissimus, rector prouinciæ post accusationem legitimã, & post crimen in cognitione conuictum, tantũ scelus dissimulauerit uindicare, quinquaginta libras auri ipse iudex, quin-

quaginta

quaginta etiam officium eius fisco nostro inferre coga tur. Intelligis nimirũ ex legibus Imp. sanctissimis quantopere idololatriam & omnem prophanum cultum uitare conueniat, quodq; sacrilegium religiose appellarunt, quod error humanus religionẽ esse credit.

Iuliani Imperatoris impietas.

Cum uero Iulianus Imperator leges ferret contra religionem nostram sanctã, & rursus clausa reseraret templa, & sacra idolorum nephanda restauraret, mira apparuerunt nostrorũ hominum exempla pietatis, fortitudinis & constantiæ contemptusq; simulachrorum ac cultus peregrini. De Marco quodam Arethusio uigilanti episcopo, sic legis li. Tri. hist. 6. ca. 12. Arethusij Marcũ suę ciuitatis episcopũ, senem, uita & conuersatione reuerendũ mirabili morte peremerũt. Hunc em etiã prius habuerunt exosum, eò quod Constantij temporibus, ut Paganos ad Christianismũ adduceret, templum illorũ ornatissimũ preciosissimũq; destruxisset. Cumq; Iulianus imperaret, motus in eũ est, et præcepit ut aut æstimationẽ templi redderet, aut id rursus ædificaret. Quod dũ non faceret, putantes pauperẽ uel medietatẽ petebant pecuniarũ, nouissime uel pauculũ aliquid exigebant. Quibus ait, Nec unum obolum pro omnibus dabo. Et post hæc principio quidem fugit secundum Euangelicam legem. Postea uero cum multi propter eum periculis & necessitatibus subderẽtur de fuga reuersus est, & sponte semetipsum populo, ut q̃ uellet in se exerceret, cõtradidit. Qui dum laudare philosophũ debuissent, credẽtes potius contemptorẽ, irruentes in eũ & per singulas plateas trahẽtes eius cappillos & mẽbra dilacerabãt uiri simul et mulieres, ita ut tenuibus restibus eius aures abscinderent. Pueri quoq; apud magistros positi illudebant ei alapis cædentes &

graphijs sine aliqua miseratione pungentes. Posuerũt eum præterea in fœtentes cuniculos: cumq; respiraret adhuc, melle ipsum & liquamine perungentes immittentesq; in sportam suspenderunt in aëre. Et uespis ac apibus ipsum contingentibus carneq; eius uescentibus, dixisse fertur Arethusijs, quod ipse quidem sit excelsus, ipsos uero in humili constitutos, postea quoque passuros fore. Et hęc quidem de Marco Arethusio prodidit historicus ille: qui mox in sequenti capite sic scribit, Cum in Meroë ciuitate Phrygiæ templum aperuisset prouinciæ iudex Amatius, & longo tempore plenum ruderibus emundaret, per noctem ingredientes Macedonius Theodulus et Tacianus Phrygienses idola cõtriuerunt. Cumq; propter hoc multi compræhensi ad supplicium ducerentur, illi semetipsos exhibuerunt. Quos dum iudex quasi habita satisfactione delictorum nollet occidere, populis clamãtibus uario tormentorum genere castigauit. Nouissimè uero in craticula superpositos ardere præcepit. Cũq; cremarentur, Si assis, inquiũt, carnibus ô Amati delectaris, altera latera ignibus obijce, ne cum comedere cœperis carnes semicrudas inuenias. Huc pertinere uidetur memorabilis illa de Militibus Iuliani historia, quam Eutropius Romanorum lib. 11. sic pinxit, Cum multa excogitaret Iulianus, quibus Paganorum ritus extolleret, inuenit modum, qui plurimis Christianis militibus claræ uirtutis coronam dedit. Cũ ueniisset enim tempus quo imperialia milites dona solent percipere (hoc enim agitur plerunq; die Calendarum Ianuariarum, & natali principum, & urbium regiarum) exquisiuit quatenus eos simpliciter ex prisca cõsuetudine fallere potuisset: iussitq; ut unusquisq; ad manus imperatoris accedentium

tium, ab officijs admonitus primo incensum offerret (erat enim ante ipsum thus positum & ara) secundum antiquam Rom. consuetudinem. Tunc alij quidem licenter suam ostenderunt fortitudinem, & neq; incensum offerre, neq; donum accipere passi sunt. Alij uero occasione legis & antiquitatis, neq; mente perceperũt quod commisere peccatum. Verũ alij propter lucrum capti, aut timore perturbati, seu iussione repẽtina conclusi, licet intellexerint, tamen Paganitatem declinare nõ potuerunt. Plurimi siquidẽ per ignorantiã decepti, dũ inter cibos ut assolet & pocula inuocarent in alterutros Christum, respondens quidã dixit, Quid patimini inuocantes Christum, quẽ paulò ante denegastis, dum donum ab Imperatore percipientes, thus in ignẽ mitteretis? Cumq; hoc milites audissent, & quod gesserãt agnouissent, statim exilientes publicè currebant atq; impetu facto clamabant, deumq; suum & cunctos homines testabantur se Christianos esse, & in eo nomine permanere, atq; per ignorantiã se fecisse, & si dici posset, solam manum Paganam esse, cõscientiam uero nihil simul egisse. Cumq; uenissent ad principem proiecerunt aurum quod acceperant, & forti uoce petebãt, ut reciperet quod dedisset, & occideret eos. Sic enim pœnitentiam agere fatebantur, eò quod improuidè eorum dextera peccasset, et studere propter Christum totum corpus pœnæ tradere. Valentinianus quoque diuus, qui post Iulianum & Iouinianum sumpsit imperium, sub Iuliano Chiliarches & dux lanceariorũ constitutus, zelum quem pro pietate habuit non cælauit. Eo nanq; tempore cum fulminandus ille Iulianus Fortunæ templum ingrederetur saltans, & ex utraq; parte ianuarũ astarent ministri templi, qui asperſione (ut

ſpſi aiebant) purgarent ingredientes, Valentinianus præcedens principem aſperſionis guttam ſua uidit in chlamyde, & indignatus pugno percuſſit templi miniſtrum, dicens ſe maculatum potius quàm purgatum. Quod reſpiciens Imperator iuſſit eum in cuſtodiam tum redigi, & ad eremum deſtinari. Author Epiph. in Trip. hiſt. lib. 6. cap. 35.

Quanta conſtantia oporteat idololatriam fugere.

Quandoquidem itaq; tam claras euidentesq; contra idololatriam & omnem cultum peregrinum leges ſanctiſſimorum Imperatorum habemus, cumq; facta & exempla Imperatorũ, epiſcoporum, militũ, ciuium, & priuatorum hominum innumera reperiantur in hiſtorijs, & nos delecta quędã protulerimus in medium, ex quibus clareſcit, quantum ueræ pietati aduerſetur, omnis idololatria, ipſa fides & religio Chriſtiana flagitat nunc, ut idololatriam omnem & illegitimum dei cultum fugiamus, execremur, & abominationis loco habeamus. Nam templa & aras & idola & omnem ritum cultumq; deorum proſcripſere catholici reges. Et Marcus ille Arethuſius martyr Chriſti glorioſiſſimus noluit uel teruncium ad reparationem idololatriæ expendere. Mori, et mortis genere crudeliſſimo mori maluit. Neq; uero & Phrygij ciues homines conſtantiſſimi craticulam horruerũt candentem, ſed corpora ſua tradiderunt pro teſtamento dei, & abominabilia idola iuſto fidei zelo comminuerunt. Iuliani milites non erubuerunt imprudens factum accuſare apud omnes, & coram principe non reuocare modo factum temerarium, & damnare ritũ colendi antiquiſſimum, ſed ſeipſos, & capita quoque ſua ſponte pro nomine Chriſti ad periculum mortis offerre. Non enim pudebat eos facti modo ſed ſuſpitionis etiam de ſe apud multos

tos conceptæ. Ex animo quidem non adoleuerant incenſum, idq; omnibus publica confeſſione innoteſcere uolebant, ne quis ſuſpicaretur ingenue ab ipſis factum eſſe, quod nunc factum palàm accuſabant. Inſigne erat & illud quod D. Valentinianus in ſummis honoribus conſtitutus dignitati & fauori Imperatoris religionem prætulit, libereq; id Pollutionem appellauit, quod iſti errore cæcati ablutionem credebant. Atque hæc eſt illa ingenuitas & parrheſia Chriſtianorum. Precioſum haud dubie in conſpectu ipſorum erat iſtud domini uerbum, Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Quiſquis autẽ negauerit me corã hominibus, negabo eum & ego corã patre meo, qui eſt in cœlis. Et qui amauerit patrem & matrem ultra me, non eſt me dignus: & qui amauerit filium aut filiam ultra me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam ac ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenire uult animam ſuam, perdet eam: & qui perdiderit eam, in uita æterna inueniet eam. Matth. 10.

Hæc proculdubio ſpectarunt & ſuperioris ſæculi martyres conſtantiſſimi & fortiſſimi, qui propter nomen Chriſti & odio idolorũ in ſumma uitæ & oĩm fortunarũ diſcrimina ſeſe abiecerunt. Nã extrema quæq; perpeti malebant q̃ uel tantillum deferre idolis. Euſebius enim ſui temporis tyrannidem, perſecutionẽ, & agones martyrum, quos ipſe uiderat deſcribens, inter alia li. 8. ca. 3. Flagris alij diſcerpebantur, inquit, alij unguis fodiebantur, alij ignitis laminis urebanẽ. Ex quibus nõnulli quidẽ fatigati cedebant, alij uſq; ad finem patientiam obſeruabant. Ex ipſis autem perſequutoribus quidam tanquã miſeratione uſi, adhibebant non- *Mira ſanctorũ conſtantia.*

nullos nostrorum ad incesta sacrificia, & quasi sacrificassent conclamabant, cum nõ sacrificassent. De alijs uero cũ ne appropiassent quidẽ immundis hostijs, acclamabant ipsi quod iam immolassent, & abscedebãt: in eo tantum culpabiles, quod crimen sibi obiectum cũ silentio paterentur. Alij semiuiui sublati tanquam mortui proijciebãtur. Alij pedibus tracti inter eos qui sacrificassent deputabantur. Aliqui sanè exclamabant ingenti uoce, & testabantur se non sacrificasse, sed esse Christianos, tali se gaudentes confessione decorari. Nonnulli etiam maiori fidutia, neque immolasse se, neque unquam immolaturos esse testabantur. Quibus tamen ab assistentibus militibus ora cõtinuo atq; oculi cõtundebantur, ut tacerent, & uiolenter expellebantur tanquam acquieuissent. Tanti erat impijs studij, ut propositum suum uiderentur implesse. Sed non aduersum beatos martyres impunè hoc facere licebat.

Igitur uerborum domini nostri Iesu Christi exemplorumq; beatorum martyrũ memores, adhæreamus uni deo per Iesum Christũ dominum nostrũ, nihil conferamus ad reparationem & institutionẽ imaginum, ararum, & templorum diuis consecratorũ, nihil quæso negotij in uniuersum habeamus cum ullis idolis siue deo siue diuis consecratis, ne supplices illis fiamus, sed Christianam & Euangelicam ueritatẽ simpliciter & pleno ore confitentes, nihil dissimulemus, quin potius omnes Antichristi sordes contemnamus, & liberè ac planè abnegemus. Nam eadẽ hodie exercetur idolo latria, quæ olim exercebatur, nisi quod nomina apud nos mutata sunt. Et ut olim diuina uoce omnis generis idola ad cultum damnata sunt, ut sacra illa quę præter & contra præscriptum uerbi dei celebrabantur, sacrilegij

crilegij notata sunt: ita hodie quoque illa sacra quæ ab apostolis nobis non sunt tradita ex spiritu Christi, nephanda sunt & incesta, ita & idola nostra omnibus pijs non minus damnata à deo uideri debent. Appellitat il la contumelioſissimis uocabulis os domini, Sordes abominationis, Vanitates & mendacia, Res nihili, Deceptionem, Abominationem, Scelus & flagitium, Stercus, Spurcitiam, Fœditatem, & similibus. Cur ergo ullo honore illa dignaremur? quare magnifaceremus? Sapiens clamat, Initiũ fornicationis est exquisitio idolorum & adinuentio illorũ CORRVPTIO VITAE est. Non enim erant ab initio, neq; erunt in perpetuũ. Superuacuitas enim hominum hęc adinuenit in orbe terrarum, & ideo breuis illorum finis est inuentus. *Laus idolorum.*

Neq; enim ullum sæculũ fuisse reperias in quo dominus idololatriam non protraxerit & stultitiæ ac impietatis redarguerit. Quod si huius breuem expositionem audire cupis, Nónne per patriarcham clarissimũ Abraham idololatriæ stultitiã redarguit in terra Chaldæorum, Syrorum forte & Aegyptiorũ? Et Mosen fortissimum iconoclastẽ fuisse quis nesciat? Huius enim sæculo & legibus latis omnia idola damnata, & armis Izraelitici populi per omnem Palæstinam excisa sunt. Samuel, Dauid, Helias, Oseas, Isaias, Amos & reliqui prophetæ inciderũt in tempora longe antiquissimi & idololatria corruptissimi regni Assyriorũ: at nemo ignorat quantopere idola suggillarint, pstrinxerint atq; damnarint. In captiuitate Babylonica apud pręstantissimum principem Nabuchodonosorẽ & Darium priscum idololatriã erroris stultitiæ & impietatis mirifice conuicit Daniel. Neq; uero uel Cyrus uel Darius Hystaspis, Persicorũ regum glorioſissimi & potentissimi *Omnibus sæculis & temporibus damnatam esse idololatriam.*

uanitatem idololatriæ ignorauerũt. Sub Macedonum & Romanorum monarchia emerſere uiri non pauci qui idololatriã aperte damnarũt. Notiſſimæ ſunt quorundam philoſophorũ & præſertim Varronis ſententiæ. Certe Chriſti & apoſtolorum ſæculo, quemadmodum prophetæ prædixerant, ita perpetuum & internicinum bellum idolis indictum eſt, quæ tandẽ à Chriſtianis principibus & epiſcopis ac populis prorſus ſublata, contrita & combuſta ſunt.

Igitur cum certò conſtet ueri dei religionem reparatam omnibus ſæculis contra idololatriam pugnaſſe & uiciſſe tandem, ne dubitemus illã diſplicere deo, ne dubitemus de uictoria, neque ceſſemus à pugna. Non deerit nobis uirtute ſua exercituũ dominus: qui ut ſolus ſucceſſum dat, ita ſolus precibus continuis à nobis inuocandus erit.

PERORATIO.

SATIS opinor conſtare unũ tantũ eſſe deum uiuum illum, uerum & æternum, omniũ rerum conditorem & dominum, qui unigenitum filium ſuum pro mũdo dedit, qui ſpiritu ſancto corda noſtra in argumentum certæ immortalitatis & nunquã rumpendi fœderis obſignauit. Quo circa nequeunt redempti à domino & notam filiorum dei habentes in cordibus ſuis alijs dijs hærere, nequeũt deũ peregrino ritu colere. Soli deo per Chriſtũ in fide adhærent, ſolum inuocant, ſolum eo modo & ea ratione colunt, quã in ſacris literis ſibi præſcriptã legitime didicerũt, quæ quidẽ nõ in externis ſed animi pietate conſiſtit. Ita uero uni adhæſerunt & ſolum rite coluerunt utriuſq; teſtamenti ſancti, Abrahã, Moſes, Ioſeph, Samuel,

muel, Dauid, Helías, Ezechías, Iosías, Ioānes, Paulus & innumeri alij uiri pietate uitæ, rerū scientia, animi diuinitate ac uirtutum meritis nunquā satis laudati.

Cæterū hi per eam quæ est in uerū deum uiuentem in sæcula fidem, subuerterunt templa, eruerunt aras, comminuerunt & concremarunt idola & delubra, sacella & anathemata, certe ut sublata impia offensione omnium animos ad ipsum deum extollerent, quē sciebant spiritu & pietate colere oportere, & idololatriam omnemq; peregrinum cultum abominari. Quod ergo illis licuit, nec licuit modo, uerumetiam laudi datur, cur idem nobis si pari fide fiat daretur uitio, aut liceret minus? Præsertim cum non obscurum sit quibus authoribus, & quas ob causas, cultum illum peregrinum receperimus, certoq; sciamus eundem esse cultum, superstitionem eandem Deorum & idolorum apud Gentes, & diuorum ac imaginum apud Christianos. Præterea si impune ista fecerunt uiri pijssimi & sapientissimi, cur metueremus illorū imitari exempla? Sed quid impune dico, cum ita legamus in sacra historia? Simulachra demoliti sunt, lucos & sculptilia succiderunt, aras & phana destruxerunt, dixeruntq;, Nolite timere deos alienos, & ne adoretis eos neq; colatis: sed dominū deum uestrū ipsum timete, ipsum adorate & colite. Propterea regnarūt hi in pace, & confirmauit dñs regnum eorū, & magnificati sunt diuitijs, potētia, gloria, uictorijs, & pauor eorū factus est super omnia regna terræ, adeò ut nemo contra ipsos uel mutire auderet. Ediuerso legimus de Saule, Hieroboam, Achab, Ioas & reliquis eius farinæ principibus, Mortui sunt propter iniquitates suas, eò quod mandatum domini non custodierunt, nec in domino deo speraue

runt, propterea occidit eos dominus & transtulit regnum eorum ad deos alienos. Et iterum, Hieroboam non potuit Abiæ resistere, sed iugo penè subditus est, amissis fortibus uiris quingentis millibus, tandem uero ab ipso domino occisus est, præsertim quod reliquisset deum Izraelis & fabricasset deos aureos. Similiter & Achab in fugã cum suis uersus, sagitta transfixus, impiam uitam abrupit. Similia plura proferre possem in medium exempla, si Constantinũ Imper. uel Theodosium cum Iuliano componerem, uel cum Valente Valentinianum, nisi sat aliâs exemplorum crederem propositum.

Constanti uero illa ueritate dei confirmatus, audacter iam ingerere audeo omnibus principibus, senatoribus, regnis ac populis, Si imperium cupitis securũ, si domos optatis tutas, urbes munitas, si senatum uultis fidelem, si populum probum, si exercitum fortem & uictorem, si aëris sanitatem, longæuitatem uitæ, aruorum fertilitatem, agri denicq; & urbis felicitatẽ & concordiam concupiscitis, agite huic deo uero, uiuo & æterno hærete, illum solum spiritu adorate, illum non ficta fide solum inuocate & diligite, illum solum pietate uitæ, ceu ipse præscripsit, colite, & sentietis haud dubie deum benignum & fortem. Quod si istis contemptis, uestrorum capitũ traditiones sequi, & unà diuis creaturis ue perrexeritis adhærere, neq; huic uni corda uestra tota consecraueritis expectorato cum idolis peregrino cultu uniuerso, si quod cœpistis cultores ueri dei legitimos pro hæreticis & sacrilegis persequi & opprimere nõ desieritis, iam nihil aliud persuadete uobis, quàm propediem illum deum affore ultorem, qui sanguinem seruorũ suorum & uerbi sui contemptum certò

certò uindicat. Nam idem ille est qui ab initio Pharaonem, Saulem, Hieroboam, Achab, Ioachin, Iulianũ, Valentem, & omnes eos horribili genere mortis extinxit, qui ea regna & eos populos maximis calamitatibus attriuit, quicunq; lege dei neglecta non soli deo uera fide adhæserunt, sed uel deos alienos coluerunt, uel deo uero nescio quos deos auxiliares adiunxerũt.

Te autem ô dominator domine deus misericors et clemens, patiens & multæ miserationis, qui custodis misericordiam in millia, qui solus aufers peccatum & scelera, te inquam suppliciter per nomen unigeniti filij tui rogamus, ut nostri misertus, nobiscũ in iudiciũ non introeas, sed iniquitatem nostram & idololatriæ flagitium, contra tuam maiestatem cõmissum, expies, illumines q; uultum tuum super nos & miserearis nostri, sic ut miseri cognoscamus in terra uiam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum, te uidelicet solum esse deum uerum, & quem misisti Iesum Christum, cum quo tibi laus & gratiarum actio unà cum sancto spiritu in sæcula. Amen.

FINIS.

IN LIBRVM DE ORIGINE ERRORIS CIRCA COENAM DOMINI SACRAM ET Missam Papisticam, ad Petrum Simlerum Præfatio.

QVEMADMODVM libellum de Origine erroris circa Inuocationem et cultum deorum & simulachrorũ ante annos x. æditum nũc demum certo consilio recognoui & locupletaui: ita et eum libellum, qui olim de Origine erroris in negotio Eucharistiæ & Missæ uulgatus est, rursus sub incudẽ reuocare locupletioremq; reddere uolui. Diuina enim bonitate fretus, confido me nunc totum illud negotiũ & planius & copiosius diligentiusq; expositurũ. Principio ergo de mysterio redemptionis & coniunctionis fidelium cum deo per Iesum Christum: de Institutione item, ui & efficatia usuq; Cœnæ sacræ differo. Hinc affero quædam de eius nomenclatura: uariisq; appellationibus. Deinde ostendo quanta puritate simplicitateq; absq; ceremoniarũ pompa apostoli & qui proxime apostolorum tempora insequuti sunt Cœnam celebrauerint. Quibus mox adiicio unde noster ille Missandi ritus ueniat: præterea quomodo & qbus rebus increuerit Missarum impia & quæstuosa illa nundinatio. Postremo perstringo horribilem illam concertationem eruditorũ posterioris sæculi hominũ super transubstantiationis perplexissimo negotio, quod quę protinus absurda & impia sequuta sint, subiicio. Dedicaram

ram uero prius illud opusculũ, ut nosti, clarissimo uiro D. Vuolphgango Ionero mecœnati dignissimo, Andreæ Curiano & tibi. Intercessere anni undecim, interim & magno omnium bonorum mœrore & maximo studiorum detrimento, fato sublati sunt pijssimi & fortissimi fratres illi, tu solus supereras uetus amicus et ipse de me et literis literatisq; bene meritus, quippe qui à clade Capellensi, rebus admodũ adflictis temporibusq; difficillimis Cappellensis scholæ quasi reparator extitisti. Tibi itaq; recognitum hunc librum meum de Origine erroris circa Cœnam domini sacram & Missam Papisticam rursus dedicare uolui. Perges enim haud dubie ueritatem agnitam & cõfessam ipse tueri & studiosis fauere adesseq;, qui mortuis nobis in harenam intrepidi descendant, & sub imperatore Christo pro ueritate orthodoxa contra errores & superstitiones Papisticas prudẽter ac fortiter pugnent, uirtuteq; numinis superni uincant ad dei gloriam & ecclesiæ suæ incolumitatem.

De mysterio redemptionis & coniunctionis fidelium cum Deo per Iesum Christum. Cap. I.

CLamat omnis scriptura canonica, cum æterno & summo bono, ipso inquam Deo uero æternum coniungi, summum esse bonum felicitatemq; & uitam uere beatam. Eadem diserte testat Iesum Christũ dei filiũ uenisse in carnem ut fideles ab omni iniquitate repurgatos recõciliatosq; deo coniungeret. Sunt itaq; partes inter quas fit cõiunctio. Est qui cõiungit mediator. Est uinculũ siue glutinum quo *Summum bonum.*

illæ ſibi cohærẽt & uniuntur. Partes ſunt Deus gloriosus & Miſerum genus mortaliũ, ſibi inuicem aduerſiſſimæ. Deus enim bonus eſt, purus, iuſtus, ſanctus, lux & ueritas, uita & benedictio. Homo autem malus eſt, impurus, iniuſtus, corruptus, tenebræ, mendacium, mors & maledictio. Miretur hic aliquis an inter res ſibi uſqueadeò aduerſas ulla poſſit conſtare concordia. Equidem fit unio eaq; arctiſſima, ſed nõ merito dignitate ac ſapientia hominis, ſed beneficio & mera gratia mediatoris. Porrò Mediator Ieſus Chriſtus eſt uerus deus & uerus homo, patri ſecundũ diuinam, nobis ſecundum humanam naturã conſubſtantialis, qui ideo utriuſq; naturæ particeps factus eſt, ut uerũ ſequeſtrẽ inter deum & hominẽ agere poſſet. Apoſtolus enim, Vnus, inquit, deus, unus etiam mediator dei & hominem, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum pretium redemptionis pro omnibus. Per hũc etenim mediatorem in primis & ante omnia tolli oportebat quod diſiungebat deum & hominem. Id uero peccatũ erat. Per peccatũ enim uetus & ſanctiſſima illa dei imago, ad quam eramus cõditi in nobis oblitterata eſt: peccatum enim mors ſequuta eſt. Atqui peccatũ & quæ ex peccato ſequitur mors non potuit expurgari tolliq; niſi per mediatoris ſanguinem ac uictimam. Teſtatur hoc apoſtolus Paulus, dicens: Chriſtus per proprium ſanguinẽ ingreſſus eſt ſemel in ſancta, æterna redẽptione reperta. Nam ſi ſanguis taurorũ & hircorũ & cinis iuuencæ aſpergẽs inquinatos ſanctificat ad carnis purificationẽ, quãto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritũ æternũ ſeipſum obtulit immaculatum deo, purgabit conſcientiam ueſtram à mortuarijs operibus ad ſeruiendum Deo uiuenti? Et ob id Noui Teſtamenti

Mediator Chriſtus.

mediator

mediator est, ut morte intercedente. Et quæ sequũtur. Nam notus est locus ad Hebræ. 9. cap. Proinde ut culpam tolleret mediator Christus è medio, & moriendo uitam nobis restitueret, oblatus est per semetipsum, & sanctificauit credentes unica hostia in perpetuum: ut nunc sancti sint iusti, uita, ueritas, lux, & benedictio, quicunq; sunt in mediatore Christo. Significauit hoc Ioannes cum dixit, Testimonium dei est quod uitam æternam dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium habet uitam, qui nõ habet filium dei uitam non habet. *In Christo uita est.*

Videamus ergo quid & quale illud sit per quod Christo inserimur, ita enim constabit quodnam illud glutinum & uinculũ sit, quo sublatis per mediatorem discriminibus cum ipso deo nunc coniungimur. Et ne multis uerborum ambagibus circumducaris Lector, scito fidem charitate efficacem illud ipsum esse, quo & Christo inserimur & deo adglutinamur. Cæterum Fides illa non est opus hominis aut de natura & ingenio carnis, sed planè donum cœleste, quo spiritum suum nobis communicat dominus, per quem regeniti prorsus in alios transmutamur homines, ut nunc in nobis ipsis aliam sentiamus legem, aliam naturam, diuinam uidelicet & cœlestẽ, quæ legi ac reliquijs carnis ad extremum usque spiritum sese contumaciter & pro ingenio suo mouitantibus reclamat, cum mundo & diabolo concertat, atq; totum hominem ad ingeniũ dei componit. Per hanc fidem & sanctum illum dei spiritũ obsignati fideles, norunt se deo uere recõciliatos & oĩm bonorum dei participes & cohæredes Christi esse factos, imò se iam nunc in deo uiuere & manere, & deum in ipsis. Id quod ubiq; testantur & prædicant apo- *Per fidem inserimur Christo.*

ſtolorũ literæ. Paulus enim, Viuo ego, inquit, non iam ego, ſed uiuit in me Chriſtus. Vitam autem quã nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei, qui dilexit me, et tradidit ſemetipſum pro me. Et apud Ioannem ipſe dominus Ieſus dicit, Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus & manſionem apud eum faciemus. Rurſus Ioannes in ſua Canonica apertiſſimè ait, Ex hoc cognoſcimus quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. Et nos uidimus & teſtamur quod pater miſit filium ſeruatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit quod Ieſus eſt filius dei, deus in eo manet & ipſe in deo. Quò & illud Pauli ſpectare uidetur, quod in tertio capite ad Epheſeos ſic legitur, Oro ad patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ut det uobis iuxta diuitias gloriæ ſuæ, ut fortitudine corroboremini per ſpiritum ſuum in internũ hominem, ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus ueſtris, fixis in charitate radicibus, &c. Quibus non admodum diſſimile eſt & hoc Petri apoſtoli teſtimonium, quod in 2. ca. 1. in hæc uerba extat, Deus uocauit nos per gloriam & uirtutem, per quæ nobis precioſa ac maxima promiſſa donata ſunt, ut per hac efficeremini diuinæ conſortes naturę, ſi refugeritis à corruptione, quę eſt in mundo per concupiſcentiam. Hæc tamen nemo ſic intelligat quaſi in hoc mũdo æterna nobis poſſit obtingere felicitas. Nam ſummo bono nõ niſi in futuro ſęculo ad plenum frui licebit: interim tamen ita in præſenti cum deo coniungimur, ut prorſus diuinæ efficiamur naturæ, & felicitate fruamur, uitæ uidelicet conſcientiarumq; iuſta tranquillitate. Dominus enim in Euangelio dixit, In me pacem habebitis, in mundo autẽ afflictionem, ſed

bono

bono animo ſitis, ego uici mundum. Præterea connectit nos hoc fidei uinculum nõ ipſi tantum Chriſto, ſed omnibus mẽbris eius. Nam fides per charitatẽ efficax eſt. Charitas autem non modo non nocet hominibus, ſed omnibus quantũ licet prodeſt. Hæc agnoſcit omnes fideles mẽbra eſſe capitis Chriſti adeoq; ſui corporis & filios dei: hos itaq; odiſſe non poteſt. Ioannes enim in ſua Canonica, Nos diligimus, inquit, eũ, quoniam ipſe prior dilexit nos. Si quis dixerit, Diligo deũ, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem uidit, deum quem non uidit, quomodo poteſt diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit deũ, diligat & fratrẽ ſuũ. Et certè deus pro ingenij ſui bonitate ſemper benefacit oĩbus, ergo qui diuinę naturę cõſortes facti ſunt, benefici ſunt, et beneficentia maxime declarãt ſe eſſe deo cõiunctos. *Charitas uinculum perfectionis.*

Habes in his totum ſacri Euangelij myſteriũ compendio perſtrictum. Neque enim aliud tradunt in omnibus ſcriptis ſuis apoſtoli domini. Inter quos D. Ioannes in Canonica ſua pauciſſimis omnia Euangelij myſteria explicãs clamat, Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, quod manus noſtrę contrectauerunt de ſermone uitæ, & uita manifeſtata eſt, & uidimus, etiam teſtamur et annunciamus uobis uitã æternã, quę erat apud patrẽ, & manifeſtata eſt nobis. Quod uidimus & audiuimus annũciamus uobis, ut et uos ſocietatẽ ſeu communionem habeatis nobiſcũ, & ſocietas ſiue cõmunio noſtra ſit cũ patre & filio eius Ieſu Chriſto: et hęc ſcribimus uobis ut gaudium ueſtrum ſit plenum. Quid obſecro annunciauit populis Ioannes? Deum mundo reſtituiſſe uitam per filium, in quo nos ſibi coniungere *Euangeliũ*

unireq; uoluerit, ut cum ipso communionem habere-
mus oim bonorum. Certè cũ in his tota salutis nostræ
ratio compræhensa proponatur, copiosè quidem ipsa
exponuntur ac uarie. Nunc enim apertè quod uolunt
enunciant, mox uero sub inuolucro & sermone figu-
rato eandem salutem prædicant. Id quod in gloriã no-
minis Christi paulò prolixius prosequemur. Prioris
generis illud est quod nunc ex Ioanne citauimus. Cui
non absimile est quod in hæc uerba tradit apud eundẽ
Ioannem dominus. Non pro eis (apostolis inquam) ro
go tantum, sed & pro ijs qui crediturí sunt per sermo-
nem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater
in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unũ sint, ut credat
mundus quod tu me miseris: & ego gloriam quam de
disti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum su-
mus. Ego in eis, & tu in me, ut sint cõsummatí in unũ,
& ut cognoscat mundus quod tu me misisti, & dilexi-
sti eos, sicut & me dilexisti. Pater quos dedisti mihi uo-
lo ut ubi sum ego & illi sint mecum, ut uideãt gloriam
meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante condi
tum mundum. Nónne apertissime uidetur tibi myste-
rium redemptionis nostræ & coniunctionis cum deo,
per Christum hisce exponi? Deus dilexit nos & tradi-
dit filium pro nobis in mortem, hic coniungit sibi fide-
les, eodemq; complexu connectit eosdem & patri, effi
citq; suo spiritu & merito ut in terris uiuentes ambule
mus in charitate, & post hanc uitam ad ipsum transfe-
ramur deum, ipsiq; æternum cõiungamur. Huius ge-
neris infinita exempla proferre possem, uerum subij-
ciam nunc quædam posterioris speciei. Figurata enim
ut nonnihil obscuritatis ita plurimũ gratiæ habent. Io-
annes ergo, Quotquot receperunt, inquit, dedit eis ut

liceret

liceret filios dei fieri, his qui credidissent in nomen ipsi us, qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Res quidē ipsa, de qua hic agitur, uera est, sed docetur figurato dicendi genere. Nam ducitur similitudo à rebus humanis: in quibus qui filij sunt, ij & de semine et substantia patris sunt, quem & ingenio referunt, omniumq; paternorū bonorū hæredes sunt. Atqui semen dei quod in fidelibus est, uis spiritus ac uerbū dei est, ingenium quo parentem referūt, bonitas, puritas, et innocentia est. Petrus enim, Diligite uos inuicem, ait, ex puro corde, renati non ex semine mortali, sed ex immortali per sermonem uiuentis dei & manentis in æternum. Et Ioannes apostolus dicit, Omnis qui natus est ex deo peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet & non potest peccare, quod ex deo natus est. Ad hunc uero modum consortes sumus diuinæ naturę, & ita peruenimus ad perfruitionē summi boni. Qui ēm filij sunt, ij & hæredes sunt. Cæterum ad hanc dignitatem peruenitur fide. Hac enim recipitur Christus, per fidem inserimur Christo. Ioannes enim, Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Et mox per expositionē addit, Qui credidissent in nomē eius: ergo credere in Christū, est recipere Christum & coniungi cum eo. Vnde uero illa fides, quæ nos tanto rum bonorum reddit participes, ut dicamur ac simus filij dei hæredesq;? Non ex uiribus humanis aut liberi arbitrij, sed ex diuina gratia. Alibi enim ad Petrum dicit dominus, Caro et sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.

Filij dei.

Fides donum dei.

Nuptiæ spirituales.

Rursus explicatur hoc mysterium salutis per schema coniugij uel nuptiarum. Deus enim sponsus con-

iungit sibi per fidem pauperculam illam & è stercoribus subleuatam, purgatam, regijsq; ornatam insignibus genus humanum. Fit inter hos omnium bonorum ac rerum communicatio. Confert enim omnes opes suas sponsus in sponsam, huiusq; imbecillitatem & omnem fœditatem in se transfert: non quod in deo ulla hæreat impuritas, sed quod ipse carnem nostram assumpsit, atque in corpore suo ad crucem suffixo peccata nostra portauit, imò & expiauit. Id uero schematis nullibi non occurrit in sacris literis, præcipuè Oseæ secundo, Ezechielis 16. Ephes. 5. ubi inter alia apostolus clamat, Qui diligit uxorem suam, seipsum diligit. Nullus enim unquam suã ipsius carnem odio habuit, imò enutrit & fouet eam, sicut & dominus ecclesiam. Quoniam membra sumus corporis eiusdem ex carne eius & ex ossibus eius. Alluſit autem ad illud domini uerbum, Deseret homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam, & aptauit suo instituto, ut significaret arctissimam esse cõiunctionem Christi & Ecclesiæ. Sequitur enim, Mysterium hoc magnum est, uerum ego loquor de Christo & Ecclesia. Non enim spiritualis tantum inter Christũ & nos unio intercessit, sed corporalis quoq;. Nam ille carnem non angelicam aut phantasticam, sed humanam assumpsit, prorsus noster factus, testante Paulo, Qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno sunt omnes, quam ob causam non erubescit illos fratres appellare, & alibi dicere, Ecce ego & pueri quos dedit mihi deus. Posteaquam ergo pueri commertium habent cũ carne & sanguine & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum, & liberos redderet

deret eos, quicunque metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Nõ enim angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit: unde debuit per omnia fratribus similis reddi, &c. Huius generis est & schema capitis & membrorum. Caput Christus est, membra singuli fideles. Nemo autẽ ignorat quæ inter hæc sit unio & cohærentia. Legatur apostolus ad Ephes. 4. & 5. & Coloss. 1.

Ioan. 15. dicit dominus, Ego sum uitis uera, et pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit, & omnem qui fert fructũ purgat, ut fructum copiosiorem adferat. Hoc inuolucrum est. Iam sequitur explicatio. Iam uos mundi estis propter sermonem quẽ loquutus sum uobis, Manete in me & ego in uobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in uite, sic nec uos nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me nõ manserit eiectus est foras sicut palmes & exaruit, & colligunt eos & in ignem conijciunt & ardent. Verbis hic amplioribus opus non est. Inserimur enim Christo per fidem ac uerbum dei uerum. Eiusdem naturæ sunt uitis & palmes. Vnum cum Christo sunt fideles. Christus de succo uitali, de spiritu inq̃ suo nobis participat, ut fructus bonorũ operũ uarios proferamus: quos qui nõ habẽt, spiritu dei carẽt ac fide, ergo nõ sunt in Christo, pereũt itaque & in tartarum præcipitati æternùm ardebunt. *Vitis & palmites.*

Rursus in euangelio Ioannis legimus dixisse dominum, Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habetis uitam in uobis. Qui edit meam carnem & bibit meum *Caro & sanguis domini.*

sanguinem, habet uitam æternã, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Qui edit meam carnem & bibit meũ sanguinem, in me manet & ego illo. Sicut me misit uiuẽs pater, ita & ego uiuo propter patrẽ, & qui ederit me & ipse uiuet propter me. Hæc domini uerba & ipsa non citra figuram nobis sunt proposita. Nã collationem habent ad res humanas. Duæ enim sunt in homine substantiæ, anima & corpus. Habẽt utraq; illa suum peculiarem cibum, est & edendi ratio diuersa. Quemadmodũ autem sine cibo flaccescit corpus tandem & dissoluitur inedia: ita & anima carẽs cœlesti alimonia neq; uiuet neq; ad opera uirtutum erit idonea. Cibo reficiuntur uires, roboratur corpus ad labores. Traiectus enim in stomachum cõuertitur in nostram substantiam, augens sanguinem carnemq; nutriẽs & augmentans. Quod si splendide quidem delicateq; paratum cibum contempleris modo, non edas, nihil proderit: edẽdus est omnino ut prosit. Rursus si edas inq; stomachum traijcias cibum, langueat autẽ stomachus, planè non proderit cibus: ut ergo cibus salutaris sit requiritur etiam calens ac sanus stomachus. Videamus nunc quis ille animæ cibus sit, qui uiuificat, & ad opera diuina animat, inq; opere dei laborantes cõseruat. Dominus ergo, Caro mea uerè est cibus, inquit, & sanguis meus uerè est potus. Hoc dixit qui mentiri nescit deus. Verus ergo & uiuificus animæ cibus est caro Christi, uerus & salutaris potus est sanguis Christi, atque hic adeo uerus & unicus animæ cibus & potus est, ut post hunc anima fidelis alium non cupiat, cum hoc alium non coniungat, neque alium pro hoc recipiat. Proponitur hic cibus in mensa, cum prædicatur

Cibus animæ.

uerbum

uerbum euangelij de Christo incarnato & crucifixo. Nihil uero prodest si audias modo, si ratione humana contempleris tantũ: oportet ut illum edas & in stomachum traijcias sanũ: sic enim cibus ille uertetur in tuã substantiam & roborabit te ad omnia uitæ officia sancta. Quæris, Quonam modo edere possis carnẽ Christi ueram de uirgine natam, & sanguinem qui de latere fluxit? Certo enim constat de his in præsentiarum loqui dominum. Respondeo, Cibum quidem non esse spiritualem. Veram enim carnẽ uerumq; sanguinem habet dominus, unde edendi percipiendiq; ratio spiritualis est. Neq; enim cruda domini caro corporaliter editur, sed spiritualiter, id est per fidẽ. Sicut enim ore percipitur cibus & transmittitur in uentriculũ ad corporis alimoniam, sic auribus quidem percipitur prædicatio de Christo incarnato & crucifixo, fide autem hauritur, concoquitur, & fit nobis salutaris, operante in cordibus nostris uirtute diuina & spiritu dei nostri, ut iam Christus uiuat in nobis, & nos in Christo, non carnaliter sed uirtute diuina. Aperte enim dicit, Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Cæterum alibi dicit idem Ioannes, Ex hoc cognoscimus quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et iterum, Quisquis cõfessus fuerit quod Iesus est filius dei, deus in eo manet & ipse in deo. Claret igit̃ uel ex hoc loco quod mãducatio illa corporis domini spiritualis sit, & quod edere aliud non sit quàm credere. Quid quod in eodẽ capite ipse dominus qui dicit, Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem habet uitam æternam, paulò superius dixit, Amen amen dico uobis qui confidit mihi habet uitam æternam. Et iterum,

Edere carnem & bibere sanguinem Christi.

Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam. Hic dixisset, Qui edit me non esuriet, & qui bibit me non sitiet unquã, nisi uoluisset orationis explicare inuolucrum: itaque pro edere posuit uenire, & pro bibere credere, ut hinc totam orationẽ æstimaremus. Venitur autem ad Christum, non pedibus, sed animo. Imò cum quidam figura orationis offensi, nescio quid carnalis intellectus concepissent, dominus disertis uerbis, Spiritus est, inquit, qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor uobis, spiritus et uita sunt: sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Igitur manducant Christum, qui in ipsum credunt. Qui autem in ipsum credunt, in Christo manent & Christus in eis, per spiritum quem dedit eis. His & similibus parabolis adumbrant nobis apostoli domini mysteriũ redemptionis & cõiunctionis fidelium cum deo per Iesum Christum, quæ quidem uis diuina est, operatio euidens & operans, non imaginatiua quædam theoria, uana speculatio, sed energia uiua. Volui autem hæc copiose ideo prosequi, eademq; subinde iterando occinere & inculcare, quod in his consistit uera salus hominis, & quod his recte intellectis rectius iudicabis de apostolorum literis, in quibus haud temere tanta fit fidei iteratio. Sed & illa quæ sequentur de Sacramentis & sacræ cœnæ institutione, ex illis ducentur.

Diuinam sapientiam maxima mysteria commendare fidelibus per sacramenta. Cap. II.

Fides iustificat.

COnstat autem ex illis quæ hactenus disputauimus, solo Christi Iesu merito, sola Christi iustitia plene purgari fideles, nec ulla ratione alia

ne alia uitam nobis restitui in primo parente nostro amissam, nisi Christo qui solus uita est inseramur. Inserimur autem per fidem: unde alibi legimus fide purificari corda nostra; & iterum fide non lege, non ullis meritis aut operibus sed fide iustificari credentes. Id quod alij non diuersa ratione, sed uerbis alijs docuerunt, fide uidelicet in promissionem dei & nõ per opera legis uel signa sanctificari credentes.

Et quanquam hæc ad hunc modum certo se habeant, nec ullus sanctorum reperiatur uel externis purgatus esse, uel interiorem fidei sanctificationem siue iustificationem externa purificatione signorum absoluisse perfecisseue: ideo tamen non sequitur signa illa uisibilia à domino instituta, ut superuacanea & post internam fidem receptam fidelibus ceu inutilia uel aspernanda esse uel negligenda. Peccant enim qui propter fidem iustificantem, qua se donatos & absolutos esse arbitrantur, usum signorum inutilem & non necessarium esse credunt. Peccant rursus & illi qui nescio quam efficaciam signis non iusta fide perceptis tribuunt. Rectissime uero & secundum scripturam Diuus Augustinus libro Quæstio. in Leuit. 3. Quæstio. 85. in hæc uerba super hoc negotio pronuncians, scribit, Nihil profuit Simoni Mago uisibilis baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit. Sed quibus ista inuisibilis quoniam affuit, profuit, etiã uisibilia sacramenta perceperant similiter baptizati. Et post aliquot uerba, Proinde colligitur inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse atque profuisse sine uisibilibus sacramentis: uisibilẽ uero sanctificationem quæ fieret per uisibilia sacramenta sine ista inuisibili

Sacramẽta non sunt superuacanea.

posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentum uisibile contemnendū est. Nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quod Cornelius & qui cum eo erant, cum iam inuisibiliter infuso sancto spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen, nec superflua iudicata est uisibilis sanctificatio quam inuisibilis iam præcesserat. Hactenus Augustinus.

Causse sacramentorum.

Iam quod diuina sapientia res salutis nostræ maximas fidelibus commendauit per signa uisibilia, haud frustra & inutiliter factum est: neq; enim hoc iustis & utilibus rationibus caret. Poscebat enim hoc & maiestas dei & hominū imbecillitas. Nam hic mos in mundo quasi pro lege receptus est, ut sapientissimi quique maxima quæq; mysteria non uerbis tantum commendent auditoribus, sed adiunctis symbolis quasi oculis obijciant, quo res præclaræ & salubres penitius hominum pectoribus infigantur. Hac ergo uia placuit ingredi diuinæ sapientiæ, quæ nusquam non nostris se moribus attemperat, quo rectius & melius intelligeretur. Equidem inuisibilia dei dona & salutis nostræ mysteria adeoq; omnes in uniuersum res cœlestes rectius intelliguntur à nobis si per uisibilia & terrena quædam suffigurētur & quasi digito ceu in picta quadam tabula demonstrentur. Hanc ob rem Chrysostomus quoq; Homilia in Matthæum 83. dixisse legitur, Si tu incorporeus esses, nuda tibi hæc omnia tradidisset signa: quia autem corpori coniuncta est anima tua, in rebus sensibilibus ea quæ mente percipiuntur tradidit. Præterea si hoc ipsum quod occinitur auribus quodam modo etiam ingeratur oculis, ut duo illi sensus nobilissimi uisus & auditus toti occupentur, ne quid

quid alienum in mentem admittant aut perferant ad-
dictam nunc rei cœlesti, certe ea animi operatio & mi
nus impeditur distrahiturue, & liberius & magis in
rem intendit quam nunc perpendit, qua denique in-
tus fruitur atque delectatur. Igitur hoc consilio insti-
tuta sunt signa, ut uidelicet omnes sensus captiuos ab-
ducant & ministerio mancipent fidei. Vnde & à non-
nullis appellata sunt exercitia fidei. Vbi interim duo
sese offerunt consideranda. Prius, diuinæ prouiden- *Analogia.*
tiæ in symbolorum delectu placuisse, ut non sint insti-
tuta nisi quæ proprietate aliqua significandi rem ip-
sam sacramentorum ceu uiuæ quædam imagines sug
gererent. Eam aptitudinem Græci ἀναλογίαν: nos pro-
portionem, seu ut M. Cicero conuenientiam, uoca-
mus, ita agnatam signis ut sine ea quantumuis leuiter
transmissa ratio sacramenti nec intelligi recte nec per-
cipi possit: excussa autem & ad plenum obseruata ἀνα-
γωγήν, hoc est intelligentiam reconditiorem sine labo-
re offerat contemplanti. Posterius, sine fide sacramen- *Fides.*
ta nihil prodesse sumentibus, neq; de ijs quenquam re
cte iudicare nisi fidelem. Prophani enim homines ipsa
itrident, cum ab externis tantum æstiment. Qui uero
fidē habent à uisibilibus ad inuisibilia oculos animi at-
tollunt & mysteria dei tremenda intelligunt ueneran
tur & adorant. Et D. Augustinus manifeste dixit in fi-
de ac inuisibili sacramentorum gratia totum consiste-
re uisibilium sacramentorum fructum, insuper & hæc
addens, Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gra-
tiæ, uisibilia sacramenta quid prosunt? Rursus quia
ueteres scriptis suis uel uerbis signa adhibuerūt, ut ijs
sermonis sui ueritatem suiq; animi firmum decretum
testarentur, ceu hodie sigillorum usus à ueteribus de-

ſcendens approbat: ideo dominus quoque ſigna uoluntatis ſuæ erga nos ſuarumq; promiſſionum teſtimonia ac memoracula adiecit, quibus interim nos ſibi & in ſocietatem unius populi ac corporis agregare uoluit. Veriſſime enim D. Aurelius Auguſtinus lib. contra Fauſt. Manich. 19. cap. 11. In nullum nomen religionis, inquit, ſeu uerum ſeu falſum coagulari homines poſſunt niſi aliquo ſignaculorum uel ſacramentorum uiſibilium conſortio colligantur. Hæ quidem cauſſæ ſunt ob quas ſacramenta inſtituit dominus: atqui ex his claret à pijs & uera fide donatis ſigna illa diuinitus inſtituta non poſſe contemni, quæ uidelicet à ſumma dei ſapientia in utilitatem hominũ maximam inuenta ſunt.

Sacramenta quid ſint.

Vt enim nunc paucis quod res eſt dicamus, Sacramenta aliud nõ ſunt, quàm diuinæ erga nos gratiæ beneuolentiæ ac promiſſionũ uiſibilia exemplaria, diuinitus inſtituta, teſtimonia certa ac memoracula ſacra, quæ ſub ſignis terrenis nobis repræſentant & ob oculos ponunt dona cœleſtia, mentemq; ipſam à terrenis auocant ad cœleſtia: ſunt præterea fraternitatis Chriſtianæ ac ſocietatis teſſeræ. Ex quibus facile & illud colligitur, Sacramentum non eſſe ſignum tantum, ſed conſtare duobus, ſigno uidelicet uiſibili terrenóue, & re ſignificata cœleſti: quæ duo unum modo ſacramentum conſtituunt, ita tamen ut nihilominus aliud ſit quod corpore uiſibiliter percipitur, aliud uero quod homo interior ſpiritu dei imbutus percipit. Nam ſigna & res per illa ſignificatæ tantum myſtica quadam ratione cohærent, neque ita coëunt ut alterum incipiat natura alterum eſſe, aut ut alterum contineatur in altero. Vtraque enim ſuam retinent proprietatem & natu-

& naturam. Quæ nunc uno aut altero exemplo demonstrabimus, Sacrificia ueterum testimonia erant diuinæ beneuolentiæ erga homines, quibus ecclesiæ testabatur dominus se fore placabilem pœnitentibus, se parasse hostiam qua illos absoluat à peccatis si credant. Nam hircus, taurus uel iuuenca, uisibilia erant signa, sed eadem repræsentabant & quasi ob oculos ponebant inuisibilem dei gratiam in morte siue hostia Christi præstitam. Vnde mirifica in symbolis istis analogia cernebatur. Hostia enim dicebatur peccatum, dicebatur & expiatio siue sanctificatio. Huic nomine omnium sacrificantium imponebant manus suas. Leuitæ sacrorum ministri, qui & pecudem mox iugulabant sanguine fuso & ad expiationem sparso. His enim egregie totum expiationis mysterium repræsentabatur. Nam peccatis nostris merueramus mortem, ideo uero imponebantur manus super caput hostiæ, quo significabatur communio, ideo & occidebatur ut clarescceret peccati præmium esse mortem & nos omnes esse mortis & iræ filios. Interim uero habebatur illa mors & sanguis effusus pro expiatorio sacrificio, non propter se sed propter Christum qui solus est agnus dei tollens peccata mundi. Hæc omnia in symbolis sic tradita multo erant uiuidiora in sanctorum cordibus quàm si uerbis duntaxat fuissent recitata. His quoque sacrificijs & epulis coalescebant in unum corpus quicunque sacrificiorum erant participes: id quod & apostolus Paulus in Corinthiorum Epistola indicauit. Et quanquam ipsum sacrificium diceretur peccatum & expiatio, naturaliter tamen non erat peccatum, sed quod Paulus dixit Hebr. 10. commemoratio peccati, neq; sacrificantes promiscue

Sacrificia ueterum.

omnes purgabantur à peccatis, sed illi duntaxat qui in fide sacrificabant. Et uisibilia signa in sua manebãt substantia, ita & inuisibilia in ista non transmutabantur. Igitur uisibilia bonis & malis erant communia, at inuisibilium fructum percipiebant fideles tantum. Idem uidere est & in Baptismo. Visibili enim signo testatur nobis dominus gratiam suam, qua nos regenerat inuisibiliter & à peccatis emundat: id uero aptitudine symboli pulchrè subijcit oculis. Nam aqua ut refrigerat ita & repurgat & quasi renouat. Hac ergo significatur inuisibilis gratiæ in animo baptizati operatio. Recipimur item Baptismo uisibiliter in ecclesiã & incorporamur Christo, ut cum hoc sepulti, cum eodem etiam resurgamus in nouitate uitæ. Ergo quoties confertur in ecclesia Baptismus, toties profertur tabula & sigillum diuinæ promissionis & beneuolentię, adeoq; & audiunt et uident diuinæ gratiæ testimonium omnes, monentur sui offitij omnes, exercetur & omnium fides. Interim uero non commutantur in aquam cœlestia dona, neq; continet in se aqua dona illa cœlestia. Vtrunque suum retinet ingenium. Hinc Ioannes Baptista, Ego, inquit, baptizo uos aqua, sed qui post me ueniet baptizabit uos spiritu sancto & igne. Et apostolus Petrus, Saluos nos reddit Baptismus, ait, non is quidem quo carnis sordes abluuntur, sed conscientiæ bonæ responsio in deum.

Baptismus.

Duo sacramenta.

Horum uero sacramentorum in ueteri ecclesia inter alia præcipua fuerunt, Circuncisio, Pæsa, & sacrificia expiatoria: in nouo testamento numerantur duo, Baptismus & Cœna dominica. Totidem agnouit cum apostolica prisca quoque ecclesia. Nec adeo illos moror qui ob quæstũ nescio quot sacramenta numerant.

Et

Et duo quidem illa signa appellarunt alij Sacramenta, alij Symbola sacra. D. Augustinus libro de Doctrina Christ. 2. cap. 1. Signum finit esse rem quæ præter speciem quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cogitationem uenire: ut uiso fumo ignem subesse cognoscimus. Idem finiuit Sacramẽtum esse signum rei sacræ, inuisibilis item gratiæ uisibile signum, siue uerbum uisibile. Porrò Symbola dicta sunt ἀπὸ τοῦ συμβάλλ λέγ, quod simul & arcanam intelligentiam offerãt conijcienti, & à seipsis post animaduersam similitudinem, uerbo duce, ad id accipiendum quod inuolucro tegitur alliciant. *Symbolum*

Et ut semel negotium hoc finiamus, Quod uerbis ingeritur auribus, id oculis suggeritur sacramentis, re uera autem percipitur fide. Quemadmodum uero uerbum dum de ore ministri tanq̃ de ore domini ad se prolatum recipiunt fideles, testante hoc Paulo & dicente, Cum acciperetis sermonem à nobis quo deum discebatis, accepistis non ut sermonem hominum, sed sicut erat uere sermonem dei, qui & agit in uobis credentibus: ita etiam signa diuinitus instituta de manibus ministrorum tanquam de ipsis dei manibus accipiũt tanquam uera & cœlestia dei dona, quorum efficaciã, nisi fide careant, sentiunt, sanctisq̃ dictis et factis exerunt.

De institutione, ui & efficacia usuq̃ Cœnæ dominicæ. Cap. III.



Enio nunc ad id cuius gratia ista fermè disputaui hactenus, ad Cœnam inquam domini sacram: de cuius institutione et usu omnes apostoli hæc tradiderunt ecclesijs uno ore & concordi testimonio, Vescẽtibus discipulis, accepit Iesus panem, *Institutio Cœnæ.*

& gratias egit, fregitq; et dedit discipulis dicẽs, Accipite comedite, Hoc est corpus meũ qd' pro uobis datur. Hoc facite in mei commemorationẽ. Similiter autem accepit et poculum postquàm cœnauit, et gratias egit, deditq; illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Et biberunt ex eo omnes: & ait illis, Hic enim est sanguis meus qui est noui testamenti. Vel, Hoc poculum nouum testamentum per sanguinem meum, qui pro uobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Amen dico uobis, quod posthac non bibam ultra ex hoc fructu uitis usq; in diem illum quo eum bibero uobiscum nouum in regno patris mei. Audistis institutionem a deoq; & totum Cœnæ dominicæ negotiũ, paucissimis quidem sed plena planaq; expositione propositũ. Constat autem ea expositione in uniuersum ecclesiæ aliud non commendari quàm mysterium redemptionis & cõiunctionis fidelium cum deo & inter sese per Iesum Christum, hoc est, maximum religionis nostræ sacramentũ. Est ergo in Cœna illa domini sacra signum & signatũ, quorum illud uisibile est & terrenum, hoc uero inuisibile, cœleste et diuinum, quod externo illo sensibus obijcitur ac repræsentatur, fide autem percipitur. Est & analogia inter terrena illa & cœlestia, ut animi nostri per illa imò ab illis ad hæc subleuentur. Est in his uiua item & ocularis quædam demonstratio mortis & effectus passionis dominicæ ac redemptionis nostræ. Fit præterea in hac omnium membrorum Christi inter se & cum capite Christo firma & indissolubilis connexio: exhibeturq; nobis diuinæ erga nos beneuolentiæ certissimum testimonium, ut in cruce domini nostri Iesu Christi exultantes mortem eius annunciemus, totiq; ac uiribus omnino omnibus nostris in gratiarum

tiarum actionem pro tam mirando Christi erga nos beneficio effundamur: quæ nunc sigillatim perstringemus, ut ex ipsis colliquescat quę sit uis et efficacia, quis usus huius sacramenti.

Signum ergo in hoc sacramento uisibile & terrenum est Panis & Vinum. Veritas enim pronunciat, Vescentibus discipulis accepit Iesus panem & fregit. Item, Similiter & poculũ postquam cœnauit accepit. Et mox, Amen amen dico uobis, quod posthac non bibam ultra ex hoc fructu uitis. Hunc uero panẽ appellat corpus suum: uinum sanguinem suũ. Dicit enim, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: nõ quod panis sit naturale corpus Christi, quod tunc mensę assidens panem exhibebat discipulis, uel quod uinũ conuersum sit in uerũ & naturalem domini sanguinem: sed quod symbola rerum suarum nominibus participent: proinde panis & uinum dicuntur corpus & sanguis domini, ideo quod corporis & sanguinis domini sacramenta sunt, per quæ nobis annunciat & attestatur quid ipse nobis donet: seipsum uidelicet in alimoniam uitæ. Iam enim audiuimus duo esse in sacramentis consideranda, signũ & rem signatam, cęterũ utraq; illa in sua permanere natura ac substantia. Id si uerum est, ut planè falsum esse nequit quod scripturis tantoq; fideliũ consensu nobis traditur, certè panis aut uinum non possunt esse naturale corpus & naturalis cruor domini. Nemo enim ignorat quę sit corporis et sanguinis Christi substantia natura siue propietas, quæ si salua & incorrupta permanet, dominus neq; panis est triticeus neq; uinum è uite profusum: rursus si panis & uinũ in sua quoq; natura id quod sunt permanent, ut permanere ipse hominis sensus attestatur, profecto pa

De signo Cœnæ.

Signa sortiuntur rũ nomina

nis non est caro, neq; uinum sanguis, sed panis manet panis, et uinum manet uinum. Neque uero id nouum & quasi nuper apud nos domi nostrę natum cuiquam uideri debet, quod dixi symbola rerũ appellationibus participare. Euincit hoc scriptura quæ Gene. 17. Circuncisionem appellauit fœdus siue testamẽtum, cum reuera signũ modo fœderis sit. Nam fœdus in hoc est, quod deus noster & seminis nostri deus est, & cæt. Eadem agnum illum typicum appellat Transitum, Exodi 12. Quis uero nesciat agno potius significatam esse dei gratiã qua parsum est filijs Izrael, aut angeli uerius actionem transeuntis ædes sanguine agni notatas & non perimentis primogenita, quemadmodum facere solebat in Aegyptiorũ domibus. Ita passim in lege appellantur Sacrificia & peccata & peccatorũ expiationes: atqui Paulus, Non auferebant, ait, peccata uictimę, sed in ipsis commemoratio fiebat peccatorum. Sed & Baptismus noster dicitur Regeneratio & lauacrum regenerationis, cũ interim dominus uerè pronunciet. Nisi quis renatus fuerit è supernis, non poterit ingredi in regnum dei. Religiosissimè ergo credidit August. symbolis rerum dari nomina propter similitudinem et analogiã. Epistola enim ad Bonifatium 23. Si, inquit, sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt nõ haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autẽ similitudine plerunq; etiam ipsarum rerũ nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentũ sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est, &c. Hinc uero est quod omnes tam prisci quàm mediæ ætatis doctores hoc domini pronunciatũ, Hoc est corpus meũ: & *Hoc est corpus meum.*

& illud, Hic est sanguis meus, inter tropiças numerarunt & figuratè exposuerunt, id quod etiam hodie alij expediunt per metaphoram siue metonymiã, alij per synecdocham. Nos in presenti ueterum expositionem simplicissimam recensebimus quàm pauciss imis fieri potest uerbis. Tertullianus lib. contra Martionem 4. Christus, inquit, acceptum panem & distributũ discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meũ dicendo, id est, figura corporis mei. Cyprianus nõ semel dicit pane corpus uino sanguinẽ Christi ostendi. Idem in sermone de lapsis, de puella Eucharistiam euomente dicens, Sanctificatus, ait, in domini sanguine potus de pollutis uisceribus erupit. S. Ambrosius in 1. ad Corint. ca. 11. commentans scribit, Quia morte domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando, carnem et sanguinem, quę pro nobis oblata sunt, significamus. D. Hieronymus in Matt. 26. ca. scribens, uerba Cœnæ dominicæ his uerbis exponit, Postq̃ mysticum Pascha fuerat impletũ & agni carnes cum apostolis ederat, assumit panem qui cõfortat cor hominis, & ad ueri Paschæ transgreditur sacramentum, ut quo modo in præfiguratione eius Melchizedek summi dei sacerdos uinum & panes proferens fecerat, ipse quoque ueritatem corporis & sanguinis repræsentaret. Et Chrysostomus homelia in Matt. 83. Sicut in ueteri, inquit, eodem hic modo in beneficio reliquit memoriam mysteriorum colligendo & hinc hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt, Vnde patet Christũ immolatum fuisse? Hæc enim adferentes ora eorum consuimus, Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Sanctus Augustinus duodecimo capite, contra Adimantum Manichei

discipulum, planissimè, Possum, inquit, interpretari præceptum illud in signo esse positum. Non enim dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, quum daret signũ corporis sui. Et in eodem capite exponit, Sic est enim sanguis anima, quomodo petra erat Christus: nec tamen Petra, inquit, significabat Christum, sed Petra erat Christus. Idẽ in Psal. 3. Christus, inquit, adhibuit Iudam ad conuiuium in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis commendauit & tradidit. Sic etiam Fulgentius exponit, referente Haymone, Hic est calix nouum testamentum, id est, hic calix quem uobis trado nouum testamentum significat. Beda in 22. cap. Lucæ, super uerba Cœnæ scribens, Finitis, inquit, paschæ ueteris solennijs, quæ in commemorationem antiquæ de Aegypto liberationis agebãtur, trãsit ad nouũ, qđ in suę redemptionis memoriã eccle sia frequentare desiderat, ut scilicet pro carne agni uel sanguine suæ carnis sanguinisq; sacramẽtũ in panis et uini figura substituens, ipsum se esse mõstraret cui iurauit dominus & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos, &c. Et mox, Quia ergo panis carnẽ confirmat, uinum uero sanguinẽ operatur in carne, hic ad corpus Christi mystice, illud refertur ad sanguinem. Quam expositionem sequutus & Rabanus Maurus episcopus Moguntinus, lib. de Institutione clericorum 1. ca. 31. Ergo, ait, quia panis corporis cor confirmat, ideo ille corporis corpus Christi cõgruenter nuncupatur: uinum autem quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Neque dissimilia his prorsus scripsit & Christianus Druthmarus monachus Benedictinæ factionis, & presbyter Corbeien. In Matthæũ enim commentans, Vinum, inquit, lætificat & sanguinẽ auget,

get, & ideo non incõuenienter sanguis Christi per hoc figuratur, quia quicquid nobis ab ipso uenit lætificat lætitia uera, & auget omne bonum nostrum. Et ante hæc uerba idem ille scribit, Dedit dominus discipulis suis sacramentum corporis sui in remissionem peccatorum & in conseruationem charitatis, ut memores illius facti semper hoc in figuram facerent, quod pro eis acturus erat, & huius charitatis non obliuiscerentur. Hoc est corpus meum, id est, in sacramento. Arbitratur uero abbas Spanheymensis hunc Druthmarũ floruisse temporibus Caroli magni circa annum domini 800. Ex his autem omnibus claret, quod in Cœna domini panis & uinum in sua permanent substantia, ita & corpus & sanguis domini: unde id quoque mox colliquescit hoc domini pronunciatum, Hoc est corpus meum, & illud, Hic est sanguis meus, figurate exponendum esse: uetustissimam uero & usitatissimam maximeq; catholicam & orthodoxam expositionem semper fuisse, et uel hodie permanere, Panis significat uel repræsentat corpus Christi. Vinũ est figura, signum, symbolum aut memoraculum sanguinis Christi. Petita est hæc expositio ex natura tam corporis Christi q; ex proprietate præsentis rei ac consilio institutoris. Voluit enim dominus sacramentum instituere: at de Sacramentis non possumus aliter loqui quàm sacramentaliter, id est, quomodo sacramentorum ratio poscit. Et cum corpus Christi nostro corpori cõsubstantiale, & ad dexteram patris, locabile & non infinitum sit, necesse est pane corpus uino sanguinem repræsentari.

In cœna non est signum tantum.

Dicis, Nil equidem præclari & diuini quódue animam hominis pascat instituit dominus, si panem modo in cœna accipere & edere iussit. Si nihil in hoc con

uiuio amplius exhibetur conuiuis quàm panis & uinum, profecto hic cibus nil differt à prophano, cur itaque Paulus cœnã sacram à prophana separans dixit, Cum conuenitis, non licet domini cœnam edere, nam unusquisq; propriam cœnam occupat in edendo? Recte planè. Neq; enim & nos dicimus Christum in cœna cibarium duntaxat panem, signum nudum & uacuum, quod scilicet nihil ad animæ nostræ alimoniam faciat aut conferat commendasse. Sacramẽtum enim instituit, sacramentum cõmendauit. At sacramentum non est signum tantum: sed consit duobus, signo uidelicet uisibili terrenóue, & re significata cœlesti ac diuina. Fidelis ergo cœnam domini frequentans, animum non in signum duntaxat intendit, sed in rem significatam & quidem magis, omni modo annitens ut ipsa legitime fruatur. Nouit enim totum fructum sacramentorum uisibilium consistere in ipsis inuisibilibus signorum rebus. Cum ergo ipsæ res in Cœna pane & uino repræsentatæ sint ipsum domini corpus in mortem traditum pro nobis & sanguis eius pro nobis effusus in remissionem peccatorum, mox cogitat uisibilia instituta esse propter inuisibilia, ergo perquirit causas ob quas speciebus panis & uini corpus & sanguinẽ suũ commendarit ecclesijs, & quomodo per uisibilia animos subleuet ad inuisibilia. Atqui hic locũ habet analogia & ratio sacramẽtalis. Panis enim alit corpus hominis, sustentat uitam, uires ad labores suppeditat, uoluptate afficit. Hæc præstat & animæ caro Christi. Vinum calefacit, ergo frigus & torporẽ ignauiámue tollit, tristitiam pellit, sopit curas, disertum & ad res quaslibet expeditum efficit. Ita & sanguis domini excutit inertiam nostram, alacres, serenos, atque lætos reddit,

secu-

ſecuritatem inducit, inſtruit linguam ad laudes diuinas & dirigit nos in omni opere bono. Cæterũ quemadmodum panis & uinũ iſta non efficiunt niſi ille edatur & hoc bibat, ita corpus & ſanguis domini tantas uirtutes in homine non exerent niſi etiã iſtud edatur & hic bibatur. Hinc uero eſt quod dominus dixit, Accipite, diuidite inter uos, edite & bibite: cogitat ergo de modo edendi & bibendi fidelis. Iam uero cũ cibus ille in mẽſa domini propoſitus duplicis generis ſit: eſt enim cibus corporalis & ſpiritualis, terrenus & cœleſtis, uiſibilis & inuiſibilis: colligitur ſanè & manducationem eſſe duplicem, corporalem & ſpiritualem, terrenam & cœleſtem, uiſibilem & inuiſibilem. Et panis quidem qui uidetur cibus eſt terrenus, qui ore percipitur corporeo ad alimentũ corporis: uinum corporalis eſt potus, qui in ſanguinem hominis corporaliter conuertitur, nec quicquam interim confert uel ad uitam uel ad incolumitatem animæ. Cæterum quod pane & uino repreſentatur, animam non corpus alit nutritq́, & cibus eſt ſpiritualis, ipſum inquam corpus domini traditum pro nobis in mortẽ, & ſanguis domini in remiſſionem peccatorum effuſus: intellígit ergo hoc ſpiritualiter edendum & ſanguinẽ eius ſpiritualiter eſſe bibendum. Corpus enim & ſanguis domini non ita fiunt alimentum animæ ut euacuata proprietate aut relicta natura ſua tranſeant in ſpiritũ, ſed remanent quidẽ hoc quod reuera ſunt, uera caro & uerus ſanguis, manet perpetuo unus Chriſtus uerus deus & homo ſedens ad dexteram patris, manducatur autẽ eius caro bibiturq́ eius ſanguis uere quidem, ſed nõ carnali uerum ſpirituali ratione ac modo, nempe per uerã fidẽ. Nã credere eſt manducare: quod & beatus pater Au-

Cõiunctio fidelium cum Chriſto.

guſtinus ſentiens, dixit, Quid paras dentẽ & uentrẽ? crede & manducaſti. Per fidem manet Chriſtus in nobis & nos in Chriſto. Ita porrò non erit nobis anxie & metaphyſice ſpeculandum quomodo in puncto conſecrationis ad uerba cõſecrantis euocatus deſcendat in panẽ aut ſub panẽ dominus, aut quomodo fiat panis, aut quomodo ſimul & ſemel ad dexterã patris ſedeat & tamen in ſingulis contineatur hoſtijs. Nam fides uera intelligit Chriſtũ dominum ſemel deſcẽdiſſe in uterum uirginis, incarnatum eſſe, obtuliſſe ſe ſemel patri, unica hoſtia abſoluiſſe fideles in perpetuũ, iterum autem reliquiſſe terras, aſcendiſſe in cœlũ, ibi ſedere ad dexteram patris, nec inde uenturũ niſi ad iudicandũ uiuos & mortuos: non eſt enim amplius corporis domini ullus in terris uſus: quando id cuius gratia in carnem uenit plene abſoluit, atq; ideo ceu uictor ac triumphans cœlos aſcendit. Intelligit interim caput illud Chriſtum membris ſuis, hoc eſt eccleſiæ fidelium non deeſſe, ſed animare, fouere, imò totum in ipſa uiuere, non carnali modo, ſed efficatia diuina per potentiam ſpiritus. Nam ut cibus corpus hominis nutrit, uegetat ac uiuificat, non contemplatus ſed comeſtus: ita ſi credamus in Chriſtum, uiuit in nobis Chriſtus & nos in Chriſto, non uiſus inquam aut auditus, ſed fide uera in animum receptus. De quo non eſt quod nunc agam pluribus: expoſui enim hoc quantum ſatis eſt in capite primo cum perſtringerem uerba domini apud Ioannem de manducanda carne Chriſti & bibendo eius ſanguine. Nihil ergo nunc addam amplius niſi unum atq; alterum teſtimonium ex Inſtitutionibus Rabani Mauri, quo authore hoc libentius in præſenti utimur, quod ipſum octingẽtis poſt apoſtolos domini annis, non

nis, non alia de hoc sacramẽto scripsisse constat, quàm quæ modo tradidi. Igitur lib. 1. cap. 31. quærit cur dominus corporis & sanguinis sui mysteria in his rebus sanciri uoluerit quæ comedi & consumi possunt, & non potius in his quæ maiore honore seruata diutius haberi integra potuissent? Et respondens, Maluit, inquit, dominus corporis & sanguinis sui sacramenta fidelium ore percipi & in pastum eorum redigi, ut per uisibile opus inuisibilis ostenderetur effectus. Sicut enim cibus materialis forinsecus nutrit corpus & uegetat, ita etiam uerbum dei intus animam nutrit & roborat, quia non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ait ergo ipsa ueritas, Caro enim mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Vere scilicet caro Christi est cibus, quia uere pascit & ad æternam uitam hominem nutrit: & sanguis eius uere est potus, quia esurientem & sitientem animam iustitiam in æternum ueraciter satiat. Temporalem quidem uitam, sine isto cibo & potu habere possunt homines, æternam omnino non possunt. Quia iste cibus & potus æternam societatem capitis membrorumq; suorum significat. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: quapropter necesse habemus sumere corpus & sanguinem eius ut in ipso maneamus, & eius corporis membra simus. Quia nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, &c. Et mox iterum, Mensa Dominica, inquit, quibusdam cedit ad uitam, quibusdam ad exitium, res uero ipsa omni homini ad uitam, nulli ad exitium. Quicunque enim eius particeps fuerit, idem Christo capiti membrum

associatus erit in regno cœlesti. Quia aliud est sacramentum, aliud uis sacramenti. Sacramẽtum enim ore percipitur, uirtute sacramenti interior homo satiatur. Sacramentum enim in alimẽtum corporis redigitur, uirtute autem sacramenti æternæ uitæ dignitas adipiscitur. In sacramento fideles quiq; communicantes pactum societatis & pacis ineunt: in uirtute uero sacramenti omnia membra capiti suo coniuncta & coadunata in æterna claritate gaudebunt. Sicut ergo in nos id conuertitur cum id manducamus & bibimus, sic et nos in corpus Christi conuertimur, dum obedienter & pie uiuimus, &c. Ex quibus omnibus colligimus sanctos in cœna domini sacra non nudis modo signis, id est pane cibario uinoq; pphano pasci, sed uero etiã corpore domini ueroq; eius sanguine, nõ corporaliter quidem hausto sed spiritualiter per fidem. Fide enim inserimur Christo, & per fidem habitat in cordibus nostris Christus & uiuificat nos, ditans nos omnibus bonis, & sese totum nobis impendens, ut iam omnia bona eius nostra sint.

Cõiunctio fidelium inter sese.

Quemadmodum uero coniunctionem fideliũ cum seipso omniumq; bonorum communicationem cœna repræsentauit dominus, ita eadem quoq; cõmunionem societatemq; omnium sanctorum inter sese significauit. Fieri enim nõ potest, ut qui cum Christo uniti sunt, cum Christi adeoq; suis ipsorũ mẽbris dissideãt. Et huc pertinet illud apostoli uerbũ 1. Cor. 10. Poculũ benedictionis quo benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? Quoniã unus panis, unum corpus multi sumus. Omnes enim de uno pane participamus. Nam his pulchre ad analogiã respexit

diuinus

diuinus apostolus. Quemadmodũ enim ex multorum granorum adunatione unus fit panis, ut de botris atq; acinis plurimis uinum confluit; ita ex multis mẽbris, id est fidelibus, colligitur corpus ecclesiæ. Celebrantes ergo cœnam domini cõfœderamur & fratres nos esse fideliũ testamur, itaq; obstringimur hac ad mutua uitæ officia. Proinde ut fidẽ ita charitatẽ in primis flagitat hoc sacrum & cœleste conuiuiũ. Cæterum ut hæc pars rectius intelligat, non pigebit huc transferre quæ ad longum apud S. Augustinum in sermone de Sacramẽto ad infantes ad altare in hæc uerba leguntur. Quod uidistis panis est & calix, quod uobis etiã oculi uestri renunciãt: quod aũt fides uestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis. Breuiter quidem hoc dictũ est quod fidei fortasse sufficiat, sed fides instructionẽ desiderat. Dicit enim ꝓpheta, Nisi credideritis non intelligetis. Potestis ergo modo dicere mihi, Præcepisti ut credamus, expone ut intelligamus. Potest enim in animo cuiuspiã cogitatio talis oboriri, Dñs noster Iesus Christus nouimus unde acceperit carnem, de uirgine Maria, infans lactatus est, nutritus est, creuit, ad iuuenilẽ ætatem perductus est, à Iudæis persequutionẽ passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, sepultus est, tertia die resurrexit; quo die uoluit in cœlũ ascẽdit, illuc leuauit corpus suũ: unde est uenturus ut iudicet uiuos & mortuos; ibi est modo sedens ad dexterã patris: quomodo ergo est panis corpus eius, & calix uel quod calix habet q̃modo est sanguis eius? Ista fratres ideo dicunt̃ sacramenta, quia in eis aliud uidetur & aliud intelligit̃. Quod uidet̃, speciem habet corporalẽ; quod intelligitur, fructũ habet spiritualẽ. Corpus ergo Christi si uis intelligere, apo-

stolum audí dicẽtem fidelibus, Vos estís corpus Christí & membra. Sí ergo uos estís corpus Christí & membra, mysterium nostrum in mensa positum est, mysterium dei accipitis, ad id quod estís. Amẽ respondetis, & respondendo subscribitis. Audís ergo corpus Christi & respondes Amen, esto membrum corporís Christi ut uerum sit Amen tuum. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro afferamus, ipsum apostolum item audiamus, Cum ergo de isto sacramento loqueretur, ait, Vnus panis unum corpus multi sumus. Intellígite & gaudete. Vnitas, pietas, ueritas, charitas, unus panis unũ corpus multí sumus. Recolite quia panis nõ fit de uno grano sed de multis. Quãdo exorcísabamini quasí molebamini, quando baptizatí estís quasi conspersi estís, quando spíritus sanctificationẽ accepistis quasi cocti estís. Estote quod uidetis, & accípite quod estís. Hoc apostolus de pane dixit. Iam de calice quid intelligeremus etiam iam dictum satís ostendit. Sicut enim ut sit species uisíbilis panis multa grana in unum consperguntur, tanquam illud fiat quod de fidelibus ait sancta scríptura, Erat illis anima una & cor unum in deum: sic & de uino fratres recolite unde fit uinũ. Grana multa dependent ad botrum, sed líquor granorum in unitatem confunditur. Ita Dominus noster Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere uoluit, mysterium pacis & unitatis nostræ in sua mensa consecrauit. Qui accípit mysterium unitatis, & non seruat uínculum pacis, non mysterium accípit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquenque fidelium corporis sanguinísq; dominici partícipem fieri, quomodo in baptísmate membrum Christi efficitur; nec alienari ab illius

panis

panis calicisq; consortio, etiam si antequam panem illum comedat & calicem bibat, & de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Hactenus Augustinus satis aperte mysterium huius Conuiuij explicauit, quatenus uidelicet ad communionem & societatem sanctorum, quam alij incorporationem appellarunt, attinet.

Restat ut iam paucula dicamus & de alio quodam huius conuiuij fine præcipuo, nempe de memoria passionis dominicæ & gratiarumactione quæ ex superioribus existunt & cum ipsis coniuncta sunt. Diligenter enī dominus præcepit, & dixit, Hoc facite in mei commemorationem. Et Paulus, Quotiescūq; comederitis panē hunc & de poculo hoc biberitis, mortem dñi annunciabitis donec uenerit. Imitatus est & in hoc homines qui ab amicis discedentes charissimis nobile ali quod sui memoraculū ipsis relinquūt. Corpore enim relicturus terras dñs & in cœlos ex hoc mūdo ascensurus redēptionis nostræ & omniū beneficiorū in morte sua exhibitorū memoriā isto sacramēto uoluit reseruare, refricare, excitare, adeoq; oculis cōtemplandū, imò manibus ceu cōtrectandū subijcere. Vnde & Druthmarus ille, Sicut, ait, si aliquis pegre ꝓficiscens dilectoribus suis quoddā uinculū dilectionis relinquit, eo tenore ut oīi die hæc agāt, ut illius non obliuiscant: ita dñs præcepit nos agere, trāsferens spiritualiter corpus in panē, uinum in sanguinē, ut per hæc duo memoremus quæ fecit ꝓ nobis de corpore & sanguine suo & nō simus ingrati tā amātissimæ charitatis. Hęc ille. Certe quæ nō ꝟbis sed rebus etiā cōmendant uisibilibus, uehemētius nos mouēt & mentē aīæq; ratiociniū iuuant quo expeditius agat. Ergo cū uerba domini recí-

Memoria mortis dominí.

tantur in ecclesia, Sic deus dilexit mundum, ut unigenitũ suũ daret pro mudo, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitã æternam. Et iterũ, Vescentibus eis accepit Iesus panem, & gratias egit, & fregit, &c. interim uero panis ꝑfertur, manibus peccatorum contrectatur & conterit, oculus adeoq; ipsa mens sanctorum iam non tantũ in id intenta est quod corã fit, sed apud se rememorat & quasi præsens cernit totum salutis nostræ negotium, quod uidelicet filius dei in mundũ uenit, carnem nostrã induit, manibus peccatorum captus, crucifixus & ꝑpter peccata nostra contritus est: ita cum uidet effundi uinum in pocula, cogitat sanguinẽ Christi effusum esse pro expiatione peccatorum totius mũdi, in quo & acquiescit, gaudet ac uiuit. Quanquã enim semel oblatus sit dominus & amplius offerri nõ possit, atq; ideo memoria peragatur rei præteritę, fideli tamẽ ipse passionis effectus adeoq; ipsa domini mors præsens & recẽs est. Memoria enim nostra in conuiuio illo diuino multo est augustior, quàm illorum in ꝑphana cœna celebret, qui absentẽ prædicant amicũ ꝑpter munusculũ aliquod. In his enim absens ille nihil operatur, at in conuiuio sanctorũ efficaciter operatur dominus, adeoq; secundum promissionem suam in medio ecclesiæ suæ esse, agere, operari, regnare, uiuere & manere creditur. Ex his porrò recte perpensis & sancte in animis piorum uolutatis enascitur laus & gratiarũactio pro tam immẽsis beneficijs, quæ & ardentibus in pectore cogitationibus & dictis, uocibus hymnisq; sacratissimis ese ꝑdit ad gloriã noĩs Iesu. Præterea qui sic exultãt in deo & laudant deũ, interim & se cum illo coniunctos esse credũt, & quodamodo corpus Christi in manus accipiunt & per fidẽ uere

Gratiarũ actio.

mandu-

manducant, an non illi certum diuinæ erga se beneuo lentiæ testimoniũ tam in ipsis pectoribus quàm in sym bolo habent? Atque hęc hactenus de institutione, effe ctu, & usu Cœnæ dominicæ perstrinximus.

De nominibus siue appellationibus Cœnæ sa cræ. Cap. IIII.

AD explicationem horum copiosiorem faciet fortassis si exposuerimus præcipua huius sa cri conuiuij nomina, seu appellationes apud scriptores usitatissimas. Quemadmodum enim Cele bratio paschatis uaria etiam in sacris nomina habuit: nam dicebatur Victima, oblatio, cultus, feriæ, conuen tio, solēnitas, transitus, &c. ita etiam Cœna dominica quæ in Paschatis locum subijt uarias sortita est appel lationes.

Corpus & sanguis domini ideo à plerisque appella tur quod in ipsa fideles non pane modo uescuntur ui numq; bibunt, sed ipsis quoque rebus significatis uero corpore & sanguine domini spiritualiter participant per fidem: & quod receptissimum est sacris literis re rum nomina indere symbolis. De qua re dixi superio ri capite. *Corpus et sanguis Christi.*

Lucas in Actis apostolicis semel atq; iterum appel lauit Fractionē panis, ex ritu et societate toti nimirum Sacro nomē imponens. Ritu enim instituto à domino panem frangebant in ecclesia pij, & particulam quisq; accipiebat, coibántque hoc modo intercedente spiritu Christi in societatem sanctorum. Solebant enim apud ueteres maxima quæq; fœdera panis & uini symbolo cōfirmari atque iniri. Cœlius enim lect. antiq. lib. 15. ca. 15. Panis, inquit, prægustatus ritu Macedonico san *Fractio panis.*

ctiſſimum erat coëuntium pignus. Et panis illa prægu ſtatio ita gentis condito more nimirũ parabilis uictus frugalitatis inſigne documentum erat. Significantius autem Eraſ. Rot. ſymbola explicans Pythagorę illudq; exponens, Panem ne frangito, Admonet, ait, non dirimendã eſſe amicitiam: propterea quod antiquitus amicitia pane cõciliabatur. Vnde & Chriſtus princeps noſter diſtributo pane perpetuam inter ſuos amicitiã conſecrabat. Proinde non cõuenit frangi id per quod amici conglutinarentur.

Cœna dominí. Cœnam dominicam nominauit ſanctus apoſtolus Paulus in 1. ad Corint. 11. tum quod in illa ſpiritualiter paſcuntur ſancti, tum quod inter cœnandum primitus fuit inſtitutum ſymbolum hoc ſacri conuiuij cõfœderationis, & memoriæ paſſionis, redemptionisq; dominicæ. D. Auguſt. ad Ianuarium ſcribẽs, teſtatur ſuo tempore fuiſſe qui uelut ſolẽni cõmemoratione ſemel tantũ in annis ſingulis eo die quo dominus cœnã conſecrauit cõuiuari, et eo modo euchariſtiã celebrare, inſtitutionisq; memoriã repræſentare fuerint ſoliti. Vnde nimirum ritus ille ad nos dimanauit, quo uel hodie in cathedralibus eccleſijs & monaſterijs Benedictinorum in die Cœnæ domini ante Paraſceuen Cœna domini palam & ſplendidius celebratur. Nam Euangelium Ioannis à diacono publice prælegitur, & dulciſſima illa colloquia Chriſti quæ abiturus cum diſcipulis habuit recitãtur: interim ordine diſpoſitis menſis conuiuæ aſſident, panem azymum frangentes & calicem inuicem propinantes, & in totum ueteris Cœnæ ueſtigium præferentes. Mandatum appellarunt, nimirum quod mandatum illud nouum de diligendo inuicem & prælegeretur & uiſibiliter celebraretur.

Apud

Apud eundem Paulũ in 1. ad Cor. 10. appellata est Mensa domini, haud dubiè quod in illa nobis propo- *Mensa domini.*
nuntur cœlestes epulæ, ad reficiendam animam in ui-
tam sempiternam, si uidelicet fide propositum nobis cibum recipiamus. Vsa est commodè illa appellatione Nicena synodus, quæ in hæc uerba pronunciauit, In diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed exaltata mente fide considéremus situm esse in sancta illa mensa agnum dei tollentem peccata mundi, qui non uictimarum more à sacerdotibus sacrificatur: & precioſum illius corpus & sanguinem uerè sumentes nos credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Nam propter hoc neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus quod hæc non satietati sed sanctimoniæ seruiant.

Communio, siue Græcè malis κοινωνία, ab eodẽ Pau- *Cõmunio*
lo eodẽ in cap. dicitur: remanet ea uox etiam hodie in *et Synaxis*
Missis Papisticis. Equidem si hoc conuiuium uera fide celebretur & charitate, communionẽ siue societatem habemus & cum Christo capite et cum omnibus membris Christi, adeoq; & communicatio siue participatio est inter nos rerum omnium. Huc pertinet & uocabulum Synaxis, Græcis usitatissimum, significat autem conciliationem: et Cœnę datum est ideo, quod hoc mysterio figuratur & confirmatur arctissima coniunctio mystici corporis cum capite & omniũ Christi nomen uere profitentium talem societatem mysticam, qualis est naturalis omnium inter se membrorum in corpore eiusdẽ animantis. Atq; utinam quibusdam placuisset de hac cõmunione tam diligenter disputare q̃ disputarunt de unione panis et corporis Christi, quæ nõ cõducit ad aliud q̃ ad superstitionẽ cõcertationẽq; augendã.

Pax. Et quia epulas sacras usurparunt sancti ad conciliationẽ & cõfœderationem, ideo dicta est Cœna Pax. Ergo si qui præsules uenissent Romã, protinus ab episcopo Rom. ijs mittebatur sacramentum eucharistiæ, quod hi in signũ sumebant pacis & unitatis fidei. Cuius quidem generis nõnulla reperiuntur apud Euseb. lib. eccles. hist. 5. cap. 24.

Viaticum. Viaticum appellarunt, quod eucharistia priuatim exhibita fuerit ægrotantibus mortiq; uicinis. Id quod serò tandem receptum esse constat. Prius enim priuatim non nisi lapsis & excõmunicatis morti uicinis, aut ob fidem denuo periclitantibus, in quibus uidelicet signa pœnitentiæ relucebãt, exhibebatur: non quasi de salute foret periculum si excederent sine eucharistia, sed contestationis gratia offerebatur, ut quoniam à cœtu & ecclesia secluси cum ea stato tempore non communicassent, eucharistia demũ ad illos missa intelligerent & pace donatos se ob resipiscentiã, & ut membra Christi in cõmunionem ecclesiæ benigne receptos. Videre hoc licet apud Euseb. eccles. hist. lib. 6. cap. 34. & apud Cyprianum epistol. lib. 1. epistol. 2. Certe apostolorum & proxime sequentibus temporibus nõ priuatim cœna, sed in publico celebratam esse certum est. Hieronymus quidem in Apologia quam pro libris suis aduersus Iouinianum Pamachio inscripsit, Romæ sua ætate in domibus cõmunicare quosdam solitos tradit, sed carpit morem et in ecclesia ut communicent hortatur. Et Iustinianus Cęs. Const. in Nouellis 57. ad Mennam archipræsulẽ Constantinop. scribens sic decernit, Omnibus interdicimus magnæ huius ciuitatis habitatoribus, imò et totius nostrę ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi orationum domos & in his sacra celebrare

lebrare myſteria, & hinc fieri quædã catholicæ & apoſtolicę traditioni cõtraria: ſed ſiquidem domos ita ſimpliciter aliqui habere putãt oportere in ſacris ſuis, orationis uidelicet ſolius gratia & nullo celebrando penitus horum, quæ ſacri ſunt myſterij hoc eis ſcilicet permittimus. Et quę ſequuntur. Igitur quum conuiuium hoc ſacrum non clinicum ſed eccleſiaſticum, ad id à domino inſtitutũ ſit, ut publice in congregatione peragatur, non in angulis, ſed & ægrotis tamen cõmune qui die Cœnæ ad eccleſiam uenire non poſſunt, corpore enim licet abſint cœtui, tamen ſpiritu, fide, charitateq; adſunt eccleſiæ cœnanti, riteq; & legitime ſumunt qđ à cœtu ſumitur: cumq; exẽplo & præcepto careamus apoſtolico, nos qui in Tigurina eccleſia domini miniſteria exequimur, morituros non adigimus ad hanc ſacram ceremoniam, ſed omni operum quorumcunque fiducia reiecta, inſtruimus & inhortamur ut interna cordis fide conſolati ad illum intrepidè reſpiciant, qui dixit, Qui in me crediderit, non morietur in æternum. Non enim ſacramentum externũ, ſed fides ſacramenti ſeruat.

Hanc ob rem, & quia publice ab antiquo celebrata eſt, à pleriſq; nominata eſt Cœtus ſanctorũ & Conuentus, item Collecta. Et ſanè ipſe quoque Paulus in 1. ad Corinth. 11. cap. ita nuncupaſſe uidetur. Meminit & Plinius antelucanorum cœtuum. Cum enim pręſes eſſet Bithyniæ ad Traianum Imp. ſcribẽs, Alij ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt & mox negauerunt, fuiſſe quidem ſed deſijſſe. Affirmabãt autẽ hanc fuiſſe ſummam uel culpæ ſuæ uel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carnemq; Chriſto quaſi deo dicere ſecum inuicem, ſeq; ſacramento

Cœtus & conuẽtus.

non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerẽt, ne depositũ appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusq; coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium, &c.

Sacramentum. Tertullianus appellauit Cœnam Sacramentũ eucharistiæ, in libro de Corona militis. Alij nominarunt Sacramentũ corporis & sanguinis Christi, alij Symbolum, alij Sanctificatum in corpore & sanguine domini panem & uinum. Alij dixerunt Mysteriũ corporis & sanguinis domini. Atqui Mysteria appellarunt Græci arcana quædam sacra, Latini Secluſa uocant. Dicta *Mysteriũ.* sunt quod ea δεῖ μύσαντας τηρεῖν ἔνδον, id est, occludentes oportet intus custodire, nec cuiquã explicare, ceu tradit in Lect. antiq. Cœlius li. 9. ca. 9. Et soli quidem fideles qualis sit Cœna nostra intelligunt. Hinc Tertullianus 2. lib. ad uxorem dicit, Non sciet maritus (de infideli loquens) quid secreto ante omnem cibum gustes, & si scierit panem non illũ credit esse qui dicitur. Quasi dicat, ignarus mysterij respuet symbolũ dominicũ, et rationem sacramentalem non intelligens, ceu superstitiosum contemnet. De uocibus Sacramentũ & Symbolum satis opinor disputaui in 2. cap.

Eucharistia. Plericq; uero tã apud Græcos q̃ Latinos dixere Eucharistiam. Significat autem εὐχαριστία bona gratia, siue ut Hieron. uertit gratiositas siue gratiarũ actio. Nam gratiarũ actio laus & celebratio mortis dominicæ magna est huius sacri conuiuij portio. Solemus autem ex partibus denominare totum.

Sacrificiũ Vocatur & Immolatio & Celebratio & Solẽnitas & Oblatio & Sacrificium, non quod panis uel uinum offeratur (nisi quatenus porrigitur sumentibus. Signi-

ficat

ficat enim offerre, exhibere) aut corpus aut sanguis domini iterũ immolari possit, sed quod sacrificij semel oblati in cruce symbolum & repræsentatio siue cõmemoratio sit. Deinde quod oratio, gratiarũactio, laus, charitas, & misericordia uera sint Christianorũ sacrificia: itaq; cum in Cœna oremus, laudes & gratias dicamus domino, cumq; ea ipsa ad charitatem, misericordiã, & mutua uitæ officia obstringamur, recte Sacrificium dicitur. Nã aperta sunt uerba Christi, Hoc facite in mei commemorationem. Sunt autẽ infinita alia scripturæ testimonia, quæ docent laudes, charitatẽ, & misericordiam uera esse Christianorũ sacrificia. Sed mouentur quidam magis patrũ testimonijs, ideo quod suspicantur nos peruertere scripturas. Audiant ergo quid sancti patres super hac re pronũciarint. D. Aug. epist. 23. ad Bonifacium apertissimis uerbis indicat Cœnam appellari Sacrificium propter similitudinem & cõmemorationẽ sacrificij semel peracti. Itẽ Chrys. homel. in epistolam Pauli ad Heb. 17. Offerimus, inquit, ad recordationẽ scilicet mortis eius facientes, quod enim nos facimus in cõmemorationem fit eius qđ factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationẽ. Non aliud sacrificium sicut pontifex, sed idipsum semper facimus, magis autẽ recordationem sacrificij operamur. Rursus de ueris Christianorũ sacrificijs differens Augustinus lib. de ciuit. dei 10. cap. 4. 5. 6. tandem in hæc uerba profatur, Hoc est sacrificium Christianorũ, multi unum corpus sumus in Christo: quod etiã sacramento altaris fidelibus noto frequentat ecclesia, quod in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur. Ad quem omnino modum et in 22. lib. cap. 10. de memorijs martyrum loquutus, ad quas non martyribus sed uni deo sacri-

ficium offertur, Ipsum uero, inquit, sacrificium corpus est Christi, quod nõ offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi. Iã & Irenæus li. aduer. hæres. 4. cap. 32. & 33. de Cœna domini scribẽs aperte innuit laudes & celebrationem nominis diuini illud esse purum sacrificium cuius meminerit Malachias, & quod dominus instituerit in sacramento eucharistiæ. Certe in fine capitis 34. disputationem quasi concludens manifeste, Voluit & nos, inquit, offerre munus ad altare frequenter & sine intermissione. Est ergo altare in cœlis. Illuc enim preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur, & ad templum quemadmodũ Ioannes in Apocalypsi ait, Et apertum est templum dei & tabernaculum. Ecce enim, inquit, tabernaculum dei in quo habitabit cum hominibus. Hactenus Irenæus disertè quid in Cœna à Christianis offeratur, & ad quam aram offeratur, indicauit. Igitur magni impostores sunt qui uetustissimi huius scriptoris testimonio Missam & sacrificium Papisticum se approbare posse iactitant. Cęterum qui plura uoluerit cognoscere de ueris Christianorũ sacrificijs, Lactantium legat libro Instit. 6. cap. 24. & 25. & inueniet non erudita modo sed & pijssima.

Agape. Atque ad appellationem oblationis siue sacrificij pertinet uocabulũ Agape. Agapen interpretatur Tertullianus dilectionem, significans cœnas hoc nomine uocatas suo tempore quę in pauperum refrigerium in loco publico & sacro expenderentur, quemadmodum uidere est in Apolog. ca. 39. D. Aug. meminit horũ & testatur ritum ueterem etiam suo adhuc sæculo duraussse. Nam lib. cõtra Faustum Manichæum 20. ca. 20. Nec sacrificia gentiũ uertimus, inquit, in agapes, sed sacrificium illud quod paulò ante commemorauí intel

lexímus,

lexímus, dícente domíno, Miſericordíam uolo quàm ſacrifícium. Agapes enim ueſtrę pauperes paſcunt ſiue frugíbus ſiue carnibus. Paſcitur enim creatura dei de creatura dei, quæ hominis dapíbus cõgrua eſt, &c. Hínc fortaſſis ad nos ritus ílle manauit qui etiã hodíe in uſu eſt, ut finitis Miſſarum ſolennijs panes díuídantur pauperíbus. Vocant enim huiuſmodi eleemoſynã língua patría Spenden, uoce mutuata uel ab expẽdendo, uel à Græcis quibus σπένδω líbo uel ſacrifíco eſt, σπονδή líbamen uel oblatio. Et ſanè cõſtat nunc uerum ſacrifícium eſſe miſericordíam ac eleemoſynam.

Rurſus quod nos uulgo uocamus officiũ, id Græci appellarunt λειτουργίαν líturgiam, quam uocem hínc deríuarí exiſtímant. λείτον olím uocabãt prytanæum, hoc eſt locum publícum ín quo magiſtratus uerſabantur, & ἔργον opus: unde commutatís aliquot líterís λειτουργοὶ uídentur dicti qui ín his locís magiſtratíbus inſeruiebant. Equídem Paulus líturgos appellat publícos ſacrorum miníſtros: eſt ítaque líturgía uetus uerbum uſurpatum ín publícis miníſterijs: in religione ſignificat publícum alíquod miníſterium ſacrum. Ita legís in Act. apoſtolorũ cap. decímotertío, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, id quod Eraſmus uertit, Cũ uero illi ſacrificarent domíno. Vetus ínterpres autem expoſuit, Miníſtrantíbus uero ipſis domíno. Vterque rectè uertit. Hoc enim dícere uoluit, Cum operam impenderent rebus díuínis & miníſteria publica ſacraq; exercerẽt, &c. Chryſoſtomus enim, Quid eſt, ínquit, miníſtrantibus? Prædicantíbus. Neque ínepte adeò hoc dixit ſacer Chryſoſtomus. In 15. enim ad Romanos capite ait apoſtolus, Data eſt míhi gratía à deo ut ſim (λειτουργός) miníſter ſiue prædicator Chriſtí ín Gentes. Liturgia.

Rursus liturgiam usurpauit apostolus in 2. ad Corinthios 9. cap. pro collatione quam conferebant pij pauperibus. Proinde cum cœna dominica publicum sit sacrum solẽnis celebratio & charitatis misericordiæq; symbolũ, rectissime Græci hanc uocauere liturgiam.

Officium. Nec ineptum est Latinorũ uocabulum Officium. Officij enim nostri est agere gratias pro acceptis beneficijs per mortem Christi: officij nostri est diligere proximos: quæ quidem omnia celebrantur in cœna dominica. Et Officium non aliud esse aiunt authores Latini, quàm congruum actum uniuscuiusq; personæ, uel illud in quod quisq; incumbere debet, ut hoc sicut æquitas poscit effectum reddat.

Missa. Restat ultimũ & nostro sæculo usitatissimum Cœnæ uocabulum Missa. De hoc mirum est quàm uaria & incerta tradant scriptores noui: nec mirum est eos cæcutire in uocabulo & nomine rei qui ipsam rem nõ habent penitius perspectam. Plerique ideo putant Eucharistiam dictam esse Missam, quod per sacrificium sacerdotis filius mittatur ad patrem: qua deriuatione nescio si quid aliud possit fingi uel stultius uel impudentius. Rabanus Maurus lib. Instit. 1. cap. 32. Missa, inquit, est tempore sacrificij, quando catechumeni foras mittuntur, clamãte Leuita, Si quis catechumenus remansit exeat foras: & inde Missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati esse noscuntur. Missa est autem legatio inter deum & homines, cuius legationis officio fungitur sacerdos cũ populi uota per preces & supplicationes ad deum offert. Nec admodum ab his uariat & Innocentius, qui 6. lib. de sacro altaris mysterio cap. 12. Officiũ, inquit, diuiditur in Missam catechumenorũ & fidelium. Missa ca-

sa catechumenorum est ab introitu usque post offertorium: & dicitur Missa ab emittendo, quia eo tempore quo sacerdos incipiebat Eucharistiam consecrare catechumeni foras de ecclesia emittebātur. Missa fidelium est ab offertorio usq; post cōmunionem: & dicitur Missa à dimittendo quia tunc ad propria fidelis quisq; dimittebatur, &c. Hæc autē alij de uocabulo Missæ tradiderunt. Mihi autem uidetur uox à Syris esse mutuata, quibus Missa significat tributum, collectā siue collationem populi spontanei: siue ut alijs uisum est, munus personale quo aliquis se domino suo subditum attestatur, uel sese domino obstringit. Apparet ergo uocem illam ab ijs receptam esse gētibus, à quibus & religionem accepimus, & Cœnæ ideo datam quod in ea uectigalia sacra pendimus, gratiarum actionem ac laudem, quod in ea nos de familia & membris Christi esse attestamur. Plura fortassis nomina Cœnæ dari possunt, uerū illa explicuisse cōtenti ad alia properamus. Deut. 16.

Ritu simplicissimo & minime pompoſo Cœnam à domino & ab apoſtolis deniq; à priſcis apoſtolos proxime inſequutis celebratam fuiſſe. Cap. V.

DIximus de institutione ui & usu Cœnæ dominicæ, item de nominibus cœnæ: nunc uero dicemus quo ritu hanc ipse dominus, apostoli item, & qui apostolorum temporibus uicini fuerunt celebrauerint. Et certum quidem est ipsum dominum Iesum citra omnem ceremoniarum pompam simpliciter & frugaliter cœnam cum discipulis celebrasse. Neque enim obscurum est quid de eo prodiderit Euangelica historia. Abrogauerat iam ueteris pæsæ ceremonias, mysteriū substituebat simplex & minime operosum dominus. Nam ceremoniæ operosæ & figuræ Christus.

legis fuerunt: Euangelium autem non nisi syncerita-
tem & ueritatem requirit, plus habens pietatis quàm
apparatus, utpote consistens non in carne sed in spiri-
tu. Discumbit ergo cum discipulis, panem accipit,
frangit, hæc insuper addens, Accipite, edite, hoc est
corpus meum quod pro uobis datur, Hoc facite in
mei commemorationem. Et quæ sequuntur: nam no-
ta sunt uerba cœnæ dominicæ. Interim plurimus est
in docendo & exhortando, ut mysterium salutis recte
intelligerent crederentq́, & mutua se inuicem chari-
tate diligerent, beneficentiam dei laudarent, denique
& synceriter orarent. In his enim uersatur uera pie-
tas, neque aliud tradit Ioannes in Sermone illo conui-
uali nobili & diuino.

Apostoli. Apostoli quoque non aliud tradiderunt ecclesijs
quàm quod acceperant à domino. Hoc enim fidei illo-
rum erat & officij. Credebant illi Iesum Christum dei
esse sapientiam, itaq; ne in mentem quidem ipsorum
unquam uenit ritum ceremonijs auctiorem ecclesijs
profuturum. Imò Paulus Corinthijs scribens annis ab
ascentione domini, ut minimum supputem, 26. non a-
liud se traditurũ quàm quod acceperat à domino san-
cte profitetur. Quod si alius ritus potuisset inueniri
ecclesijs commodior & melior, profecto eximium il-
lud dei organum Paulus, qui intra XXVI. annos &
inspiratione diuini spiritus, & exercitatione diuinoq́
usu per uarias proficiscens ecclesias multa didicerat,
commoditatem illam reperisset & diligenter commen
dasset ecclesijs, nunc autem ad institutionem prima-
riam respicit, & ritum à domino traditum laudat, neq́
aliud quàm quod ipse à domino acceperat Corinthijs
tradit. Et quo minus supereesset dubij, recẽset quid ac-
ceperit

ceperit à domino: neque interim amplius aliquid aut minus recenset, quàm cæteri apostoli uiriq; apostolici, Matthæus, Marcus & Lucas ecclesijs exposuerunt. Ergo cum conuenisset fideliũ cœtus prædicabant apostoli euangelium de Christo Iesu, addebant puras preces, hinc uero frangebant panem, & laudes dicebant diuinæ beneficentiæ, & quoniam in unũ corpus coierant, fraterna charitate quisq; alteri inseruiebat. Hunc ritum ab apostolis concorditer in omnibus ecclesijs obseruatum fuisse testãtur Acta apostolica. Nam 2. cap. sic legis, Qui libenter acceperunt sermonem dei baptizati sunt. Et erant perseuerantes in doctrina apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus. Quæ magnus ille Erasmus Roterod. exponens, Itaq;, ait, qui se iunxerant numero discipulorũ, perseuerabãt in doctrina apostolorum, atq; in sumendo symbolo fœderis nunquã rumpendi, quam illi communionem uocabant. Id à domino traditũ erat huiusmodi. Frangebatur panis, & ex eo cuiq; dabatur particula, atq; hoc agentes in memoriam dominicæ passionis, agebant gratias diuinæ benignitati, qui per unici filij sanguinem ipsos expiasset à peccatis, qui per eiusdem indebitam mortem ipsos coaptasset in hæreditatem uitæ æternæ, &c. Rursus in Actis 20. cap. ita legis, Vno autem die sabbatorum, cum conuenissent discipuli ad frangendum panem Paulus disserebat eis. Vbi denuo habes prędicationem & fractionem panis simplici quadam ratione celebratam.

Quod si cui libeat & hominum audire de hac re testimonia, recensebimus quædam recentiorũ quorundam. D. Gregorius epist. lib. 8. epi. 7. Mos, inquit, apostolorum fuit ut ad ipsam solumodo orationẽ domini- *Ad orationem dominicã cœnatum.*

cam oblationis hostiam consecrarent. Hausit id nimirum ex D. Hieronymo qui 3. libro contra Pelagianos dicit dominum docuisse apostolos ut orationem dominicam dicerent super sacrificio corporis. Gregorium nimirum sequutus Guil. Durandus lib. ceremoniarum 4. diserte dixit, dominum instituisse quidē cœnam nec alijs uerbis usum esse quàm consecrationis: quibus apostoli adiecerint orationem dominicam: atque hoc modo idem author tradit D. Petrum primam in oriente Missam celebrasse. Non dissimilia his scribit & Innocentius lib. de sacro altaris mysterio 1. & Antoninus in historia Tit. 5. cap. 2. parag. 1. & Gab. Biel lectio. in canonem 25.

Ritus cœnæ uetustißimus.

Durauit autem hic ritus cœnæ multis ab apostolorum ætate annis in ecclesia illibatus, nisi quod paucula quædam addiderunt posteri. Talis enim ferè uidetur fuisse cœnæ ritus ante Augustini sæcula, anno post passum Christū quadringentesimo, Prodibat in cœtum post prædicatum euangelium sacerdos: at in prospectu populi instructa pane & uino stabat mensa mystica. Pone hanc se constituens, benedicebat populo ac dicebat, Dominus uobiscum. Excipiebat hanc populus uocem, dicens, Et cum spiritu tuo. Addebat ille, Sursum corda, admonens mystica esse quæ hic agenda forent animosq; à uisibilibus eleuandos esse ad inuisibilia. Populus itaque respondebat, Habemus ad Dominum. Hinc uero ad gratiarum actionem inuitans ecclesiam addebat, Gratias agamus Domino deo nostro. Respondebat plebs, Dignum & iustum est. His subijciebat sacerdos, Vere dignum & iustum est, æquum & salutare: & conuersus ad Dominum, nos tibi, aiebat, semper & ubique gratias agere Domine

mine ſancte pater omnipotens æterne deus per Chriſtum Dominum noſtrum: Qui pridie quàm pateretur accepit panem, gratias egit, fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & dixit, Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, Hoc facite, &c. His magna cum religione recitatis, ſubiungebat, Oremus, Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati audemus dicere, Pater noſter, &c. Poſt orationem dominicam populus ſacra percipiebat myſteria cõmunicabatq;. Hinc uero dimittebatur cœtus. Nec eſt ut quiſquam ſuſpicetur hæc nos ex nobiſipſis confinxiſſe; extant enim de hoc claſſicorum ſcriptorum teſtimonia. Nam Cyprianus in ſermone de Oratione dominica, Ideo & ſacerdos, inquit, ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo, Surſum corda, dum reſpondet plebs, Habemus ad dominũ, admoneatur nil aliud ſe quàm dominum cogitare debere. Et Auguſtinus de Bono perſeuerantiæ cap. 13. Quod ergo in ſacramentis, ait, fideliũ dicitur, ut ſurſum corda habeamus ad dominum, munus eſt domini, de quo munere ipſi domino deo noſtro gratias agere à ſacerdote poſt hanc uocẽ quibus hoc dicitur admonentur, & dignũ & iuſtum eſſe reſpondent, &c. Quæ præterea hic author de hac re tradiderit in epiſt. quadã ad Paulinum explicabimus cum ad Canonem fuerit peruentum.

Ex illis autem conſtat eccleſiam apoſtolorum temporibus uicinam ritum Cœnæ dominicæ quàm ſimplicíſſime & nulla prorſus cũ ceremoniarũ pompa celebraſſe: atq; utinã placuiſſet hoc etiã poſterioris ſæculi hominibus. Certe quicquid tandem adiectũ ſit ab his, adeò tamen ritus ille priſcus integer et abſolutus eſt ut eccleſijs dei ſolus hic ſufficiat, ſolus ſpectandus ſit. & *Sola domini inſtitutio ſpectanda.*

obseruandus. Extat de hoc elegans Sancti Cypriani disputatio epist. lib. 2. epist. 3. quam non grauabor his nostris adpendere. Non est, ait, frater charissime quod aliquis sequendam existimet quorundam consuetudinem, si qui in præteritum in calice dominico aquam solam offerendam putauerunt. Quærendum est enim ipsi, quem sint sequuti. Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique nos id audire & facere oportet quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit, cum ipse in euangelio suo dicat, Si feceritis quod mando uobis, iam nō dico uos seruos sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri pater etiam de cœlo contestatur, dicens, Hic est filius dilectissimus in quo bene sensi, ipsum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed dei ueritatem, cum per Isaiam prophetam deus loquatur & dicat, Sine caussa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Et iterum dominus in euangelio hoc idem repetat, dicens, Reiicitis mandatum dei, ut traditionē uestram statuatis. Sed & in alio loco ponit, & dicit, Qui soluerit unum ex mandatis istis minimis, et sic docuerit homines, minimus uocabit̄ in regno cœlorū. Quod si nec minima de mandatis domini licet soluere, quāto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia phas non est infringere? aut in aliud quàm quod diuinitus institutum est humana traditione mutare? Nam si Iesus Christus dominus & deus noster ipse est summus sacerdos

dei

dei patris, & sacrificium deo patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utiq; ille sacerdos uice Christi uerè fungitur, qui id qd' Christus fecit, imitatur: & sacrificium uerum & plenum tunc offert in ecclesia deo patri si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum uideat obtulisse. Cæterũ omnis religionis & ueritatis disciplina subuertitur, nisi id quod spiritaliter præcipitur, fideliter reseruetur, &c. Hæc Cyprianus manifestissimè docens ritũ illum antiquum, quem modo diximus, simpliciter & sine ceremoniarum luxu institutum traditumq; esse à domino, simpliciter obseruandum esse in ecclesia, imò non obseruandum modo, sed curãdum unicè ne alius pro hoc recipiatur, néue traditio diuina humana consuetudine aut institutione uel obscuretur uel corrumpatur. Et negari nõ potest nimium illud posterioris sæculi studium ceremoniarum & simplicitatem uiciasse apostolicam & multis erroribus occasionẽ suppeditasse. Vnde non immerito doluit Augustino ceremonias à Constantini imperio creuisse immodicè, talibusq; elementis Christianismi puritatem aggrauari. Præsensit enim spiritu prophetico errores quos nostra sæcula magno cum detrimento experta sunt.

Perstringuntur uaria quæ circa Cœnam domini considerari solent. Cap. VI.

ET quo dilucidiora ista fiãt tractabimus nunc quædam quæ circa cœnam & quæri & considerari solent, ut hinc inclaresçat, quomodo succedentibus sibi alijs atq; alijs sæculis increuerint ceremonię, quomodo item uariarit in ritu simplici humana stultitia nunquã non rerum nouarũ cupida, deniq;

quis inde nobis fructus in ecclesia Christi enatus sit.

De Loco cœnæ.

De Loco cœnę à ueteribus nil unquam contrauersum esse constat. Apostolici enim in ædibus forte oblatis Cœnã domini celebrarunt. Neq; uero ulla ipsis fuerunt templa. Nam de corde uirtutibus donisq; sancti spiritus ornato maior erat cura, quàm de tẽplo speciosso & pretiosis donarijs instructo. Interim uero non in angulis aut locis obscuris sacra sua peragebant Christiani, sed in publico aliquo loco & honesto. Nec dãnamus usum templorum, qui demum Constantini Imp. sæculo recipi cœpit: damnamus autem episcoporum consecrationes, exorcismos, characteres, & præstigiosum benedicendi ritum. Illis enim nuspiam usi leguntur uel apostoli uel apostolici uiri. Cæterum isti consecrationes illas suas mutuarunt ex lege, sed quàm rectè immiserint lucí euangelicæ umbras typicas, nemo est qui nõ intelligat.

De altaribus.

Huc pertinet cõsideratio altarium. Apostolica sæcula mensis positis cœnabant, ignorabãt aras fixas & lapide extructas. Nam portatilis mensa magis quadrat exemplo Christi: statæ uero aræ magis idoneæ sunt pecudibus mactandis fouendisq; ignibus: in quem finem aræ tam apud Iudæos quàm apud Gentes è lapide construebantur, uel è tabulis ære contectis aut terra interius oppletis. Quanq̃ damnari non queant aræ fixæ, si Cœnæ modo domini seruiãt. Et prisci mensas suas appellauere altaria, haud dubiè ad imitationem patrum ueteris testamenti. Porrò ueterũ aræ caruerunt omni ornatu externo, tempore Cœnę mundo aliquo panno insternebãtur. Vbi uero stultitia quorundam mirari purpuram ac gemmas cœpit, acu picta tapetia & pegmata nobilissima aris insterni & affigi cœpere.

Tempus

Tempus Cœnæ apostolis fuit liberum quidem, sed non inordinatum & temerarium. Tametsi enim dominus ad ritum ueteris Paschatis uespere peregerit Cœnam, Sobrij tamẽ & ieiuni ad res quaslibet aptiores fumus, imprimis ad religionis negotia percipienda. Vnde nõ citra rationem Cœnam domini antelucanis cœtibus uetustissimi celebrarunt. Interdum & noctu per occasionem fregerunt panẽ apostoli, ceu testatur Lucas in Actis apostolicis, cap. 20. Aegyptij Alexandriæ uicini & Thebaidos habitatores, ceu indicat Socrates Constantinop. sabbato quidem collectas agebant, sed non sicut moris erat alijs ecclesijs, sacramenta percipiebant. Nam postq̃ fuerant epulati, & cibis omnibus adimpleti, circa uesperam oblatione facta, communicabant. Hi proculdubio imitari exemplum domini uolebant uideri: sed ritum ipsorum hauddubie non approbasset apostolus, qui eadem prope sectãtes Corinthios acriter increpauit & ab instituto receptaq; consuetudine retraxit. Venit & illud in quæstionem apud ueteres, An Cœna dominica quotidie sit sumẽda? Verum apostoli hoc in uniuscuiusq; arbitrio reliquerunt, nulla certa lege lata. Quid eñ apertius est q̃ quod S. Paulus dixit, Quotiescũq; comederitis panem hunc, et de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciabitis, donec uenerit? Quo nimirum respiciens S. Hierony. ad Luci. dixit, Ego illud te breuiter admonendũ puto, traditiones ecclesiasticas (præsertim quæ fidei non officiant) ita obseruandas ut à maioribus traditę sunt: nec aliorum consuetudinẽ aliorũ cõtrario more subuerti. Et iterũ, Vnaquæq; prouincia abundet in sensu suo et præcepta maiorũ leges apostolicas arbitretur. Sed & D. Aug. grauiter in eos destomachatur, qui de hac re liti-

De tempore Cœnæ.

gioſas excitant quæſtiones, ac niſi quod ipſi faciunt nihil rectum exiſtimant: tandem uero ſubiungit, Dixerit aliquis nõ quotidie ſumendam euchariſtiam, alius contra. Rectius inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litẽ, qui monet ut præcipuè in Chriſti pace permaneant: faciat autem unuſquiſque quod ſecundũ fidem ſuã pie credit eſſe faciundum: neuter enim exhonorat corpus & ſanguinem domini. Contemptum ſolum nõ uult cibus ille. Et quæ ſequuntur.

Panis azymus.

Rurſus ab initio nulla fuit cõcertatio de pane azymo & fermentato. Vtroq; enim indifferenter utebantur. Videtur quidem dominus in Cœna uſus eſſe azymo pane, qui ex ueteris paſchatis inſtitutione relictus erat in menſa: utebantur itaque eodem multæ Chriſti eccleſiæ, quæ interim fermentato utentes non aſpernabantur, neq; hæreſeos notabãt. Fuiſſe enim qui uel ante quadringentos annos fermentatum panẽ fregerint in eccleſijs, teſtatur illa Clementis III. decretalis, quæ habetur de Cele. miſſarũ, Cõtra literas, lata aduerſum eos qui ligneo calice et pane fermentato ſacrificabant. Cyprianus primus de aqua uino miſcenda diſputare cœpit, cum hactenus eccleſiæ uinum duntaxat habuiſſent. Placebat hoc iſti propter myſterium. Epiſt. enim lib. 2. epiſt. 3. Quia, inquit, nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat, uidemus in aqua populum intelligi, in uino oſtendi ſanguinem Chriſti. Quãdo autem in calice uino aqua miſcetur Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & iungitur. Sic autem in ſanctificãdo calice domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec uinum ſolum poteſt. Nam ſi uinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi uero aqua ſit

Offerre, p exhibere, aut porrigere.

sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrunq; miscetur & adunatione confusa sibi inuicem copulatur, tunc sacramentum spiritale & cœleste perficitur. Hæc Cyprianus. At Græci interim neq; uino aquam miscuerunt, neq; azymo pane usi sunt, citra tamen hæreseos maculam utentes ueteri sua consuetudine, donec aliud definiret Pontifex Romanus.

Et uasa quidē Cœnæ dominicæ haud preciosa fuisse in primitiua apostolicaq; ecclesia inde colligi potest, quod in omnibus alijs rebus frugalitatē amarunt apostolici, luxum pessundauerunt. Igitur non alia habebant uasa, quàm patinas siue patellas ligneas, quas hodie appellitant Patenas, non satis quidem patentes ad excipiendum dominicum panem quantum sat esset ecclesię si legitime celebranda foret Cœna: & calices siue pocula uel lignea uel uitrea. Certè diuina lege cautum erat ne qua extrueretur ara lapidibus politis, qua quidem lege omnis sumptus & magnificentia in religionibus prohibebatur. Imo legis gentilem illum Numam Pompilium præcepisse nec argenteis, nec aureis sed fictilibus libare. Habuit quidē uetus ecclesia aurum et à temporibus Constantini principum munificentia ecclesię auro libabāt: sed clamabat Chrysostomus, in Cœna domini peragenda non aureis uasis sed aureis animis opus esse. Ambrosius item in Officijs, Qui sine auro, inquit, apostolos misit, et ecclesias sine auro congregauit. Aurum ecclesia habet, non ut seruet, sed ut eroget & subueniat in necessitatibus. Aurum sacramenta non quærunt, neq; auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est. Iam & S. Hieronymus laudat Exuperium Tolosanum episcopū, qui corpus domini canistro uimineo,

Vasa Cœnæ.

sanguinem portabat in uitro, quiq; auaritiam eiecerat è templo. Quanq̃ ergo essent ecclesię quę aureis argenteisue uterentur pateris, nõ deerant tamen uiri cordati, qui auro & argento è templis eiecto sanguinem domini ecclesiæ ligneis propinarent poculis. Neque hi à quoq̃ fidelium damnati reperiuntur, donec male feriatis quibusdã aliud uisum esset. Extat in Decretis Pontificijs de Cõsecrat. canon Triburien̄. Consilij super hac re, quem non pigebit his inserere. Est autem talis, Vasa in quibus sancta conficiuntur mysteria calices sunt & patenæ, de quibus Bonifacius martyr & episcopus interrogatus, An liceret in uasculis ligneis sacramẽta conficere, respondit, Quondam sacerdotes nõ aureis sed ligneis calicibus utebãtur. Zepherinus XVI. Romanus episcopus patenis uitreis Missas celebrare constituit. Deinde Vrbanus Papa omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim sicut & in reliquis cultibus magis & magis per incrementa temporum decus succreuit ecclesiarum: nostris ergo diebus ne decus ecclesiæ minuatur statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium in ligneis uasculis ullo modo conficere præsumat, &c. Audis ligneorum uasculorũ usum in Cœna dominica et longè uetustissimũ esse et multis annis durasse in ecclesia, cæterũ præter rationẽ & contra libertatẽ Christianã tero tandem abrogatum & luxum in ecclesias inductum esse. Quas enim isti causas instituti sui allegarunt prorsus uanæ sunt.

Vestitus sacer. Fuit & priscis uestitus simplex & maxime frugalis quo utebantur in sacris mysticis. Pallio plerunq; tecti ad mensam dñi prodibant seruituri ecclesiæ ministri: imò quæ maxime cuiq; regioni uestis uidebatur honestissima, illa tectus sacerdos corpus & sanguinẽ domini

ni cõsecrabat distribuebatq; antiquitus. At quæ hodie in usu est supellex à Iudaico sacerdotio petitam esse authoreſt Rabanus, qui li. Instit. 1. ca. 14. & sequentibus diligenter explicat quomodo hęc Aaronico cultui per oĩa respondeat. Innocen. aũt, quo fortius patrocinaret istí mũdo planè muliebri ac ludo puellari, ausus est manifeste pronunciare consuetudines legales nõ omnes esse abolitas. Locus extat lib. de sac. alt. myst. 4. cap. 4.

Ne contrectaueris.

Prętera nullę erant apud ueteres de nõ cõtrectandis sacris Cœnæ instrumentis leges. Nam illæ uoces, Ne tetigeris, nęue contrectaueris, hominum superstitiosorũ delyria esse credebant. Et dabatur panis eucharistiæ manu præsidentiũ in manus sumẽtiũ. Eò qd' dns oblato pane dixisset, Accipite, edite: & ad porrectũ poculum addidisset, Accipite hoc & diuidite inter uos, Lucæ 22. Rebus autem omnibus uergentibus ad deteriora, etiam in hac re sancitæ sunt leges de non contrectandis sacramentis ac ipsis etiam poculis.

Lingua.

Nec peregrina lingua, ut hodie fit, adhuc Gregorij tẽpore Cœna dñica peragebatur. Romæ enim omnibus nota erat lingua qua Canon erat scriptus. Nam & Gregorius egit cũ ecclesia sua patria, id est Latina lingua, id quod ipse testatur in Præfat. in Ezech. ad Marianum episcopum. Vtebantur & Græci in peragendis sacris lingua patria. Nam extat de hac re lex apostolica in 1. ad Cor. 14. ca. pręcipiens ut ministeria sacra in ecclesia lingua peragantur quæ intelligatur ab omnibus. Inter alia, Si benedixeris spiritu, inquit Apost. is qui implet locũ indocti quomõ dicturus est Amẽ ad tuã gratiarũactionẽ? Quandoquidẽ quid dicas nescit. Nã tu quidẽ bene gratias agis, uerũ alius non ędificat. Ergo cũ constet mysteriũ Cœnę totũ inter sacerdotem

& plebẽ peractum esse, ita ut præierit exhortando & diuinas laudes recitando sacerdos, responderit autem uocesq; exceperit ipsa plebs, necesse est linguam in sacris uulgarem & cuiq; genti propriam usurpatã esse. Quid quod in Nouel. constit. 123. Imp. Iustinianus Petro magistro sacrorum scribens in hæc uerba mandauit: Iubemus ut omnes episcopi pariter & presbyteri non tacito modo, sed clara uoce quæ à fideli populo exaudiatur Sacram oblationem & Preces in sancto baptismate adhibitas celebrent: quo maiore exinde deuotione in depromẽdis domini dei laudibus audientium animi efferantur. Ita enim & D. apostolus docet in epistola ad Corinth. Conuenit ergo ut inter cæteras preces & ea quæ in sancta oblatione dicitur clara uoce à religiosiss. episcopis & presbyteris domino nostro Iesu Christo deo nostro cum patre & sancto spiritu profera tur, scituris religiosissimis sacerdotibus, quod si quid horum neglexerint & in horrendo iudicio magni dei & seruatoris nostri Iesu Christi de his rationẽ reddent, neq; nos hæc cognoscentes conquiescemus relinquemusq; inulta. Hęc illa Cęsarea certè religiosiss. et ęquissima lex est. Vnde fateor me admodum mirari qui factum sit ut sacerdotes nostri non modo utantur in sacris publicis peregrina lingua, sed & ipsa uerba consecrationis mysteriaq; Missę suæ pronuncient uoce quã uix ipsi audiunt. An non metuunt omnium iudicem deum, cuius indignationem & plagas minatur sacerrimus Cæsar, si hoc pergãt facere quod faciunt? Verum audi præclaram quã facti sui causam reddunt. Fertur, ait Durandus lib. Ration. sui 4. Quod cum antiquitus publice & alta uoce Canon diceretur, omnes penè per usum illum sciebant & in plateis & in uicis decantabant.

bant. Vnde cum quidam pastores illum in agro cantarent, & panẽ super lapidem posuissent, ad uerborum ipsorum prolationem panis in carnem conuersus est, ipsi tamen diuino iudicio igne cœlitus missο percussi sunt: propter quod sancti patres statuerunt uerba ista sub silentio dici, inhibentes sub anathemate ne proferantẽ nisi à sacerdotibus super altare & in Missa et cum uestibus sacris. Hæc uerbotim ex ceremoniario Papistarum huc transferre uolui, nõ ut rideres, etsi ridendi satis amplam habeas materiam, sed ut fulminea illorum argumenta non ignorares, qui nunquam non & apud omnes nos accusant hæreseos quod sacra Christianorum mystica iuxta diuinas & Cæsareas leges patria lingua & uoce clara peragimus.

Iam & Cantus in ecclesia olim longe alius fuit & nunc sit. Id quod in Institut. lib. 2. capite 48. hisce uerbis testatur ipse etiam Rabanus, Primitiua ecclesia ita psallebat ut modico flexu uocis faceret resonare psallentem, ita ut pronuncianti uicinior esset quàm canenti. Propter carnales autem in ecclesia, non propter spirituales consuetudo cantandi est instituta, ut qui uerbis non compunguntur, suauitate modulaminis moueantur. Ad hæc certum est olim ecclesias apostolicas nihil recepisse nisi recitantis aut docentis uocem: & Gregorium illum magnum cantui in Romana ecclesia renunciasse: id quod in libro de episcop. Institut. funct. cap. sexto annotauimus. Restauratus tamen est cantus apud Longobardos, à quibus nimirum ad nos quoque cantandi studium translatum est. Scribit enim Paulus diaconus lib. de Gest. Longobardorum sexto, cap. 17. Luithprandũ regem musicos quosdam delegisse qui sibi diuina cantarent Officia. Et hodie *Cantus.*

quidem eò res deuenit ut templa lituis, tubis & fistulis atq; adeò bombardis personent, uixq; aliud audiatur, quàm uarius uocum garritus, ac musices genus tam operosum ac lasciuum, ut simile nunquam habuerint Ethnicorum theatra.

Varia tradi de Missa Papistica & inuentoribus eius. Cap. VII.

NT autẽ in loco & tempore, in uasculis & uestibus, hisq; rebus similibus uariarũt ecclesiæ, atq; ita uariæ multiplicesq; ceremoniæ accesserũt Cœnæ dominicæ: ita & in ritu uetustissimo multa sunt mutata creuitq; supra quàm cõueniat ceremoniarũ splendor. Dum enim quisq; pro libertate quam in ritu Cœnæ peragendo usurparunt prisci, quod sibi conuenientissimum uidebatur adderet & additionem illam alter ab altero mutuaret, factum est ut & uarius esset in ecclesijs Cœnæ ritus, & rituum uarij hodie inueniantur authores, imò eiusdem rei non raro plures legantur inuentores, dum hic primum inuentorem ille primum imitatorem authorem esse credit: ideo uero incerta traduntur à pontificijs de Missæ Papisticæ inuentoribus. Quæ quo fiant probabiliora subijciemus quæ in hac re obseruauimus.

Inuentores Missæ. Innocẽtius 3. de sacro altaris mysterio cõmentans, scribit D. Petrum Missam celebrasse ad uerba tantum consecrationis & paucissimas quasdam preculas. Cætera, inquit, diuersis temporibus & à diuersis personis legunt adiecta, prout Christianæ religionis cultu crescente uisa sunt decentius cõuenire. Hunc nimirũ sequutus Platyna in uitis pontificũ quid quisq; adiecerit explicare contendit, & in uita Sixti primi, In celebratione, inquit, mãdauit Sixtus ut Sanctus Sanctus Sanctus

ctus dñs deus ſabaoth cantaretur. Nuda primo hæc erant & oĩa ſimpliciter tractabantur. Petrus enim ubi cõſecrauerat, oratiõe Pater noſter uſus eſt. Auxit hæc myſteria Iacobus epiſcopus Hieroſolymitanus, auxit & Baſilius, auxere & alij. Nã Celeſtinus Miſſæ Introitum dedit, Gregorius Kyrie eleiſon. Gloria in excelſis deo, Teleſphorus. Collatiões Gelaſius primus. Epiſtolam et Euangeliũ Hieronymus. Alleluia uero ſumptũ eſt ex eccleſia Hieroſolymitana. Symbolum ex cõſilio Niceno. Mortuorum aũt cõmemorationem Pelagius inuenit. Thus Leo tertius. Oſculũ pacis Innocentius primus. Vt caneret Agnus dei Sergius Pontifex inſtituit. Hactenus Platyna qui quæ de Iacobo & Baſilio dixit ex Decretis pontificijs ſumpſit. Vt enim plurimum authoritatis in eccleſia haberet Miſſa Papiſtica, eius authorem fecerunt Iacobum domini fratrem, ſed quàm uere ipſi mox oſtendũt cum indicãt quid quiſq; Romanorum pontificum adiecerit. Nam ſi poſteri illi pontifices Miſſam, ceu ipſi dicunt, ordinarunt, explicent nobis quæſo quid reliquum ſit Iacobo quod ipſe nobis tradidit? Oportebat mendacem eſſe memorem. Veritas docet apoſtolos eccleſijs aliud non tradidiſſe quàm quod ab ipſo domino acceperant; at quale illud ſit quod acceperunt, expoſui cap. 5.

Iacobus author Miſſæ.

Platyna ſcribit Celeſtino authore inuentum eſſe Introitum; ſenſerunt idem Durandus, Albertus, Innocentius, Gab. Biel & reliqui. Verũ Chryſoſtomus Celeſtino antiquior Homelia in Matth. 11. ſcribit ueteribus fuiſſe uſitatiſſimũ ad myſteria Pſalmos canere; apparet itaq; Introitũ ab Aſiæ Græciæue eccleſijs eſſe translatum in Romanam eccleſiam. Nomen habet ab introeundo; id quod alij retulere ad Sacerdotem, alij

Introitus.

ad populum, quorum sententia uidetur esse ueriſimilior. Dum enim populus templum ingrederetur & ad ſacra colligeretur, canebãtur interim Pſalmi aliquot. Cuius quidem generis & Pſalmi ſiue cantica graduũ apud Hebræos olim fuiſſe uidentur.

Kyrie eleiſon. Preces κύριε ἐλέησον tribuunt alij Sylueſtro, alij Gregorio: at conſtat inſtitutionem eſſe non Latinam ſed Græcanicam, ab his haud dubie ad illos translatam. Variant tamen hi in numero. Nam cum Græci ſemel tantum canant Kyrie eleiſon, Romani nouies repetunt, id quod Gregorio authore receptum eſt, ceu ipſe teſtatur in Regiſtro.

Gloria in excelſis. Hymnum quem uocant angelicũ alij reducunt ad Teleſphorum, alij ad Hilarium, ad Simachum plericq; Toletanum Conſ. 4. cap. 12. hymnum illum cenſet ab eccleſiaſticis doctoribus eſſe compoſitum. Elegans ſanè & pius eſt, quocunq; tandem ab authore ſit conſcriptus. Pugnat contra Arrianos, gloriam Chriſti aſſerit & huius laudes canit.

Collectæ. Collectas ſemel omnes reijciunt ad Gelaſiũ & Gregorium. Rectius uero Innocentius de ſacro alt. myſt. lib. 2. cap. 26. iudicans ait, Orationes quæ circa principium Miſſæ dicuntur, Collectæ uocantur, eò quod ſacerdos qui fungitur ad deum legatione pro populo petitiones omnium in eis colligat & concludat. Propriè tamen collectæ dicuntur quæ ſuper collectã populi fiunt, dum colligit populus, &c. Et mox, Orationũ uero plures & uarij fuerunt authores, & in tantum earũ numerus et diuerſitas excreuit, ut VIII. Aphricanum conſilium, cui beatus Auguſt. interfuit, ita cõſtituerit, Nullæ preces uel orationes uel Miſſæ uel præfationes uel cõmendationes uel manus impoſitiones dicantur niſi in

niſi in Conſilio fuerint approbatæ. Et iterum idem Innocent. Gelaſius Papa, ait, tam à ſe quàm ab aliis compoſitas preces dicit ordinaſſe. Beatus aũt Gregorius, ſecluſis his quæ uel nimia uel incongrua uidebãtur, rationabilia coadunauit, & congrua multa per ſe adiecit, &c. De epiſtola dicam ubi euangelium attigero.

Gradualia & ipſa referunt ad Gelaſium & Gregorium; uerum ego arbitror illos omnia in hos reiecisſe quæcunq; ad authores certos reducere non potuerũt, Videtur magis Graduale nomen ſortiri à gradibus. Aſcendente enim presbytero in æditiorẽ locum ſiue cathedram ſacram populus interea diuinum implorabat auxilium, ut ſacerdos ſyncere ueritatem pronunciaret & populus audiret cum fructu: carmen itaque illud appellabant Graduale. Rabanus aliam attulit rationem. *Graduale.*

Olim ſemel tantum in anno apud Romanos pſallebant Alleluia primo die paſchæ: id quod teſtat Trip. hiſto. lib. 9. cap. 39. Et acclamationem quidem hanc de Hieroſolymorum eccleſia in Romanorũ translatam eſſe Damaſi temporibus, teſtis eſt ipſe Gregorius. Diſputauit & Auguſtinus de uario eius uſu in epiſto. ad inquiſitiones Ianuarij. *Alleluia.*

Tractum arbitratur Durandus ex inſtitutione cantari Teleſphori. Idem, Dicitur autem Tractus, ait, à trahendo, quia tractus canitur cum prolixitate uerborum, ad ſignificandam huius ſæculi miſeriam, & longam ſanctorum patrum expectationem, & Iudæorum in captiuitate Babylonica mœrorem. Quis uero ad has ineptias riſum teneat? *Tractus.*

De Sequentia ad hunc modũ ſcribit Albertus. Hęc non eſt generalis nec ab antiquo habita in eccleſia, ſed *Sequentia*

primus qui hoc diuino officio appoſuit Nothgerus fuit abbas Sancti Galli, qui etiam ferè oēs antiquas Sequentias fecit: ſed & ad imitationem eius quædam de poſteris dictamina Sequentiarū in ſuis eccleſijs inuenerunt & appoſuerunt, ſicut adhuc faciunt multi.

Euange. & Epiſt.

Euangelij & Epiſtolarū lectionem, ſunt qui credāt Hieronymi eſſe inuentum, quod primus eccleſijs commendarit pontifex Damaſus. Sunt alij rurſus qui lectionem ſacroſancti euangelij ad Teleſphorum reijciant. Cæterum cum ipſe Hieronymus in Apolog. contra Vigilantium aperte teſtetur euangelium in eccleſijs orientalium non ſine ceremonijs lucernisq; accenſis publice recitatum eſſe, apparet id figmenti inde obortum eſſe, quod Hieronymus ad preces Damaſi, quemadmodum ipſe teſtatur, Nouum teſtamentum, hiſtoriam uidelicet euangelicā & apoſtolicam unà cū apoſtolorum epiſtolis, è Græca uertit in Latinā, quam lucubrationem Damaſus Romanæ eccleſiæ commendaſſe dicitur. Alioqui celebris ſemper fuit in eccleſijs lectio prophetiæ ſiue ueteris teſtamenti epiſtolarumq; apoſtolicarum, prædicatio item ſacroſancti euangelij. Hinc enim ad nos peruenerunt Homeliæ ſanctorum patrum, quæ non aliud erant quàm ſacra colloquia & ſermones facti de euangelio ad plebē eccleſiaſticam. Quoties enim cōueniſſet eccleſia, epiſcopi ad cœtum concionabantur, in Miſſis præſertim. Viguit is ritus adhuc Gregorij ſæculo. Poſteaquam uero ſtudia interirent & epiſcopi præeſſent eccleſijs indoctiores, fruſtillatim conciſæ ſunt prophetiæ euangelia & epiſtolæ apoſtolorum, ſingulisq; diebus ſingulæ portiones datæ ſunt, additis ſimul Homelijs Gregorij, Maximi, Bedæ, Chryſoſtomi, Auguſtini ac aliorum doctorum

eccleſia-

ecclesiasticorum. Cuius quidem instituti authorem plerique faciunt Paulum diaconum, qui Caroli magni sæculo floruit. Porrò illæ Homiliæ iam peregrina lingua ab indoctis episcopis presbyterisq; non explicari, sed prælegi modo ecclesijs cœpere. Præterea pro salubri euangelij prædicatione ceremonias aliquot instituerũt, quarũ usus uel hodie durat in ecclesijs cathedralibus. Nam euangelicus codex habetur auro, ebore, gemmis pulchre ornatus: inter sacra religiose seruatur, non sine ueneratione ponitur & sumitur. Petitur à sacerdote pronunciandi facultas: fit sacer è thure, stacte, myrrha & galbano suffitus: frontes & pectora signantur crucis imagine: submissis ceruicibus defertur gloria domino: assurgitur ab omnibus: astatur erecto corpore, nudatis capitibus, arrectis auribus, uenerabundis oculis. Ad Iesu nomen quoties incidit curuantur genua, mox magna religione pectori admotus codex circumfertur, osculo singulorum adorandus, tandem inter sacra reuerenter reponitur. His ceremonijs admonere uolebant nihil oportere Christianis antiquius esse, nihil charius, nihil uenerabilius quàm doctrinam euangelicam. Verum dominus Iesus non hoc tradiderat apostolis, sed dixerat, Ite, prædicate euangelium omni creaturæ: ergo euangelium non cani sed prædicari debet in ecclesijs, neque uisibilibus quibusdam repræsentari spectaculis, uerum summa cum maiestate exponi ad ædificationẽ audientium.

Symbolum sunt qui referant ad Marcum pontificem, qui præfuit Romanæ ecclesiæ dum celebraretur Nicena synodus: sunt rursus alij qui eius institutionẽ *Symbolũ.*

Damaſo uendicent qui præfuit eccleſiæ dum celebraretur cõſilium Conſtantinopolitanũ. Neutri peccaſſe uidentur. Nam Nicena ſynodus celebrata eſt contra Arrium diuinitatem Chriſti negantem: Conſtantinopolitana uero aduerſus Macedonium reſpuentem ſpiritum ſanctum. Itaq; damnauit illa Arrium et orthodoxam doctrinam redegit in capita, quæ Marcus pontifex eccleſiæ ſuæ tradidit mox à concione ſacra recitanda. Hæc uero damnauit Macedonium & ſummam recte fidei de ſpiritu ſancto collegit, quæ & ipſa Damaſus ſuæ tradidit eccleſiæ poſt prædicationem euangelij recitandã: ut quotidiana admonitione hæreſim opprimerent. Itaq; Marcus priorem ſymboli partem legi inſtituit, Damaſus poſteriorem, cuius initium, Et in ſpiritum ſanctum dominum.

Offertorium. Offertorij autorem faciunt Eutichianũ, & ſuperua canea quædam garriunt, cum ita potius res habere uideatur. Per initia prædicationis euangelicæ multi ex gentibus cõuertebantur ad dominũ, & quia à teneris epulis & libaminibus aſſueuerant, aſſuetis difficulter ex integro renunciabãt, Eutichianus ergo infirmioribus nõnihil tribuendũ arbitrans, conceſſit ut cibos ac uina in cœtũ ſanctorũ inferrent, quibus mox benedicebat, ut illis uel priuatim uterentur uel in refectionẽ pauperum erogarent. Veteres enim Chriſtiani & qui proxime tempora apoſtolorũ attigerunt in cõmunione illa rerũ, hoc eſt, pauperũ ſubuentione perſeuerantes, ſtipem iacere dicebant, dum in pauperũ uſum pecunia offerretur: quod nõnulli ſtipem conferre dixerunt, dũ ſinguli cõtribuũt quod in uſum pauperũ conuertit. Porrò uaria rerũ genera offerri cõſueuiſſe ipſe etiã Gregorius innuit: pecudes enĩ oblatas in eccleſia

in Dia-

in Dialogis scripsit. A ditioribus autem præter pecuniam etiam preciosa offerebantur: et nomina eorum qui liberaliter contulissent coram ecclesia diaconus recitabat. Cæterum extra septa seu cancellos altaris stabant Diaconi oblata à populo accipiētes, quæ presbyter demum offerebat domino, cum precatione & gratiarum actione super oblatis rebus habita, quæ accepta esse cupiebat per dominū Iesum, per quem qui obtulissent redempti essent. Ex hoc ergo ritu in Missis remānsit offertorium.

Præfationes autē unà omnes ad Gelasium referunt & ad Gregorium: qua in re ipsi quid dicant uiderint. Nam certum est ueteres unica tantum usos esse præfatione, de qua dixi in cap. 5. *Præfatio.*

Porrò hymnum illum angelicū, Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus deus sabaoth, tribuunt authori Sixto: cum planè uideatur non usqueadeo uetus esse inuentum. *Sanctus.*

De Canone qui multa absurda, erronea, & impia habet nihil certi quādo & à quibus compositus sit, ipsi etiam Scholastici tradunt. Mire enim hic inopes sunt, hoc tamen omnes uno ore docent, quod diuersis temporibus consarcinatus sit à uarijs authoribus. Et Innocentius quidem omnium simplicissimè iudicasse uidetur. Nam lib. 3. de sacro alt. myst. cap. 10, sic scribit, Traditur qd Gelasius Papa LI. à beato Petro, qui fuit post Syluestrum per 160. annos Canonem principaliter ordinauit. Sed ut beatus Gregorius asserit in Registro, Scholasticus illam orationem composuit, quę super eucharistiam dicitur in Secreta. Hæc Innocentius. Nec Gregorius hoc quod ille asserit diffitetur, ceu uidere licet Parte 8. epist. 7. Nec potest negari multa in illo ipso *De Canone Missæ.*

Scholastici canone mutata esse à posteris, & quædam ab ipso Gregorio adiecta, imò & addita esse hodie quædam quæ in antiquis libris Missæ Romanę non leguntur. Præterea ecclesiæ Græcorum alium sequuntur ritum consecrando quàm Latinorum: neq; uero & horum ecclesias eandem semper formulam tenuisse uel Ambrosianus canon cõuincere potest. Mirum autem est rem usqueadeo seriam & momenti tanti non alijs niti colũnis & fulcris. Neq; enim ulla res alia plus maiestatis & uenerationis apud Pontificios habere uidetur, quàm Canon, hoc est, Cento ille missalis. Ego planè non uideo ullam in ipso maiestatem, imò cum quingentis demum annis ab apostolorum sæculo ab obscuro compositus sit authore, à Gregorio uel paulò ante Gregorij tempora receptus primum, & ab hoc alijsq; Gregorium insequentibus auctus, non uidetur talis esse qui multis excutiatur, aut de cuius partibus disputetur, aut confutetur diligentius. Neglígi enim ac contemni potest ceu inuentũ nuperũ & ineptũ. Certè si ipso caruerunt fideles citra salutis suæ periculum per sex integra sæcula, si ipsorum religio ac cultus integer nihilominus & incorruptus fuit, carere igitur illo & nos hodie possumus, ut salua nihilominus permaneat religio integerq; cultus noster.

Solẽnis in Cœna domini precatio.

Hoc tamen dissimulare nec uolo nec debeo, uidere me quasdam fuisse & ante Gelasij Gregorijq; tempora preces, quas & Cœnę præmiserunt & ad cœnã recitarunt prisci. Hieronymus enim in 3. ca. Sophonię commentans meminit cuiusdã solennis precationis, cuius tamen formã nõ prodit. Fortassis illã putauit quã nos 5. cap. posuimus, aut certè non dissimilem, canonẽ aũt qui hodie in usu est planè non intellexit. Nam Aurel.

Aug. epist. ad Paul. 59. testatur celebratas esse in ecclesia preces, orationes, interpellationes, siue benedictiones ac gratiarũ actiones, perstringens interim de quibus rebus illæ fuerint institutæ, de rebus in q̃ cœnæ sacræ maxime cõgruis, ut ex ipsis uerbis palã colligi possit tum quidẽ longe alias preces celebratas fuisse q̃ hodie celebrent uulgari canone. Verba Aug. ita habent, Eligo in his uerbis Apostoli, Obsecro itaq; primũ oĩm fieri obsecrationes, &c. hoc intelligere qd' oĩs uel pene oĩs frequentat ecclesia, ut precationes accipiamus dictas quas facimus in celebratione sacramentorũ, anteq̃ illud qd' est in dñi mensa incipiat benedici: orationes cum benedicit & sanctificatur & ad distribuẽdum cõminuitur, quã totã petitionẽ ferè oĩs ecclesia dñica oratione concludit. Ad quẽ intellectũ etiã uerbi Græci origo nos adiuuat. Nam eã quã dicunt εὐχήμ raro ita scriptura ponit ut intelligatur oratio, sed plerunq; & multo usitatius uotum appellat εὐχήμ, προσευχήμ uero qd' uerbũ ita positũ est unde tractamus semper orationem uocat. Et si usitatius, ut dixi, in scripturis uotũ appellatur εὐχή excepto nomine generali orationis ea propriè intelligenda est oratio quã facimus ad uotũ, id est πρὸς εὐχήμ. Vouentur autem omnia quę offeruntur deo, maxime sancti altaris oblatio, quo sacramẽto prędicat nostrũ aliud uotũ maximũ, quo nos uouimus in Christo esse mãsuros utiq; in cõpage corporis Christi: cuius rei sacramẽtũ est q̃ unus panis unũ corpus multi sumus. Ideo in huius sanctificatione & distributionis prępara tione existimo Apostolum iussisse propriè fieri προσευχὰς, i. orationes, uel ut nõnulli minus peritè interpretati sunt adorationes: hoc est enim ad uotum quod usitatius in scripturis nuncupatur εὐχή. Interpellationes

autẽ, siue ut nostri codices habent, postulationes fiunt cum populus benedicitur. Tunc enim antistites uelut aduocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis & participato tanto sacramento, gratiarumactio cuncta concludit, quam in his etiam uerbis ultimam commendauit Apostolus. Hactenus Augustinus, ex cuius uerbis id principio intelligis qđ ne suo quidẽ sæculo idem ritus obseruatus est in precibus illis Cœnæ. Huc eñ perttinet qđ dixit, Eligo intelligere qđ omnis uel penè omnis frequẽtat ecclesia. Deinde intelligis preces esse celebratas ad uota, priusq; uidelicet mẽsę domini benediceretur: intelligis præterea qualia fuerint precantiũ uota, pollicitationes uticp quod in societate unius corporis porrò per dilectionem uersari uellent, & postulationes quibus uires ad eam rem sanctè perficiendã petebant. Hisce uero præparabantur ad Cœnam. De Votis autem Christianorũ non reperitur idem ille scriptor uel alibi aliter docuisse. Nam illa Psal. 55. uerba, In me sunt deus uota tua quæ reddam laudes tibi, explicans, dicit, Vouete & reddite domino deo uestro. Quid uoueatis, quid reddatis? An forte animalia illa quæ offerebantur ad aras aliquando? Nil tale offeras. In te est quod uoueas & reddas. De cordis arca profer laudis incensum, de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. Quicquid profers accende charitate. Et in Psal. 115. idem ille, Reuera, inquit, quisquis bene cogitat quid uoueat domino, & quæ uota reddat, seipsum uoueat, seipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Inspecto nummo dominus dicit, Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei sunt. Imago sua reddatur Cæsari, imago sua reddatur deo, &c. Preces illas

Vota siue preces fidelium.

& uota præparatoria, ſequebatur mox conſecratio & ſanctificatio, ad quam ſimul cõminuebatur in partes quod diſtribuendum erat fidelibus. Cæterum ne quis impingat ad benedictionis, ſanctificationis, aut conſecrationis uoces, ſciendũ eſt ueteres illis uocibus uſos eſſe promiſcuè. Conſecrare autem & ſacrare dixerunt non uerbis uelut conceptis, aut ad hoc relictis, ſeu tali uirtute prædítis rerum ſubſtantias tranſmutare, ſicut hodie plerique Papiſtæ loquuntur, ſed rem quampiam ſacro uſui ita uendicare & addicere, ut iam ſancta ſit, et prophanare nephas habeatur. Fiunt enim per conſecrationem ſymbola quod ante non erant, à uulgari nimirum uſu ad ſacrum & myſticum translata & benedicta. Ad quem modum ueteres quoque dicata templis aut donata Sacrari Cõſecrariq; dixere. Vnde & à Cornelio Frontone Conſecratum dictum, quod quaſi ſanctum conſtituitur, quod ante prophanum fuit: prophanum autem dictũ cuius promiſcuus erat uſus. Porrò apparet hic publicè recitata eſſe uerba Cœnæ ſolennia, quæ appellant conſecrationis. Ex his enim diſcebãt fideles quis erat illius inſtituti author, & qualis proponebatur cibus. Verbis Cœnæ mox coniungebatur oratio dominica. Poſtea fiebant interpellationes ſuper ſuſceptis in unitatem corporis. His enim benedicebatur à miniſtro ſacrorum, forma nimirum accepta ex 6. Numerorum capite, ubi ſic legis, Et dixit dominus ad Moſen, Loquere ad Aaron & ad filios eius, dicens, Sic benedicetis filijs Izraël dicetisq; ad eos, Benedicat tibi dominus, & cuſtodiat te. Illuminet dominus faciẽ ſuã ſuper te, & miſereatur tui. Leuet dominus faciẽ ſuam ſuper te & ponet te in pace. Ad quem modum & antiſtes ſacrorum dicebat fortaſſe, Pax domini ſit ſemper

Cõſecrare

uobiscum. Post quę participabant omnes de mensa dominí mystica, agebantq; domino pro tantis sibi exhibitis beneficijs gratias. Ab his uero quã alienus quæso est Canon ille Scholastici, aliorumq; Romanorum pontificum prolixus & ineptus? Merentur ergo paleas quibus uile uidetur triticum: ego simplicem & uetustissimum illum Cœnæ ritum omnibus prætulero Romanorũ pontificum Centonibus. Canonem illi appellarunt haud dubiè regulam, quod ueluti præscriptum quoddam & lex quædã sit docens quomodo oporteat diuinum peragere mysterium.

Agnus dei Et 700. demum anno ab incarnato Christo Sergius pontifex eius nominis 2. statuit ut inter communicandum Agnus dei à clero cantaretur.

Cõmunio. De Communione uero ad hunc modũ scripsit Albertus in lib. de Offi. Missæ, Primum in usu fuit ut omnes in ecclesia conuenientes omni die cõmunicarent. Cum autem hoc crescente multitudine non satis idoneè seruari posset, cõstitutum est ut cõmunicarent diebus dominicis. Cum autem & hoc ritè non seruaretur, constitutum est ut communicarent tribus in anno uicibus iuxta legem Exodi 23. scilicet in Pascha, Pentheoste, & loco Scenopegiæ in Natiuitate domini. Cũ autem nec hoc ritè seruaretur, nuper in consilio Lateraneñ. constituit ecclesia q; semel in anno in Pascha fieri debet, &c. Ita uerò factum est, ut in Missis inane communionis uocabulum remanserit. Nunc enim priuata sacerdotis peragitur sumptio, nec tamen sine quæstu & mercatura.

Conclusio Missæ. Postrema oratione gratias agit de sacramenti perceptione sacerdos, & annũciat ecclesiæ peractum iam esse sacrificium. De quo nemo illorum prodit quo authore

thore profectũ sit. Innocentius dicit ea actione postrema significari ascensionem domini in cœlos & gratulationem discipulorum qui adorantes regressi sunt Hierosolymam cum gaudio magno laudantes & benedicentes dominum.

Qualis uideatur medij temporis Missa fuisse, & unde noster ille missandi ritus ueniat. Cap. VIII.

EX his uero uarijs & multiplicibus ueterum & neotericorum sententijs ac traditionibus coniectura quadam prope colligere licet qualis nam fuerit ritus cœnæ domini ecclesiarũ medij inter Augustinum & Gregorium temporis.

Confluebat ad publica & diuina sacra fidelis populus in templum domini. Dum autem ingrederetur, ab ijs qui iam conuenerant Psalmi aliquot ab alijs quidem psallebantur ab alijs recitabantur duntaxat, donec uniuersus cœtus plenè conuenisset. Vbi uero conuentum esset unanimi concentu acclamabatur dño Kyrie eleison, dñe miserere. Addebatur à quibusdã hymnus, quẽ uocant angelicũ, cuius initiũ est Gloria in excelsis deo. Hoc finito collectã dicebat minister ecclesiæ, qua oĩm necessitates & omnia ecclesiæ uota deo recitabat. Deinde prælegebatur à diaconis eruditioribus locus aliquis siue ex libris propheticis, siue ex literis apostolicis ꝓ temporis loci & populi ratione delectus. Quibus absolutis in æditiorẽ locũ per gradus ascendebat uel epũs uel eruditus aliquis diaconus euãgeliũ Christi annũciaturus. Plebs interim carmine cõcepto sancti spũs gratiã implorabat. Hĩc magna cũ reuerẽtia prælegebat euangeliũ cõcionator et diligenter ac religiose exponebat. Ad finem cõcionis sacræ recitabat symbolũ, quod

Missa sanctorum patrum uetus.

apostolorum uocant, uel Nicenum, uel Secundo conditum. Præterea totam ecclesiam inuitabat ad beneficentiam, ut quilibet pro suis facultatibus aliquid cõferret in ærarium pauperum ecclesiasticúmue. Mox ergo inferebantur munera. Et Pontius Paulinus author est mensam in ecclesia poni solitam pro pauperibus cibo reficiendis, quam & domini Mensam uocat & à domino positam. Hac inquam ratione & hisce ceremoniis autritu aliquo huic non dissimili, crediderim preces & prophetiam in sacris cõuentibus celebrasse mediæ ætatis ecclesias, ac ad ipsam domini Cœnam fidelium mentes præparasse: quanquam non diffitear fuisse ecclesias quæ non habuerint in usu uel Introitum, uel Hymnum angelicum, uel alia his similia & minutiora, sed preces modo ac prophetiam cũ eleemosyna. Vbi uero peruentum esset ad mysteriorum celebrationem, prodibat ad mensam episcopus, & prefatione (cuius initium erat Dominus uobiscum, Sursum corda, cuiusq; meminimus in cap. 5.) præparabat corda fidelium ad percipienda mysteria & agendas gratias. Subiungebat prefationi uota fidelium cum oratione dominica. Deinde recitabat uerba consecrationis, quibus expositis benedicebat populo, & sacramenta distribuebat ecclesiæ, post quæ communis deo gratiarum actio sequebatur, paceq; imprecata dimittebatur cœtus.

Missa Gregoriana. Huic autẽ ritui satis alioqui instructo ceremoniis, quędam adiecit Gregorius, quędam in eo immutauit, adeoq; totam Missam legibus quibusdam astrinxit, & talem propemodũ dedit qualẽ hodie habemus. Hinc emm à pleriscq; dicitur author Missæ. Albertus enim diserte dixit, Eccles. 47. dicitur, Dauid dedit in celebrationibus decus & ornauit tempora usq; ad consumma

tionem

tionem uitæ. Hoc enim de beato Gregorio potest intelligi qui resecando superflua & apponendo necessaria & ordinans confusa dedit decus ecclesiasticum in celebratione officij diuini. Fatet hoc ipse in Registro suo Gregorius reparasse uidelicet se consuetudines ueteres ac constituisse nouas ac utiles. Nam uerbis eius utimur. Alibi uero idem neminē ad Missam Romanam astringit, aperte cōfitens uarias esse ecclesiarū in peragendis sacris mysterijs consuetudines, denicq; & in cuiuscq; situm arbitrio quam sequatur quiscq;. Cum enim Augustinus episcopus Cantuarien. Anglorū apostolus interrogaret, Cum una sit fides cur sunt ecclesiarū diuersæ consuetudines, & aliter cōsuetudo Missarum in sancta Romana ecclesia, atq; aliter in Galliarum ecclesijs teneat? Respondit Gregorius in hæc uerba, Nouit fraternitas tua Romanæ ecclesiæ consuetudinem in qua se meminit nutritum quàm ualde amabilem te habeat. Sed mihi placet, ut siue in Romana siue in Galliarum siue in qualibet ecclesia aliquid inueneris quod plus omnipotenti deo possit placere, solicite eligas in Anglorum ecclesia, quæ adhuc ad fidem noua est, institutione præcipua, quæ de multis ecclesijs colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amāda sunt. Ex singulis ergo quibuscq; ecclesijs quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculo collecta apud Anglorū mentes in consuetudinem depone. Quanquam ergo Gregorius certis legibus astrictam ecclesiæ Romanæ Missam tradidisset, nemo tamen compellebatur in Romanam iurare formam: manebant nihilominus reliquis per occidentem ecclesijs suæ ceremoniæ illibatæ ac liberæ, donec sua sponte ecclesijs quibusdam Hispani-

ensibus placuisset in eandem iurare formam abrogata rituum per Hispanias uarietate. Nam Conc. Toletanum 4. in hæc uerba decreuit, Placuit omnibus sacerdotibus ut nihil ultra diuersum aut dissonum in ecclesiasticis sacramentis agamus, ne illa nostra diuersitas apud ignotos seu carnales schismaticis errorem uideatur ostendere, & multis extet scandalum uarietas ecclesiarum. Vnus ergo ordo orandi atque psallendi à nobis per omnem Hispaniam atque Gallicíam conseruetur, unus modus in Missarum sollennitatibus, unus in uespertinis officijs, nec diuersa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo, quia una fide continemur & regno. E quo decreto primum colligimus uarietatem rituum in Cœna domini etiam post mortem Gregorij duraſſe. Aliquot enim annis post ætatem Gregorij collecta est illa Hispanienſis Synodus. Deinde propter unitatẽ regni & unum Missandi ritum esse receptum. Sequuta sunt Hispanienſium exemplum & alia nimirum regna, in primis autem regnum Italiæ & Francorum, quod Pipini, Caroli & Lodouici principum temporibus totum pependit à Romanis pontificibus. Et magni quidem Caroli potentia & imperium latissime patuit. Subdiderat is sibi totum propè occidentem. Neque deerant huic episcopi & consultores qui ingererent ad incolumitatem regni pertinere religionis & rituum paritatem, Romana autem ecclesia meliorem Cœnandi ritum non habere ecclesiam ullam. Vtcunque uero id habeat, in aperto est Germanorum ecclesias Missandi ritum accepisse ac didicisse à Romanorum ecclesia. Nam Germania illa uetus receperat quidem fidem ac religionem uetam mox ab ipsis apostolorum temporibus. Numerantur

Germania ad fidem conuersa.

tantur enim inter clariſſimas orbis eccleſias Germanicæ ab Irenæo uetuſtiſſimo & proximo apoſtolorum temporibus ſcriptori, lib. contra hæreſes 1. cap. 3. Cæterum bellorum perpetuis tumultibus factum credo ut relapſa ad priſtinas ineptias ueram religionem tandem prorſus ignorauerit. Venerunt ergo ex Italia, Anglia, & Scotia, uiri boni qui Germanos ad Chriſtũ reducere cupiebant, quales fuiſſe ferunt Columbanum, Gallum, Vilibrordum qui & Clemens dicebatur, Pirminium, & nonnullos alios. Gregorius eius nominis II. Pontifex Romanus Vnnefridum Anglum, aliâs Bonifacium dictum, miſit in Germaniam, dum numeraretur annus domini 720. qui cum epiſcopus creatus eſſet Moguntinus, multũ certe potuit per uniuerſam Germaniam. Alioqui enim fama ſanctimoniæ & eruditionis claruit, tandem et martyrio miniſterium ſuũ conſummauit. Cæterum quibus præſcriptis conditionibûsue miſſus ſit in Germaniam, docet Gregorij quæ etiamnum extat ad Bonifacium epiſtola, in qua inter cætera ſic legis, In nomine indiuiſibilis trinitatis per inconcuſſam authoritatem beati Petri apoſtolorum principis, cuius doctrinæ magiſterijs diſpenſatione fungimur, inſtituimus atque præcipimus, ut per ſpiritum ueritatis & dilectionis & ſobrietatis prædicationem utriuſque teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione infundas. Diſciplinam denique ſacramenti quum ad mittendos Deo præuio credituros tenere ſtudeas ex formula officiorum ſanctæ noſtræ apoſtolicæ ſedis inſtructionis tuæ gratia prælibata uolumus ut intendas. Et iterum, Volo ut eos ex apoſtolicæ ſedis huius doctrina informes & in eadem catholica fide permanere conſtituas.

Primus Moguntinus epiſcopus.

Præterea extat formula quædã iuramenti, qua se Bonifacius Romanæ obstrinxit ecclesiæ, in hæc uerba iurans, In nomine domini dei & saluatoris nostri Iesu Christi, imperante domino Leone à deo coronato magno imperatore anno VI. post Consulatum eius, sed & Cõstantino magno imperatore eius filio anno IIII. Indictionis sextæ, Promitto ego Bonifacius dei gratia episcopus uobis beato Petro apostolorum principi, uicarioq; tuo beato Papæ Gregorio successoribusq; eius, per patrem filium & spiritum sanctum trinitatem inseparabilem & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei catholicæ exhibere & in unitate eiusdem fidei deo operante persistere, in qua Christianorum salus esse sine dubio comprobatur, nullo modo me contra unitatem communis & uniuersalis ecclesiæ, suadente quopiam consentire, sed ut dixi fidem & puritatem meam atq;
„ concursum tibi & utilitatibus tuæ ecclesiæ cui à domi
„ no deo potestas ligandi soluendiq; data est, & prædicto uicario tuo atque successoribus eius per omnia exhibere: sed & si agnouero antistites contra instituta antiqua sanctorum patrum conuersari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionẽ, sed magis si ualuero prohibere prohibeã, sin minus, fideliter domino meo apostolico annunciabo. Quod si (quod absit) contra huius promissionis seriem aliquid facere quolibet modo uel occasione tentauero, reus inueniar in æterno iudicio, ultionem Ananiæ et Saphyræ incurram, &c. Iccirco cum occidentales ecclesiæ, Germanicæ in primis, religionis cognitionem Romanæ debeant ecclesiæ, præcipuiq; Germanorum prædicatores sacramento Romanis obstricti fuerint pontificibus,

bus, profecto nil mirum est si & dogmata & ritus Romanæ ecclesiæ receperunt. Nam Moguntino episcopo ut Germaniæ primati magna pars episcoporū per totam Germaniam subiecta fuit. Certe sextus à Bonifacio Moguntinus episcopus Rabanus libro Institut. 2. cap. 33. manifeste dicit omnes penè occidentis ecclesias eandem traditionē in mysteriis celebrandis à Romana accepisse ecclesia. Præterea extat apud nos Tiguri in Bibliotheca Abbatiæ uetustimus codex sacrorum, è quo hoc ipsum quod Rabanus testatur colligere licet. Aureis enim literis & uetustissima elegantissimaq; pictura, hæc mox ab initio uerba ponuntur. In nomine domini incipit liber Sacramentorum de Circulo anni, expositus à Sancto Gregorio Papa Romano, æditus ac scriptus ex authentico libro Bibliothecæ cubiculi, qualiter MISSA ROMANA celebratur. Apparet enim uel ex hac breui inscriptione è Romana ecclesia Missam Romanam & in ecclesias nostras esse translatam. Nam ex eo libro ueteres sacerdotes Missam celebrasse dicuntur. Deinde ordine certo describitur, qualis fuerit tum Missa Romana. Nam in hæc uerba subiungitur superioribus, Hoc est in primis Introitus, qualis fuerit statutis temporibus, seu diebus festis. Deinde Kyrie eleison. Item dicitur Gloria in excelsis deo, si episcopus fuerit tantum die dominico: à presbyteris autem minime dicitur nisi solo in Pascha. Quodā uero Letania agitur, neq; Gloria in excelsis Deo neq; Alleluia canitur. Postmodum dicitur oratio. Deinde sequitur apostolus. Item Graduale seu Alleluia. Postmodum legitur Euangelium. Deinde Offertorium, & orant super oblata. Deinde di-

cit excelsa uoce, Per omnia sæcula sæculorum. Resp. Amen. Dominus uobiscum. Respon. Et cum spíritu tuo. Sursum corda. Respon. Habemus ad dominum, Gratias agamus domino deo nostro. Resp. Dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere domine sancte pater omnipotens æterne deus per Iesum Christum dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Cœli cœlorumq; uirtutes ac beata Seraphin socia exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras uoces, &c. Sequitur enim canticum, Sanctus Sanctus, & Canon ille cuius initium est, Te igitur clementissime. Variat tamen hic noster in quibusdã à uulgari qui hodie in usu est. Nam ut memoriam mortuorum planè nõ habet, ita ad Canticum Agnus dei finitur.

Rabanus de Missa Romana.

Cæterum quo plus lucis toti isti negotio illucescat, non grauabor his inserere quæ Institut. lib. 2. cap. 33. & 32. de ordine Missæ Romanæ paulò copiosius scripsit Rabanus. Fuit hic, ceu de eo in scriptoribus ecclesiasticis tradit Abbas Spanheymensis, natiõe Theutonicus, uir in diuinis & humanis literis eruditissimus, Albini Anglici quondam auditor, monachus ordinis sancti Benedicti, & primo quidem Abbas Fuldensis, deinde præsul Moguntinus. Floruit anno ab Incarnatione domini 830. excessit autem sub regibus Lodouico & Lothario anno 855. Hic ergo de Missa Romana per totum penè occidentẽ suo sæculo recepta hæc tradit, Cum benedictione & gratiarũactione primum dominus corporis & sanguinis sui sacramenta dedicauit & apostolis tradidit, quod exinde apostoli imitati fecerunt

fecerunt & succeſſores ſuos facere docuerunt. Sed enim in initio mos iſte cantandi non erat qui nunc in eccleſia ante ſacrificium celebratur: ſed tamen epiſtolæ Pauli recitabantur & ſanctū euangeliū. Verum quia de Sacrificij celebratione uerba facere incœpimus, ſecundum quam conuenientiam omnis ordo ille inſtitutus ſit proſequamur. Primum autē in celebratione Miſſæ ad Introitum ſacerdotis ad altare antipho na cantatur à clero ut audiatur ſonitus quando ingreditur ſanctuarium in conſpectu domini, ſicut in ueteri teſtamento per tintinnabulorum ſonitum ingreſſus innotuit pontificis. Bene ergo in ingreſſu ſacerdotis concrepantibus choris auditur modulatio diuinæ laudis, ut dominicæ celebrationis myſteria miniſtrorum pie præcedat conſonantia, & corporis & ſanguinis Chriſti uenerabile ſacramentum antecedat dignæ laudis ſacrificium. Namque chorus eſt multitudo in ſacris collecta. Poſt introitum autem ſacerdotis ad altare, letaniæ aguntur à clero, ut generalis oratio præueniat ſpecialem ſacerdotis. Subſequitur autē oratio ſacerdotis, & pacifica primum ſalutatione populum ſalutans pacis reſponſum ab illo accipiat, ut uera concordia & charitas, pura deuotio facilius poſtulata impetret ab eo qui corda aſpicit & interna dijudicat. Tunc Lector legit lectionem Canonicam, ut animus auditorum per hanc inſtructus ad cætera intentior aſſurgat. Poſt hanc ergo Cantor dicit Reſponſorium ut ad compunctionem prouocet & leues animos audientium faciat. Reſponſorium ergo inde dicitur quod alio deſinente id alter reſpondeat. Reſponſorium iſtud quidam Gradale uocant, eò quod iuxta gradus pulpiti cantatur.

Præparatio ad Miſſam.

Post Responsorium cantatur Alleluia, scilicet ut ad cœlestia mente populum subleuet & ad diuinam contemplationem erigat. Deinde à Diacono cum summa authoritate in auribus populi recitatur Euangelium, ut ipsius ibidem audiatur doctrina ad quem feruet intentio tota, ipsiusq; uirtus intelligatur per Euangelium, cuius tunc corporis sacrosanctum celebratur mysterium. Per hoc oblationes offeruntur à populo, & Offertorium cantatur à clero, quod ex ipsa caussa uocabulum sumpsit, quasi offerentium canticum, immittiturq; super altare corporalis pallium, quod significat lintеũ quo corpus saluatoris inuoluebatur, quod ex lino puro textum esse debet, & non ex serico uel purpura, neque ex panno tincto, sicut à Syluestro Papa institutum inuenimus. Ponuntur quoque tunc uasa sancta quod calix est, & patena super altare, quæ quodamodo dominici sepulchri typum habent. Quia sicut tunc corpus Christi aromatibus unctum in sepulchro nouo per piorum officium condebatur, ita modo in ecclesia corpus mysticum illius cum unguentis sacræ orationis conditum in sacris uasis ad percipiendũ fidelibus per sacerdotum officium administratur.

Missa uera Postea cantatur Missa à sacerdote, qui postquam loquutus est ad populum de eleuatione cordis ad dominum, exhortatur eos ad gratias agendas domino, & laudibus os implens rogat ut ipse omnipotens Deus pater cui deseruiunt cœlestes potestates sua gratia illorum uocibus iubeat humanas associare confessiones: quam deprecationem mox sequitur laus ex angelicis & humanis cantibus cõfecta, Sanctus Sanctus Sãctus dominus deus sabaoth, & cætera. Dehinc iam cõsecratio corporis & sanguinis dñi fit, & deprecatio

ualida

ualida ad deum, inter quæ & dominica oratio decanta tur. Postq̃ enim ad communicandum & ad percipien dum corpus peruentũ fuerit, pacis oſculum ſibi inui cem tradunt, cantantes Agnus dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis, ut pacifici ſacramentum perci pientes in filiorum dei numero (remiſſis delictis omni bus) mereantur copulari. Poſt communionem ergo et poſt eiuſdem nominis canticũ data benedictione à ſa cerdote ad plebem, Diaconus prędicat Miſſæ officium eſſe peractum, dans licentiam abeundi. Hæc ad uer bum Rabanus.

Iam uerò claret quid ceremoniarum ſtudium pa riat. Ceremoniæ quidem olim inſtitutę & uſurpatæ in Cœna à ueteribus non uſqueadeo uidebantur eſſe da mnabiles, ſed nunc alium uſum & longè aliam faciem habent q̃ habuerant initio. Olim tota eccleſia & præpa rationem & totam actionem Cœnæ, præuio duntaxat ſacrorũ antiſtite exequebatur: nunc uero ad ſacerdo tem & clerum translata ſunt omnia, ut omni propemo dum uſu & fructu careat populus. Nam et lingua rece pta eſt quæ nõ intelligitur ab omnibus. Qui em̃ primi nobis tradiderunt religionẽ Latina lingua uſi ſunt, & fortaſſis erat illa tunc pluribus notior q̃ nũc ſit. Quod ſi quis ueterem ritum cum hoc contulerit, quẽ ex Ra bano hiſce noſtris inſeruimus, dicet plane plurimũ in ter utrunq; eſſe diſcriminis. Rurſus ſi quis eum qui ho die in uſu eſt Miſſandi ritum compoſuerit cum illo qui Rabani ſæculo receptus fuerat, inueniet & hic inęqua litatẽ. Ita quo plures anni numerati ſunt, eo plus cere moniarum enatum eſt, & quanto plus ceremoniarum acceſſit tanto plus ueteri ſimplicitati deceſſit. Id quod diligentius & per partes pio lectori expendendum re

linquo. Volui eñ his inditia modo & ueſtigia quædã ſpargere adeoq; et occaſionem ampliora cogitandi ſuppeditare, non omnia copioſius tractare per partes.

Quomodo & quibus rebus increuerit Miſſarum quæſtuoſa & impia illa nundinatio. Cap. IX.

DIxi quomodo ritus Cœnæ celebrãdæ primo quidem auctus, deinde uero paulatim immutatus aliam prorſus à primo faciem induerit, adijciam his quomodo ad quæſtum detortus tandem in manifeſtam uenerit impietatem. Ab initio fuit ſancta & euidens exercitatio fidei in Chriſtum uiuificantem ſpiritu ſuo ac gratia, fuit cõfœderatio mutua membrorum Chriſti inter ſe imò & communio quædam efficax cum capite Chriſto, fuit commemoratio mortis & beneficiorum domini noſtri Ieſu Chriſti, et læta fidelium gratulatio & gratiarumactio. Et tum quidẽ peragebatur actio pariter ab omnibus, ſacrificabatur ab omnibus æqualiter, nihilo enim minus è plebe contemptiſſimus quiſq; quàm ipſe ſacrorum antiſtes ſacratiſſimus ſacrificabat. Sacrificium autem erat fides, cõcordia, oratio, laus, & gratiarumactio. Non offerebantur hæc pro expiatione peccati. Neq; antiſtes ſacrorũ pro aliis ſacrificabat, hoc eſt peccata illorum ſe expiare dicebat. Fides enim fidelium indubitanter credebat totam eccleſiam unico Chriſti ſacrificio in cruce oblato purgatam eſſe. Offerebant ergo ſancti gratulatoria ſacra, propter expiationem quam in morte Chriſti ſemel & planè factam eſſe confitebantur, laudabant domini beneficentiam & agebant gratias. Et huiuſmodi quidem ſacrificia illa quoque fuiſſe crediderim quæ apud Tertullianum leguntur oblata eſſe à fidelibus pro mortuis.

Sacrificia laudis.

tuis. Nã de Corona militis, Oblationes, inquit, pro defunctis annua die facimus. Defuncto enim aliquo ex fratribus gratulabatur de salute mortui episcopus, habuit aliquando funebrem orationem, qualem in obitu Theodosij Ambro. & Grego. Nazianzenus ad Cæsarium fratrẽ habuisse dicuntur. Laudabat autem populus dei misericordiam q̃ fratrẽ in sana fide in finẽ usq; retinuisset, orabantq; dominũ ut pari fide & ipsis liceret excedere. Idem Tertullianus 2. ad uxorẽ li. Vnde, inquit, sufficiam ad enarrandã felicitatem eius matrimonij quod ecclesia conciliat & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant, pater uero ratũ habet. Quid hic oblationis uocabulo aliud intellexisset Tertull. q̃ benedictionem publicã, preces ecclesiæ, & gratulationem? Nam Cyprianus diligentiss. lector Tertulliani epist. li. 4. epist. 5. Celerini cuiusdã mentionem faciens, cuius tota penè familia martyriũ fecerat, in hæc uerba infit, Celerina iam pridẽ martyrio coronata est, item patruus eius ac auunculus Laurentius & Ignatius, in castris et ipsi quondam sæcularibus militantes, sed ueri ac spiritales dei milites dum diabolum Christi professione prosternunt, palmas à domino & coronas illustri passione meruerunt, Sacrificia pro eis semper (ut meministis) offerimus, quoties martyrum passiones & dies uniuersaria commemoratione celebramus. Hæc Cyprianus. Quid uero dici poterat apertius quàm quod manifestè dixit Laurentium & Ignatium palmas & coronas cõsequutos esse à domino? Ergo quum apud dominum beati uiuant, nostro patrocinio, nostris precibus, & sacrificijs non indigent ut liberati à peccatis saluentur. Quid igitur intellexit per sacrificium aliud Cyprianus, nisi gratulationem, gra- *Oblatiões pro defunctis.*

tiarum actionem & laudem diuinæ bonitatis. Aut quo modo ueriſimile cuipiam uideatur Cyprianum probare potuiſſe ſacrificia pro martyrum redemptione ſiue expiatione, qui in ſermone de mortalitate luctum ſuper morte fidelium prohibet, nulla alia cauſa magis quàm ne Gentibus occaſionem præberent reprehendendi fidem noſtram? Quoties enim, ait, nobis reuelatum eſt, quàm frequenter & manifeſtè de dei dignatione præceptum eſt, ut cõteſtarer aſſiduè & publicè prędicarem fratres noſtros non eſſe lugendos accerſione dominica de ſæculo liberatos, nec accipiendas eſſe hic atras ueſtes, quando illi ibi indumenta alba iam ſumpſerint, occaſionẽ dandam non eſſe Gentilibus ut nos merito ac iure reprehendant, quod quos uiuere apud deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam ſermone & uoce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio reprobemus, &c. Quanta uero illa fuiſſet reprehendendi anſa ſi pro defunctorum redemptione & ſalute ſacrificaſſent? Quid quod idẽ Cyprianus aduerſus Demetrianũ dixit? Poſtquam hinc exceſſum fuerit, nullus iam pœnitentiæ nullus ueniæ locus eſt. Hic uita aut amittitur aut tenetur. Eſt itaque irrefragabile qd priſci apoſtolisq; proximi pro redemptione defunctorum non ſacrificarunt.

Preces oblatæ pro defunctis.

Inde fortaſſis didicerunt inſequentis ſæculi patres non iam laudes ſed ſupplicationes etiam offerre pro defunctis. Id enim diſſimulare non debeo, quod mediæ ętatis uiros illuſtres Ambroſium, Auguſtinum alioſq; eius temporis doctores legenti occurret, cœpiſſe tandem preces in Cœna domini offerri in eccleſia pro defunctorum ſalute. Damnatus eſt hoc potiſſimum nomine Aërius, quod diceret orare uel offerre pro mortuis

tuis oblationem nõ oportere. Incussit hoc quibusdam metum ut receptæ sententiæ non auderent contradicere. Ergo D. Augustinus nõ uno loco meminit oblationis pro defunctis. In libro em̃ de Cura pro mortuis gerenda cap. 4. Non sunt prætermittendæ, inquit, supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciẽdas pro omnibus in Christiana societate defunctis suscepit ecclesia. Idem repetit quæst. ad Dulcitium 2. Nec dissimilia ponit in Enchiridio ad Laurentium. Capite enim 109. Neq; negandum est, inquit, defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur uel eleemosynæ in ecclesia fiunt. Similia his tradit lib. Confess. 9. cap. 12. & 13. Sermone quoq; de uerbis apostoli 32. Hoc à patribus, inquit, traditũ uniuersa obseruat ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemoretur. Id quod ideo copiosius expono ut intelligas ritum illum offerendi pro defunctis, non institutum esse ab apostolis, sed à sanctis patribus: quibus hic quidem error pius citra approbationem & imitationem cõdonari potest. Scriptura de mortuis simpliciter ita pronunciat, Credentes in dominũ Iesum protinus à morte corporea uiuere secundum animas apud dominũ, incredulos autem protinus rapi ad tartara & æterna supplicia, ita ut his nihil prosint sanctorum preces, illis nihil necesse sint. Solomon enim dicit, Si ceciderit lignum ad meridiem uel aquilonẽ in loco ubi ceciderit lignum ibi erit. Et dominus ipse in euangelio, Qui credit, inquit, in filium dei non condemnatur: qui uero non credit iam condemnatus est. Et iterum, Deus dedit nobis

æternam uitam, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium dei, uitã non habet. Item, Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium et credit in eum habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Et adhuc clarius, Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, et in iudicium nõ ueniet, sed transiuit à morte in uitam. En quid poterat dici clarius & euidentius? Qui credit, habet, inquit, uitam æternam. Habet autem dixit, non habebit. Et per expositionem subiungit, In iudicium nõ ueniet. Veniunt in iudicium quorum causa discutitur et qui puniũtur aut plectuntur. At fidelis causa nõ ueniet in iudicium, non affligetur pius. Quid ergo? Sed transiuit à morte in uitam. A morte utiq; corporea in uitam æternam. Transiuit inquam dixit denuo, nõ transibit, ne quid dubitaremus. Vbi ergo nũc purgatorium? aut quis usus erit oblationis pro defunctis? Stemus ergo in ueritate Euangelica firmi, dissimulemus interim errorem patrum, non imitemur. Videntur enim patres sancti illas pro defunctis in Cœna preces admisisse in ecclesia certas ob causas, & fortasis ut parentalia Gentium pellerent, & clauum clauo truderent cõmodius. Fiebant tempore Augustini quę dam etiam comessationes in cœmiteriis apud memorias defunctorum, quas ille non aliter abrogari posse putat, quàm si de scripturis prohibeatur fœditas, & oblationes pro spiritibus dormiẽtium, quas uerè aliquid adiuuare (uerbis eius ad Aurelium epistola sexagesimaquarta utor) credendum est, super ipsas memorias nõ sint sumptuosæ, atq; omnibus petẽtibus sine typho & cum alacritate præbeantur neq; uendantur, sed si

quis

quis aliquid pecuniæ offerre uoluerit in præsenti pau peribus eroget, &c.

Hic autem ueterum orationis in Cœna pro defunctis usus ab ecclesia receptus, posteris occasionem magnã præbuit Missas applicandi pro redemptione mortuorum, & crassius quidem quàm olim factum fuerat. Confirmabãtur in errore nõ mediocriter illa quæstione quã diuus Augustinus de igne purgatorio proponere cœperat, sed non absoluerat. Meminit enim eius in Enchiridio & in Quæstione ad Dulcitium, interim nihil certi de eo asseuerat. Nam dicit non incredibile esse quendam esse ignem purgatorium. Addit esse quosdam quibus talis esse uideatur. Ita quidem loquutus est Augustinus, satis quidem animo perplexus. Cęterum scriptura apertius loquens nil tale tradit. Locus enim Pauli in 1. ad Corinthios tertio capite, longe alium sensum habet quàm quidam illi indant. Et scriptura uniuersa tradit nos solo sanguine filij dei purgari, nullo autem igne purgatorio, nulla afflictione nostra, nullo merito nostro. Negat enim Petrus ullis caducis rebus nos redemptos esse, asserit autem Christi sanguine precioso nos esse purgatos. Paulus quoque scribit absque sanguinis effusione nullam fieri peccati remissionem. Addit idem Christum itaque semel effudisse sanguinem, ut à peccatis purgatos hæredes nos faceret uitæ æternæ. Sed & Ioannes clamauit, Sanguis Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato. Hæc ergo est uera animarum purificatio, quam qui igni cuidam, aut afflictioni nostræ tribuunt, meritum passionis domini obnubilant, ut nunc nihil dicam atrocius. Quia uero Diuus Augustinus Quæstionem de purgatorio igne infeliciter sanè proposuit, po- *Purgatorius ignis.*

ſteri eam explicarunt craſſius, ita ut gloriæ domini noſtri Ieſu Chriſti addiderit nihil, detraxerit autem plurimum.

Apparitiones ſpiritum.

Acceſſerunt hic quoq; ſpiritus nequam & impoſtores qui per oracula illicita ac prohibita prędicarunt miram ſacrificij miſſalis uirtutem. Rabanus enim Inſtit. lib. 2. cap. 44. Ergo, inquit, ut in libris dialogorum S. Gregorius narrat et Beda magiſter in Geſtis Anglorũ, frequenter exemplo oſtenſum ſeu uiſione reuelatũ eſt animabus defunctorum multum prodeſſe pro eis ſacrificia. Vide autẽ Lector Chriſtiane quàm infirmis fundamentis ſtructuram tam amplam ac magnificam impoſuerint. Dominus enim in Euangelio ad diuitis epulonis animam in tartaro clamantem, Rogo te pater ut mittas eum (Lazarum) in domũ patris mei: habeo eñ quinque fratres: ut teſtetur illis, ne & ipſi ueniant in hunc locum cruciatus: inducit Abrahamũ ſic loquentem, Habent Moſen & prophetas, audiant illos. At illum rurſus dixiſſe, Non pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos reſipiſcẽt. Hic uerò Abrahamum ſubieciſſe, Si Moſen & prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Oportebat ergo res tanti momenti ſcripturarum authoritate doceri & muniri, nõ reuelationibus ſpirituũ, præſertim cum ſathanas, Apoſtolo teſte, nõ raro transfiguretur in angelum lucis, idemq; ille Apoſtolus clamauerit, Quod ſi aut nos ipſi aut angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelium prẽter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit.

Monaſteria Benedictinẽſium.

Præterea cum monaſteria Benedictinæ regulę per Gallias & Germaniam augerentur, inſtituto ab Italis deſumpto; nam paulò ante Gregorij pontificatum floruit

ruit Benedictus ille abbas Cassineñ. institutor dictus & princeps monachorum occidentalium, auctus est etiam Missarum numerus & adhibitus earum usus ad redemptionem defunctorum. Accesserunt donationes ac legationes. Ad miraculum enim munifici & liberales fuerunt reges & principes Francorum in primis. Volebat quisq; suæ saluti consulere. Cupiebant nobiles illustrem sui suorumq; memoriã in sacris extare. Et uidebatur quidem tota actio Cœnæ siue Missæ sacerdotũ hoc plus habere momenti, quod iam non amplius perageretur ex æquo ab omnibus, sed redacta esset ad unum illum sacrorum antistitem ac paucu los quosdam diaconos & clericos. Decreuerat præterea Lodouicus ille pius Caroli magni filius, ut Laici saltem ter in anno cõmunicarent, ad festum uidelicet Paschæ, Pentecostes & Natalis domini, id quod Ansegisus tradit lib. 2. cap. 38. Inde uero frequens illa in historijs annalibus, & chronicis mentio Regẽ pascha celebrasse uel in hoc uel illo loco. Interea uero quotidie celebrabantur Missæ in monasterijs Benedictinen sibus, & habebantur pro expiationibus peccatorum tam uiuorum quàm mortuorum, atq; ita crescebat indies Missarum existimatio.

Illa ipsa supra quàm credi possit creuit, cum posterioribus pontificum & consiliorum decretis decernetur panem esse corpus Christi, uinũ sanguinẽ Christi realem ac corporalẽ. Nam sequuti sunt qui dixere Corpus Christi semel oblatum esse in cruce pro originali peccato, nũc uero offerri iugiter in altari pro delictis nostris quotidianis, adeoq; munus hoc datum esse ecclesijs ad placandam indignationẽ dei. Algerus de Sacra. Eucha. lib. 1. cap. 16. dicit in Missa immolationẽ

offertur corpus & sanguis domini.

Christi repræsentari idemq́, illam nunc in altari quod olim in cruce operari. Vnde illud quoque enatum est quod impuri sacerdotes sibi uendicare ausi sunt, filiũ se dei deo patri immolare pro peccatis uiuorũ ac mortuorum. Quæ quidem manifesta impietas tanto maiores acquisiuit uires quanto plures exortæ sunt monachorum sectæ. Tandem uero Missæ palàm sunt diuenditæ, & quæstus gratia ad res quaslibet adhibitæ. Extant enim passim in libris Missalibus formæ Missarum recitandę contra pestes, bella, famem, infamiã, inopiã, morbos, pro conseruandis opibus, pro periclitantibus in corpore & fortuna, breuiter pro uoto quolibet contra omnis generis pericula.

Contra sacrificium Missæ.

Cæterum abominabilem illum abusum Cœnæ dominicæ, imò manifeste impiam sacramenti Christi proculcationem nundinationemq́ sacrilegam impugnarunt nostro sæculo multi uiri pij & docti, quorum alij quidem nunc uiuunt apud dominum, alij etiamnum seruiunt ecclesiæ. Horum cum libri extent omniumq́ uersentur manibus non est quod actum agam. Hæc duntaxat paucula adijciam, Parum uidelicet diligenter expendisse uim & gloriam sacerdotij & sacrificij domini nostri Iesu Christi, quicunq́ uel tradiderunt uel receperunt Missam esse sacrificium expiatorium, adeoq́ & Christum sacrificari in Missa pro peccatis uiuorum & mortuorũ. Nam de sacerdotio Christi ita scripsit apostolus Paulus, Cum Christus maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium, eò quod absolute & sine defectu saluare potest qui per ipsum adeunt deum, semper uiuens ad hoc ut interpellet pro illis. Audimus hic Christum in æternum manere, atq́ ideo perpetuũ adeoq́ et immigrabile, quod scilicet successione

cessione ad alium transire non potest, habere sacerdotium. Quid ergo substituunt Christo sacrificos Papistæ? Noster ille semper uiuit, semper caussam nostrã agit: ergo nullo nobis alio sacerdote opus est. Sequitur, Talis enĩ decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, à peccatoribus segregatus, & sublimior cœlis factus. Cæterum quis sacerdotũ hæc sibi hodie uindicabit? Soli Christo illa competunt: at decet noui testamenti sacerdotem huiusmodi esse, ergo solus Christus sacerdos est ecclesiæ fidelium. Porrò qui se sacerdotem noui testamenti esse credit, Christũ blasphemat. Sequitur iterum in uerbis apostoli, Cui non sit quotidie necesse quemadmodum illis pontificibus prius pro propriis peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit semel cum semetipsum obtulit. Atqui pontificij sacerdotes maxime ꝓ se offerunt: nequeunt itaq; noui testamenti sacerdotes esse. Præterea Semel semetipsum obtulit Christus. Nemo illum offerre potest. Vnde Leuit. 16. ita legis, Nullus homo sit in tabernaculo testimonij cũ pontifex ingreditur ut expiationẽ faciat in sanctuario, &c. quasi dicat, hæc gloria solius est mediatoris Christi, unde eã sibi nemo mortalium uendicare debet. Porrò de Sacrificio domini nostri Iesu Christi ita docuit idem ille doctor Gentium S. Paulus, Omnis quidem sacerdos Aaronicus quotidie sacra peragit, & easdem sæpius offert hostias quę nunquã possunt auferre peccata. Christus uero una pro peccatis oblata uictima, perpetuo sedet ad dexteram dei, id quod superest expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum ipsius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Audis quæ sit natura uis &

efficatia ſacrificij ſiue mortis domini. Semel mortuus eſt, ſemel oblatus eſt, amplius non offertur. Quia unica oblatione expiauit ſufficienter omnes credentes. In Iudaiſmo quidem ſæpius, imò quotidie eaſdem offerebant hoſtias: at in nouo unica tantũ reſtat oblatio, ſemper & omnibus credentibus efficax ad ſalutem, ut nihil eam iterari neceſſariũ ſit. Nam Chriſtus eſt agnus ille dei qui tollit peccatum mundi: imò quia plene peccata totius mundi unica oblatione purgauit, ideo victor aſcendit in cœlos, ut ibi ſemper apareat in conſpectu patris plenitudo credentium. Quapropter apoſtolus illis mox ſubijcit, Vbi eſt plenaria expiatio & remiſſio peccatorum, ibi nulla ſupereſt oblatio pro peccatis, nec; enim ulla opus eſt. In nouo autem teſtamento huiuſmodi eſt expiatio, unde nullam habet oblationem pro peccato: ſed cõmemorationem duntaxat, & ſacrificia euchariſtica. Prædicarunt hoc ipſum & à ſpiritu dei inſpirati ſancti prophetæ. Zacharias enim in cap. 3. ſcribit, Ecce ego ait dominus adduco ſeruũ meum Germen, ſuper lapidem unum oculi ſeptem. Ecce ego aperiam apertionẽ eius dicit dominus exercituũ, & auferam iniquitatẽ terræ illius in die una. Nam ſeruus ille ac lapis ſiue petra, flos ſiue radix uel germen illud eſt Chriſtus dominus, in quẽ omnium oculi ſanctorum reſpiciunt. Sublatus eſt hic in crucem, & apertæ ſunt uenæ ſanguinis eius, mortuus eſt, & una die totius mundi peccata expiauit: ideo enim clamauit, Conſummatum eſt. Hæc autem eſt uera antiqua indubitata & catholica fides de Sacerdotio & Sacrificio domini noſtri Ieſu Chriſti: quæ à Papiſtis adferuntur noua ſunt & impia. Iuxta Petri quidem ſententiam omnes ſumus ſacerdotes quotquot in Chriſtũ credimus,

Omnes ſumus ſacerdotes.

ſed

sed non ut Christi corpus & sanguinem deo patri offeramus, sed ut nosipsos preces & spirituales oblationes immolemus. Interim legimus in propheta, Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedek. Et Christus ipse in institutione Cœnæ non aliud iussit facere sacerdotes, aliud Laicos, sed omnibus dixit, Hoc facite in mei commemorationem. Neque uero ut alius pro alio sacramentum sumeret instituit, sed singulis sese offerens, dixit, Accipite, edite. Accipite, bibite ex hoc omnes. Certe non satiatur ullus eo cibo quem tu sumis, ut maxime illius nomine sumas. Et constat hic proponi nobis alimoniã animarum nostrarum, quæ ut oculis quidem corporeis in symbolo proponitur, fide tamen uera ad salutem animæ nostræ percipitur. At quis tam demens est ut putet fidem credentium esse precariam? Valeant ergo Missæ ac oblationes Papisticæ. Nam solus Christus est ille fidelis ecclesiæ sacerdos, sacrificium illud unicum & semper efficax. Cœna autem commemoratio est sacrificij semel peracti, in qua fideles spiritualiter reficiuntur, & pro refectione gratias agũt, immolantes seipsos & laudes nomini dei benedicto in sæcula.

De quæstione & origine Transsubstantiationis. Cap. X.

IMpiam ergo illam de Sacrificio corporis & sanguinis domini sententiam, ceu dicere cœperamus, confirmauit, imò ceu debellatam & indubitatam in manus sacrificantium tradidit determinatio illa infelix Transsubstantiationis. Hoc enim illud fundamentum est, in quod præcipue inniti-

tur Missa Papistica. Creuerat tum, imò confirmatà propè stabat Romani Pontificis potentia. Regnabat enim iam in occidente, & pleræq; ecclesiæ ab ore eius ceu diuino oracolo pendebant: ergo apud has quę uoluit potuit. Adiuuerunt conatus eius aliquot ex eruditioribus episcopi & prælati ecclesiastici doctores & populorum magistri. Hi enim de rebus nouis disputare & spinosa quædam in ecclesiam serere incipiebant, opiniones uidelicet quasdam de Vnione, imò transubstantiatione panis ac uini in corpus & sanguinem domini, item de uerborum à sacerdote prolatorum uirtute, qua dominus è cœlo deuocatus in manus ueniat sacerdotis, denique de miraculo quod fiat circa transubstantiationem, & de modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi ineffabili. Atqui de huiusmodi quæstionibus nihil unquam uel somniauerãt uiri apostolici, quin potius apud ecclesias sibi commissas simplicissime disseruerant de unione corporis ecclesiastici cum capite Christo & mutua inter sese participatione, item de fide in Dominum Iesum redemptorem mundi, deq; puritate uerbi euangelici, rursus de efficatia fidei & spiritus operantis in cordibus fidelium, deq; mysterio & ratione sacramentali, & ineffabili erga nos charitate dei. Hæc autem pia & pura simplicitas doctrinaq; uere apostolica, doctoribus posterioris sæculi placere non potuit. Oportuit enim reuelari mysterium iniquitatis & puniri ingratitudinem & conscelerationem eius sæculi & sequentis: ideo enim deprauati sunt eruditorum animi peruersis & superuacuis quæstionibus, quibus in medium positis expositisq; uehemẽter perturbarunt totam

Spinosæ quæstiones.

Christi

Christi ecclesiam, imò à simplicitate auita abstrahentes, gloriam Christi & obscurarunt & suis interim consuluerunt rebus. Vetus illa & apostolica ecclesia in sacramentorũ tractatione hoc unice spectauit, ut omnem gloriam Christo daret. Hi uero de Sacramento corporis & sanguinis domini ita sunt loquuti, ut appareat palàm quid spectauerint aut quid quæsiuerint. Voluerunt omnino ornare sacerdotium illud suum Papisticum & sacerdotes augere dignitatibus adeoq; & diuinis propemodum honoribus, ex quibus demũ ipsis & imperium plenum offerretur omniumq; rerum potestas. Atqui dolendum est artificio satanæ factum esse ut ea res quæ conciliandis omnibus ab ipso seruatore Christo data fuerat, tot dissidia pestifera genuerit.

Concertationis autem prima initia aliquot annis post ætatem Caroli magni caput exeruere, sub Carolo inquam Galliarum rege Magni Caroli nepote, anno domini 840. cum in Germania floreret Rabanus. Eodem enim tempore uixit in Gallijs Bertramus quidam presbyter & monachus in diuinis scripturis ualde peritus & clarus eloquio, nec minus uita quàm doctrina insignis. Habebatur hic à rege & omnibus bonis summo in pretio, id'que ob eruditionem raram & claram uitæ sanctimoniam. Hic autem scripsit ad regis postulationem librum de Corpore & Sanguine domini eruditum. E quo liquido claret eo primum tempore fuisse qui contenderent uerba Cœnæ, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, uere & realiter citra mysterium esse exponenda, & sacra illa Christianorum nulla sub figura nulla sub obuelatione fieri, sed ipsius ueritatis nuda mani-

Quando primũ de sacramẽto corporis domini cõcertatio incœpta sit.

festatione peragi. Rursus fuisse alios qui crederent quod hæc sub mysterij figura contineantur, & aliud esse quod corporeis sensibus appareat, aliud autem quod fides aspiciat. Rex itaque Christianissimus in illis diuersissimis inter se sententijs, ipsam ueritatem intelligere desiderans, Bertramo illi suo ut eruditissimo & sanctissimo uiro binas proponit quæstiones: quarum prior talis erat, An quod in ecclesia fidelium ore sumitur corpus & sanguis Christi, in mysterio fiat an in ueritate? Posterior erat huiusmodi, Vtrum ipsum corpus quod natum est de uirgine, & sedet ad dexteram patris sit quod ore fidelium per sacramentorum mysteria sumitur in ecclesia? Ad priorem ergo responsurus initio finit quid figura & quid ueritas sit? Figura, inquit, est obumbratio quædam quibusdam uelaminibus quod intendit ostendens. Verbi gratia, Verbum uolentes dicere panem nuncupamus, sicut Christus in euangelio loquitur, dicens, Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi. Vel cum seipsum uitem apostolos appellat palmites. Hæc enim omnia aliud dicunt aliud innuunt. Veritas uero est rei manifestæ demonstratio, nullis umbrarum imaginibus obuelatæ, sed puris & apertis (utq; planius eloquamur) naturalibus significationibus insinuatæ. Vt cū dicitur, Christus natus de uirgine, passus, crucifixus, mortuus & sepultus. Nihil enim hic figuris obuelantibus adumbratur, uerum rei ueritas naturalium significationibus uerborum ostenditur, neq; hic aliud licet intelligi quàm dicitur. At in superioribus non ita. Nam substantialiter nec panis Christus, nec uitis Christus, nec palmites apostoli. Quapropter hic figura, superius uero ueritas in narratione monstrat, id est nuda et apta

significatio.

significatio. His ad hunc modum expositis, ad quæstionem ita respondet, Si nulla sub figura mysterium illud peragitur, iam Mysterium non ritè uocatur: quoniam Mysterium dici non potest, in quo nihil est abditum, nihil à corporalibus sensibus remotum, nihil aliquo uelamine contectum. At ille panis qui per sacerdotis ministeriũ Christi corpus efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis quod ante fuerat forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur: ast interius lõgè aliud multo preciosius multoq; excellentius intimatur, quia cœleste, quia diuinum, id est Christi corpus ostenditur: quod nõ sensibus carnis sed animi fidelis cõtuitu uel aspicitur uel accipitur uel comeditur. Vinum quoq; quod sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur sacramentũ, aliud superficietenus ostendit, aliud interius cõtinet. Quid enim aliud in superficie quàm substantia uini conspicitur? Gusta, uinum sapit. Odora, uinum redolet. Inspice, uini color intuetur. At interius si consideres, iam non liquor uini, sed liquor sanguinis Christi credentiũ mentibus & sapit dum gustatur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur dum odoratur. Hæc ita esse cum nemo possit negare, claret quia panis ille uinumq; figuratè Christi corpus & sanguis existit. Non enim secundũ quod uidetur uel carnis species in illo pane cognoscitur, uel in illo uino cruoris unda monstratur, quum tamen post mysticam cõsecrationem nec panis iam dicitur nec uinum, sed Christi corpus & sanguis. Et iterum, Qui ista in ueritate nõ figura fieri putant, sanctorum patrum scriptis cõtraire comprobantur. Nam S. Augustin. doctor ecclesiæ præcipuus in lib. de Doctrina

Panis et uinum figurate dicuntur esse corpus & sanguis Christi.

Christiana 3. ita scribit, Nisi manducaueritis, ait Saluator, carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis: facinus uel flagitium uidetur iubere. Figura ergo est precipiens passioni domini esse communicandũ, & suauiter atq; utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata sit. Cernimus quod doctor iste mysteria corporis & sanguinis Christi sub figura dicit à fidelibus celebrari. Nam carnem illius sanguinemq; eius sumere carnaliter, nõ religionis dicit esse sed facinoris. De quibus fuerant illi qui in euangelio dicta dñi non spiritualiter, sed carnaliter intelligentes recesserunt ab eo & iam cum illo non ibant. Et cætera.

De corpore Christi uero & mystico.

Ad posteriorẽ quæstionem sic respondet, Dicimus quod multa differentia separantur corpus in quo passus est Christus & sanguis quem pendens in cruce de latere suo profudit: et hoc corpus quod in mysterio passionis Christi quotidie à fidelibus celebratur, & ille quoque sanguis qui fidelium ore sumitur mysterium sit illius sanguinis quo totus redemptus est mundus. Iste nanq; panis et iste potus non secundum quod uidentur corpus siue sanguis existunt Christi, sed secundum quod spiritualiter uitæ substantiã subministrant. Illud uero corpus in quo semel passus est Christus non aliam speciẽ præferebat quàm in qua consistebat. Hoc enim erat uerè quod uidebatur, quod tãgebatur, quod crucifigebatur, quod sepeliebatur. Similiter sanguis illius de latere manans, nõ aliud apparebat exterius, et aliud interius obuelabat. Verus itaq; sanguis de uero corpore profluebat: ast nunc sanguis Christi quem credentes bibunt, & corpus quod comedũt aliud sunt in specie & aliud in significatione, aliud quod pascũt corpus

pus esca corporea, & aliud quod saginant mentes æternæ uitæ substantia. Quapropter corpus & sanguis qđ in ecclesia geritur, differt ab illo corpore & sanguine quod in Christi corpore per resurrectionem iam glorificatum cognoscitur. Et hoc corpus pignus est & species, illud uero ipsa ueritas. Hoc em̃ geriť donec ad illud perueniatur. Vbi uero ad illud peruentum fuerit, hoc remouebitur. Apparet itaq; ꝙ multa inter se differẽtia separãtur quantũ est inter pignus & eam rem pro qua pignus traditur, & quantum inter imaginem & rẽ cuius est imago, & quantum inter speciem & ueritatem. Videmus itaq; multa differentia separari mysteriũ sanguinis & corporis Christi quod nunc à fidelibus sumitur in ecclesia, & illud quod natum est de uirgine Maria, quod passum, quod sepultum est, quod resurrexit, quod cœlos ascendit, quod ad dexteram patris sedet. Hoc nãq; quod agitur in uia, spiritualiter est accipiendum. Quia fides quod non uidet credit, & spiritualiter pascit animam, & lætificat cor, & uitam præbet æternam & incorruptionem, dum non attenditur quod corpus pascit, quod dente premitur, quod per partes comminuitur, sed quod in fide spiritualiter accipitur. At uero illud corpus in quo passus est, & resurrexit Christus, proprium eius corpus existit, de uirginis Mariæ corpore sumptum, palpabile seu uisibile etiam post resurrectionem sicut ipse discipulis ait, Quid turbati estis & cogitationes ascẽdunt in corda uestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate & uidete: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut uidetis me habere. In hoc non est ulla figura, uel aliqua significatio, sed ipsa rei manifestatio, & ipsius uisionem credentes desiderant,

quoniam ipse est caput nostrum, et ipso uiso satiabitur desiderium nostrum. At in isto quod per mysteriū geritur, figura est non solum proprij corporis Christi, uerumetiam credentis in Christum populi. Vtriusq; enī corporis, id est et Christi quod passum est et resurrexit, & populi in Christo per baptismum renati atq; de mortuis uiuificati figuram gestat. Addamus etiam qd' iste panis et calix qui corpus et sanguis Christi nominatur memoriā repræsentat dominicæ passionis siue mortis: quemadmodum ipse in euangelio dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Quod exponēs apostolus Paulus dixit, Quotiescunq; manducabitis panē hunc & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec ueniat. Docemur à saluatore nec nō à sancto apostolo Paulo, quod iste panis & iste sanguis qui super altare ponitur in figuram siue memoriā dominicæ mortis ponatur, ut quod gestum est in præterito præsenti reuocet memoriæ, ut illius passionis memores effecti per eam efficiamur diuini muneris cōsortes per quam sumus à morte liberati. Nec ideo quoniā ista dicimus putetur in mysterio sacramenti corpus dñi uel ipsius sanguinem à fidelibus nō sumi: quando fides nō quod oculis uidet, sed quod credit, accipit. Quoniā spiritualis est esca, & spiritualis potus, spiritualiter animam pascens & æternæ satietatis uitam tribuens, sicut ipse saluator mysterium hoc commendans loquitur, Spiritus est qui uiuificat. Nam caro nihil prodest.

Hæc copiosius è Bertrami libro ideo posuimus & hisce nostris inseruimus, ut ex ipsis disceres sero tandē doctores quosdam ad carnalem deflexisse intellectum & mysticas loquutiones non intellexisse, atq; ideo incontaminata illa polluisse mysteria. Rursus uestigia

apostо-

apostolicæ simplicitatis semper permãsisse in ecclesia. Clarè enim hoc ex sententia Bertrami huius colligere licet, qui quę regi respondit ex scripturis et sanctorum patrum scriptis petijt. Nesciuit hic aut forte nescire uoluit, imò contempsit spinosas illas quæstiones, de quibus mox inter eruditos Italiæ & Galliarum disputari cœptum est. Bertrami ætate floruit sub eodem mecœnate et Ioannes philosophus cognomẽto Scotus, alter omninò à religioso & subtili, uir utriusq; linguæ peritissimus & in rebus diuinis scientissimus, uitę quoque innocentia & sanctimonia clarissimus: id quod de ipso omnes historici Sabellicus, Raphaël, Platyna, Vincentius, Antoninus, et reliqui omnes unanimi testimonio retulerunt. Fuerat hic auditor Bedæ aut discipulorum Bedæ, & dum ageret in Gallijs, librum de Corpore & sanguine domini ædidit, in quo fidem suam ingenuè ex scripturis & sanctis patribus recitauit, hoc ipsum sentiens et docens quod ex scripturis & Augustino dicerat, & quod iam diximus Bertramum tradidisse. Addit Sabellicus nonnullos sentire Parisiense gymnasium à Ioanne illo philosopho institutum esse, cum uerisimilius sit gymnasium illud à Carolo magno institutum per Ioannem hunc, Alchuinum, Claudium et Rabanum è Scotia profectis fuisse illustratum doctrina et prælectionibus. Ita enim propemodũ sentire uidetur & Robertus Gaguuinus lib. de reb. Francorum 5. referens Ioannem philosophũ Papiam esse missum. Vincẽtius in speculo historiali de eodem refert quod fama nominis ac eruditionis eius captus Angliæ rex Elfredus illũ liberali sua munificentia retraxerit in Angliã, ubi in monasterio Melbricensi cũ pueros doceret graphijs confossus martyrio uitam consummarit. Cæ- *Ioan. Scot.*

terum ex Bertrami & Ioannis Scoti libris ueritatẽ de myſteriis Cœnæ dominicæ ita didicerãt imbiberantq; Galliarum eccleſiæ, ut pleræq; doctores carnalem illam ſententiã tradentes negligerent. Non eñ deerant qui interim myſticas loquutiones nollent recipere.

Paſchaſius. Scripſit enim circa annum domini 900. Paſchaſius quidã & ipſe de Corpore & ſanguine domini librum, conflatum ex uariis doctoribus, in quo multa ſanè piè dicta ita concinnauit ut craſſæ & reali opinioni fauere uiderentur. Itaq; gliſcebant partium odia ac ſtudia indies magis ac magis, & ſequebantur quidẽ hi Scotum, illi Paſchaſium: nec erat qui litem manifeſta ueritate prolata & propoſita dirimeret. Epiſcopi enim quorum hoc officij erat, circa ambitionem & auaritiam occupati, in rebus ſpiritualibus planè ſtertebant, imprimis qui apicem tenere uidebantur Romani pontifices. Hi enim hac ætate, ut nulla alia magis decertarunt pro imperio, imò ueneno propinato mutuo ſeſe peremerunt: ut ab imperio Caroli Calui uſq; ad imperium Heinrychi 3. intra centũ inquã & ſexagintaquinq; annorum ſpacium, plures ſediſſe dicantur Romani pontifices quàm præfuerint à Tiberij Cæſaris imperio ad Iouiani uſq;, intra annos trecentos triginta. Et tamen hi ob confeſſionem nominis Chriſti plerique gladio tyrannorum ſublati ſunt, interim non plures numerantur quàm 34. at ambitioſorum horum pontificum numerantur 43. Quid uero in his turbis & in tanta paſtorum ſocordia imò manifeſtaria iniquitate & impietate putas deceſſiſſe ueræ religioni? Romæ eo res prolapſæ erant ut non homines ſed dæmones illam iſtorum ſacram ſedem palã occuparent & regerent. Lege quæſo in hiſtoriis acta Stephani Sexti Formoſi, Theodori 2. Sergij

Sergij 3. Ioannis 10. Ioannis 12. Syluestri 2. Benedicti 8. & dices in orbe uix uixisse nebulones æque impios, feroces, crudeles, impuros & corruptos omnicp conscelerationc perditos.

Porrò circa annum domini 1020. claruit in Gallijs denuo uir iuxta pius ac doctus, Berẽgarius Turonensis, archidiaconus Andegauensis. Hic sententiam quam ante annos centum septuaginta, ex scripturis et sanctis patribus tradiderant ecclesijs Gallicanis Bertramus & Scotus, defendendam sumpsit contra eos qui Paschasium sequentes contendebant nec panem nec uinum supersse in Cœna domini, sed illa mutari in reale domini corpus & naturalem sanguinem. Non uoluit autẽ asserere (id quod multi ei tribuunt) in Cœna non sumi aliud à fidelibus quàm nuda symbola, panem duntaxat & uinum. Quemadmodum enim ueracissima & infallibilis scriptura adeóque ipse fidelis ecclesiæ doctor Augustinus tradidit, credidit, in Cœna spiritualiter reficí credentes uero domini corpore & sanguine ad uitam æternam. Non credidit substantiam panis conuerti in substantiam corporis Christi, aut hoc cœlo deuocari posse aut necesse esse: mysterium autem plene agnouit & docuit. Nihil hic in gratiam hominis fingo, ueritatem & innocentiam uindico. Extant etiamnum fragmenta quædam Berengarianæ sententiæ, in quibus inter alia in hæc uerba legis, Sacrificium Ecclesiæ duobus constat, duobus confit, uisibili scilicet & inuisibili, sacramento & re sacramenti: quæ tamen res, id est Christi corpus si esset præ oculis, uisibilis esset, sed eleuata in cœlum, sedensque ad dexteram patris usque ad tempora restitutionis omnium (quod scribit Christi apostolus

Berengarius.

Petrus) cœlo deuocari non poterit. Siquidem Christi persona constat deo & homine: sacramentum uero dominicæ mensæ pane & uino constat, quæ consecrata non mutantur, sed in substantijs suis permanent, similitudinem habentia cum rebus quarũ sacramenta existunt. Hæc uerba omnia leguntur & apud Lanfrancũ Cantuarieñ. episcopum Berengarij nomine. At quid hic dixit obsecro quod non prius dixerit scriptura, & ipse ecclesiæ doctor Augustinus? In sacramento enim agnoscit signum & signatum, quæ quidem coniungi dicit per mysteriũ & similitudinem nõ per naturalem conuersionẽ. Substantias enim symbolorũ manere omnes ueteres apostolicæ ecclesię confessæ sunt, illæ ipsæ tradiderunt corpus domini reale ac uerum cœlo indeuocabile sedere ad dexteram patris usq; ad tempora restitutionis omnium, participare nos interim corpore illius per fidem & efficacem in nobis spiritus operationem. Et multæ quidem Galliarum ecclesiæ ueterem et apostolicam doctrinam agnoscentes sequebantur Berengarium: interim nõ deerant qui contrariam defenderent, inter quos apicem tenuit Lanfrãcus homo Italus, & primo quidem abbas Cõdonensis cœnobij, postea archiepũs Cantuarieñ. Erat is in dialecticis suo tempore omnium opinione clarissimus. Adiunxit se ei Rogerius & Guimundus episcopus Auersanus, & nescio qui alij, quibus nõ satis uidebatur sacerdotium Papisticum Berengariana confessione ornari. Cupiebant ergo ampliorem ac pleniorem ab eo fieri.

Lanfrancus.

In his turbis missus est ab Heinrycho Imp. Romã ex Alemannia Bruno quidam, uir nec indoctus nec malus, is secum adduxit ex Lothoringia Humbertum quendam monachum Tullensem, satis quidem literatum.

Humbertus.

tum. Romæ uero in apicem ſubuectus pontificiæ dignitatis Bruno & Leo IX. appellatus, Humbertum il illum ſuum creat Cardinalem epiſcopũ, præterea iungit ſibi Hildebrandum monachũ Cluniacenſem priorem, cui mox ſancti Pauli eccleſiam gubernandã committit, ut quaſi conſors pontificij muneris ſecum uideretur cum alter Petri alter Pauli templum tueretur & regeret. Ab hoc Leone uiro ſimplici ſed uerſutiſſimis conſiliarijs ſepto petierũt Berengarianæ ſententiæ hoſtes proſynodum, in qua tractaretur de ſopienda hæreſi Berengariana & confirmanda ſua illa carnali ſententia: & impetrarunt quidem. Romæ enim ex Italicis abbatibus & epiſcopis collecta eſt ſynodus, in qua Berengarij, quibus Ioannis Scoti ſententiam approbauit, Paſchaſij improbauit, promulgata eſt in Berengarium damnationis ſententia, quæ ipſum eccleſiæ communione priuauit. Deinde uero ſurrexit Lanfrancus Condonienſis abbas, & quia literæ à Berengario Lanfranco ſcriptæ nonnullis ſuſpicionem iniecerant ſyncretiſmi mutui, prauæ ſuſpicionis maculam abſterſit, fidemq; ſuam expoſuit, quam mox omnes approbauerunt. Erat autem huiuſmodi, Credo terrenas ſubſtantias quæ in menſa dominica per ſacerdotale miniſterium diuinitus ſanctificantur ineffabiliter, incomprehenſibiliter, mirabiliter, operãte ſuperna potentia conuerti in eſſentiam dominici corporis, reſeruatis ipſarum rerum ſpeciebus & quibuſdam alijs qualitatibus, ne percipientes cruda & cruenta horrerent, & ut credentes fidei præmia ampliora perciperent: ipſo tamen dominico corpore exiſtente in cœleſtibus ad dexteram patris immortali, inuiolato, integro, incon-

Roman. consilium primum.

taminato, illæso, ut uere dici possit & ipsum corpus quod de uirgine sumptum est nos sumere, & tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad essentiam ueræq; naturæ proprietatem atque uirtutem: non ipsum autem si spectes panem uiniq; speciem cæteraq; superius comprehensa. Hæc est Lanfranci Confessio: præterea declarata est in hoc Romano Consilio Vercelleñ. synodus, quæ ibidem in Septembre præsidente
Vercellen. Consil. Leone IX. celebrata est anno ab incarnatione domini 1051. In hanc ipse Berengarius uocatus non uenit, quod uideret præiudicijs omnia fieri ab aduersarijs. Ergo Lanfrancus in ipsa regnauit. Lectus est primo liber Ioannis Scoti, & damnatus est. Deinde exposita est etiam Berengarij sentẽtia, pariterq; damnata. Rursus audita est Lanfranci sententia, & omniũ approbata calculis. Duo clerici à Berengario missi ad Consiliũ, protinus atq; Berengarium defendere excusareq; orsi essent, cõiecti sunt in uincula. Iam enim didicerãt Romanenses carceribus, flamma ferroq; disputare.

Verum qui in Gallijs ueritatem Scoto & Berengario magistris didicerãt, nihil mouebant Papistica definitione & tyrannide. Andegaui enim plures conuenientes Consilio Vercellensi contradicunt & Berengario subscribunt. Idem accidit & Turoni. Mortuo Leo-
Florent. Cõsilium. ne IX. successit Victor & ipse Alemãnus, qui & à suis persuasus Florentiæ celebrauit synodum, in qua inter alia definitionem Vercelleñ. Conc. confirmauit, & legationem Turonam in Gallias mittere decreuit. Missus est autem Hildebrandus ille qui mox coẽgit synodum caussamq; sacramentariam tractare cœpit. Data
Turonen. Consil. est Berengario facultas defendendi partes suas. Is uero cum non ignoraret quibus præiudicijs omnia con-

tra

tra ipsum agerent Romanenses, haud indecorũ sibi ratus Cretizare cũ Cretẽsibus, in omni actione illa aliud respondere noluit ꝙ tenere se catholicæ ecclesiæ sententiam. Quo dicto magis elusit Cõsilium & Legatos pontificios quàm libertatẽ confessore dignã seruauit.

Iterum ergo cõgregatur Consiliũ in urbe sub Nicolao eius nominis II. anno ab incarnat. dñi 1058. Vocat Romam Berengarius. Adest, non tamẽ recto pede incedit. Dum enim cõfessam ueritatẽ iuberetur exponere & defendere, ille petijt à Nicolao ut fidem quam teneri oporteret uerbis sibi iuberet præscribere. Iniũcta est huius rei cura Humberto Cardinali Burgundo siue Lotharingio, qui uerba fidei Romanæ composuit ac recitauit, deinde assensu omnium ad legendum & confitendum Berengario tradidit: Berengarius traditam recepit, & ut aiunt recitauit, absurdamq; illam palinodiam cecinit, quæ postea in Decreta est relata. Est autem huiusmodi, Ego Berengarius indignus diaconus ecclesiæ sancti Mauritij Andegauensis, cognoscens ueram, catholicam & apostolicam fidem anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem & uinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solumodo sacramentum, & non uerum corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi esse, nec posse sensualiter nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari uel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ & apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis dominicæ Missæ eam fidem tenere quam dominus & uenerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate euangelica & apostolica tenendã tradidit, mi

Romanũ Consiliũ 2.

Reuocatio Berengarij.

hicq; firmauit: scilicet panem & uinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum sed etiam uerum corpus & sanguinẽ domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter nõ solum sacramento, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: iurans per sanctam & homousion trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi euangelia. Eos uero qui contra hanc fidem uenerint cum dogmatibus & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquando contra hæc sentire & prædicare præsumpsero subiaceam canonum seueritati. Lecto & perlecto sponte subscripsi. Hæc ad uerbum Berengarij est recantatio. Nicolaus uero Papa gaudens de conuersione Berengarij, iusiurandum eius misit per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcunq; loca sententia Berengariana peruenerat. Et offendit sanè multos Berengarij pusillanimitas, roborauit autẽ & auxit ubicq; pontificias partes. Berengarius uero sibi male conscius ob abnegatam ueritatem, resumit animũ & iterum priorẽ sententiam prædicare et tueri pergit apud suos in Gallijs.

Interea Romæ bellum auspicijs Nicolai pontificis gerit Hildebrandus Cardinalis cõtra Normannos in Apulia, & hoc finito nouum orditur contra Cadolum pro Alexandro pontifice, quem ipse iusserat esse Papam, ita ut præ bellorũ tumultibus aliquot annis conquiesceret sacramentaria tractatio. Vbi uero Hildebrandus summum occupasset pontificatum, mox in basilica Lateranensi synodum conuocat & Berengarium denuo damnat hæreseos. Id factum aiunt anno domini 1079. Atq; hic non desunt authores qui dicunt Berengarium omisso studio literarum omnia sua erogasse

Roman. Consil. 3.

gasse pauperibus & de cætero sibi labore manuũ suarum uictum quæsijsse. Sed & plura hic de Hildebrando illo in pontificatu Gregogio VII. appellato, ex historijs commemorare possem impia, dira, infanda, uerum cum extet hodie typis excusa eius Vita, descripta per Benonem Cardinalem Romanum, non uidebatur fœdissimarum rerum historia hisce nostris esse inserenda. Meminit eius & Aurspurgensis abbas in Chronicis suis, quibus hac in re plus fidei tribuerim quàm Sabellici & Platynæ elogijs.

A damnato autem Berengario cum mũdo iam senescẽte ecclesiæ status perturbatissimus esset religioq; perpetua pontificum & imperatorum discordia nutaret afflicta, nec tutum amplius quicquã à Turcarum & Sarracenorum incursionibus celeberrimis Asiæ Aphricæq; ecclesijs relictum esset, nouis subinde ordinibus & regulis enascẽtibus, ad illam quam diximus Transubstantiationem est peruentũ, cum scilicet doctores & pastores populi induxissent in animũ, nihil impossibile esse diuinæ potẽtiæ, & uerba Christi, Hoc est corpus meum, &c. clariora apertioraq; esse quàm ut eis uel refragari quisquam posset, uel inter figuratas recensere. Palàm ergo & præsidenter affirmarunt Dominum in cœna nec panem nec uinũ, sed horum loco uerum suum in panis uel sub panis specie corpus & in uini specie sanguinem dedisse discipulis, substantijs uidelicet symbolorum, uirtute uerborum subuersis, & in carnem & sanguinem mutatis siue transubstantiatis. Neq; quicquam de signis supereſſe reliqui præter speciem & apparentiam accidẽtium, quæ quidem miraculose consistant nulli prorsus subiecto innixa. Præterea ipsum domini corpus, quanquã uerum *Sententia transubstantiationis.*

& carnale, & sanguinem eius licet uerum & naturalem, neque loco contineri in sacramento neque apparentia symbolorum circumscribi: & in hostia tamen altaris esse uere corpus ut in cruce passum est, nec tamẽ adesse localiter, sed secundũ modum proprium huic sacramento, quem tandem dicũt esse inexplicabilem. Hæc autem doctrina de Cœna domini planè noua & perplexa diligenter exculta est quorundam postremi sæculi scriptorum lucubrationibus, Hugonis uidelicet, Petri Lombardi, Gratiani & reliquorum quorundam. Claruit autem Gratianus sub Friderycho Barbarossa circa annum domini 1150. aut 1170. quo tempore aiunt & Petrum Lombardum suas scripsisse sententias. Fuit ille monachus Benedictinæ factionis & Bononiẽn. siue Classensis. Hic uero theologus & episcopus Parisiẽn. uterq; nobile religionis pontificiæ columen. Non est enim aliud doctorũ par quod tantopere promouerit in orbe Papismum. Recipiebantur libri ipsorum magno omniũ applausu. In his enim uidebatur è sanctis patribus & pontificum sanctionibus compendium quodpiam Christianæ doctrinæ esse traditum. Mira quoque bonorum inopia authorum laborabant magistri & pastores populorum. Si qui enim rabiem Gothicam euasissent, delitescebant in Bibliothecis Benedictinen. Ergo cum persuasum esset omnibus rapsodis illis nullum defuisse scriptorem ecclesiasticum, lucubrationes ipsorum magna auiditate fideq; recipiebant. Cum tamen constet ab illis non optima semper fide ueterum sentẽtias esse prolatas, nec raro uetustis attributum esse scriptoribus, quod parum habet uetustatis & candoris. His tandem omnibus colophonem imposuit Innocentius ille III. pontifex Romanus,

Gratianus & Lombardus.

Innocentius III.

nus, ecclesiæ dei & ueritatis apostolicæ nocentissima plane lues. Hic enī palàm ausus est XII. fidei articulis addere XIII. trāssubstantiationis uidelicet. Nā in Decretali illa sua Tit. de summa trinitate & fide catholica, Firmiter credimus, in hæc uerba decreuit, Vna est fidelium uniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & uini ueraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, et uino in sanguinem, potestate diuina, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo quod accepit ipse de nostro. Et hoc utiq; sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos qui rite fuerit ordinatus secundum claues ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis eorumq; successoribus Iesus Christus. Compositam aiunt hanc Decretalem circa annum domini 1215. & promulgatam in Synodo Lateranensi, in qua adfuisse dicuntur patriarchæ Constantinop. & Hierosoly. Archiepiscopi LXX. Episcopi CCCC. Abbates XII. Priores conuentuales DCCC. & legati multorum regum missi ut de irruptionibus Sarracenorum propulsandis consultarent. Hoc autem plus authoritatis & fidei in mundo inuenit articulus transsubstantiationis, quo plures ei Consilio interfuisse dicebantur. Sunt enim stolidi quidam qui Lateranense illud symbolum æquādum esse putent symbolo Niceno. Nec mirū cum ad summum fastigium euehat sacerdotium Papisticum. Atqui hæc illa uenusta Helena erat, pro qua tantopere iam plus quàm tribus sæculis decertarūt. Decreto autem illi nemo amplius reclamare audebat, nisi protinus ceu hæreticus duci uellet. Ita uicit tandē error et superstitio,

Pontificiam doctrinã de Transsubstantiatione ex diametro pugnare cum doctrina ueteris ecclesiæ. Caput XI.

HIc uero si subsistas paululum ac conferas nouum hoc de Transsubstantiatiõe dogma cũ ueteris ecclesiæ doctrina, dices illam cũ hac pugnare ex diametro. Principio enim contendũt pontificij simplicia et aperta esse cõsecrationis uerba, Hoc est corpus meum, &c. Inde colligunt, Veritas simpliciter dixit, Hoc est corpus meum, & ideo uerum est omnino quod dixit. Ergo quod panis fuerat cum accepit, corpus suum erat cum dedit. Panis itaq; mutatus erat in corpus ipsius, uinum in sanguinẽ. Hæc ad uerbum habet Innocent. in 4. lib. de sacro alt. myst. cap. 7. Nec aliud canit illa Berengarij palinodia perhibens corpus & sanguinem domini sensualiter, non solum sacramento, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, &c. At ueteres non ita senserunt, sed agnouere mysterium, & aliud esse docuerunt quod sensibus obijcitur aliud quod percipitur mente. Innocentius præterea & qui eum sequuti sunt iudicarunt hæreticum esse sensum, si quis ꝟba domini exponat, Hoc est corpus meum, id est, Hoc significat corpus meum: id est, qui illa huius generis esse putet cuius generis illud est quod dixit apostolus, Petra erat Christus, id est petra significabat Christũ. Legitur hoc in eodem lib. & cap. Innocentij, quod modo citaui, sed & apud Lombardum in Sententijs. Cęterum ostendimus in cap. 3. multis sanctorum patrum testimonijs ueteres non aliter exposuisse hanc domini sententiam, Hoc est corpus meum, quàm in hunc modum, Hoc significat corpus meum. Quid quod D. Aurel. Augustinus illas

Verba cõsecrationis diserta & aperta

sententias,

sentẽtias, Sanguis est anima, & Petra erat Christus, & Hoc est corpus meum, manifestissimè in eandem locutionum classem conijcit: Interim uero audent prędclari isti doctores noui expositionem planè catholicam insimulare hæreseos.

Deinde quod disputant de accidentibus sine subiecto subsistentibus, quis non uideat petitum esse è pharetra illa philosophica, unde pijs uehemẽter debebant esse suspecta. Verissimè enim dixit magnus ille religionis nostrę antistes, Philosophos hęreticorũ esse patriarchas. Apostoli domini Cœnam ipsam appellarunt panem & uinum & fractionem panis, imò panem appellarunt etiam post consecrationem, ceu uidere est in 1. ad Corinth. 10. & 11. cap. & Act. 2. cap. Et Irenęus proximus apostolorum temporibus, Quemadmodũ, ait, qui est à terra panis, percipiens uocationem dei, iã non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti; sic & corpora nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia, &c. apertissimè significans ueteres nesciuisse illam symbolorum euacuationem. Significantius autem Gelasius episcopus Romanus de duabus naturis scribens contra Eutychen & Nestorium, Certe sacramenta, inquit, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res sunt, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ. Et tamen esse non desinit substantia uel natura panis & uini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur hoc nobis in ipso Christo domino sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & sumus, ut sicut in hanc scilicet in

Accidentia sine subiecto.

diuinam transeunt sancto spiritu perficiente substantiam, permanent tamen in suæ proprietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam uirtutemq; ueraciter repræsentant ijs ex quibus constat propriè permanentibus unum Christum quia integrũ uerumq; permanere demõstrat. His quid obsecro poterat uel fingi clarius & euidentius contra istorum doctorum determinationem?

Impij non participãt corpore Christi.

Pręterea huic symbolorum euacuationi acceptum feremus inexpensum illud dogma, quo docuerunt etiam à malis uerum corpus & sanguinem Christi percipi. Quia enim semel definierant substãtiam panis conuersam esse in substantiam corporis Christi, nec quicquam hic supereſſe panis, certè per concomitantiã necesse erat fateri toties uel impios participare corpore & sanguine domini, quoties sumebant sacramentum. Quod tamen ut falsissimum illo subuertitur domini pronunciato, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. At certum est malos siue impios non manere in Christo, quocirca necesse est impios nõ edere carnem domini & bibere eius sanguinem. Verum reperere malagma quo oblíniunt structuram illam suam male compositam. Bonos uidelicet & sacramentaliter & spiritualiter sumere corpus domini, malos sacramentaliter tantum. Id uero quid aliud est quàm simplicibus fucum facere? Illi enim spiritualiter reuera sumunt qui ipso uero domini corpore ueróque eius sanguine participant. Sacramentaliter tantum sumunt, qui signum sumunt, re ipsa non participant. Quare ergo isti dicunt malos sumere sacramentum sacramentaliter & tamẽ uerum domini corpus? Vnde hoc probabunt? Certè Augu-

stinus longè aliter docuit cum libro de Ciuitate dei uigesimoprimo, cap. uigesimoquinto sic scripsit, Denicq; ipse dominus dicens, Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meũ in me manet & ego in eo, ostendit quid sit non sacramentotenus, sed reuera corpus Christi edere, & eius sanguinem bibere. Hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit tanquam diceret, Qui nõ in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum aut bibere sanguinem meum. Hæc Augustinus. Nouam ergo doctrinam attulit Lombardus, qui libro Sententiarum quarto, distin. 9. aperte dixit, à malis uerum corpus Christi uerumq; eius sanguinem sumi.

Illud quoq; lepidum est, quod aiunt corpus Christi uerum uerè ac substantialiter esse in hostia, sed nõ qualitatiuè, quãtitatiuè, aut ut in loco circũscriptiuè. Quis enim ueterum sic unquam locutus est? Aut quid hoc aliud est dicere, quàm si dicamus, Verũ & naturalem ignem alicubi ardere, sed sine calore, & solem alicubi lucentem cerni sed sine luce? Non patitur fides ueritatis humanæ naturæ in Christo, ut nostro, id est uere humano corpori Christi corpus consubstantiale esse dicamus, & interim forma, unitate, dimensionibus, quantitate, & situ partium atque simetria exuamus. Religiosissimè ergo Augustinus, & multo aliter quàm Sophistæ de hoc negotio iudicans ad Dardanũ, Spacia, inquit, locorũ tolle in corporibus et nusquam erunt: & quia nusquã erunt, nec erunt: tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, & ideo necesse est ut non sint. His pauculis uerbis si cõferas sophistarum glossas uidebis q̃ sint elumbes & uanæ. Sed arbitran-

Corpus et sanguis domini in cœna non localiter, & cætera.

tur fortaſſis carni Chriſti huiuſmodi competere quod ſit uerbi caro: audiant ergo eundem Auguſtinum ad Dardanum ſic dicentem, Quod ad uerbū attinet creator eſt Chriſtus. Omnia enim per ipſum facta ſunt: qđ uero ad hominem creatura eſt Chriſtus. Factus eſt ẽ ex ſemine Dauid ſecundum carnem, & in ſimilitudinem hominum factus. Nec tamẽ cum filium dei Chriſtum dicimus hominem ſeparamus: aut cum eundem Chriſtum filium hominis dicimus ſeparamus deū. Secundum hominem nanq; in terra erat, nō in cœlo ubi nunc eſt, quãdo dicebat, Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcẽdit de cœlo, filius hoīs qui eſt in cœlo. Quamuis ſecundū id qđ filius dei erat eſſet in cœlo, ſecundū id uero qđ filius hominis erat adhuc eſſet in terra nondumq; aſcendit in cœlū. Et mox, Cauendū eſt, inquit, ne ita diuinitatẽ aſtruamus hominis ut ueritatẽ corporis auferamus. Nō eſt aūt conſequens, ut quod in deo eſt ita ſit ubiq; ut deus. Nã & de nobis ueraciſſima ſcriptura dicit, quod in illo uiuimus, ſumus, et mouemur, nec tamen ſicut ille ubiq; ſumus, ſed aliter homo ille in deo, quoniam & aliter & deus in homine proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona deus & homo eſt, & utrunq; eſt unus Chriſtus Ieſus, ubiq; per id quod deus, in cœlo autem per id quod homo. Hactenus Auguſtin. manifeſtè docens unam quidem & inſeparabilem eſſe Chriſti perſonam uero deo et homine conſtantem, utranq; tamen naturam in ſua proprietate perſtare. Docuit idẽ & Tertullianus ante Aug. contra Praxeam diſputans ac dicens, Videmus duplicem ſtatum non confuſum, ſed coniunctum in una perſona, deum & hominem Ieſum. Et adeo ſalua eſt utriuſq; proprietas ſubſtantiæ, ut & ſpiritus res ſuas egerit in

Chriſto,

Christo, i. uirtutes, & opera, & signa: et caro passiones suas functa sit, esuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia usq; ad mortem, deniq; & mortua est. Quod si tertium quid esset ex utroq; cõfusum ut electrum, non tam distincta documenta parent utriusq; substantię, &c. Ad quem modum legis & in Definitionibus Ecclesiasticorum dogmatum cap. 2. Non duos Christos neq; duos filios fatemur, sed deum & hominem unum filium: quem propterea & unigenitum dicimus manentem in duabus substantijs sicut ei naturæ ueritas contulit: non confusis naturis neque immixtis sicut Timothiani uolũt, sed societate unitis. Deus ergo hominem assumpsit, homo in deum transiuit, non naturę uersibilitate, sicut Apollinaristæ dicũt, sed dei dignatione, ut nec deus mutaretur in humanã substantiam assumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in deum. Quia mutatio uel uersibilitas naturæ & diminutionem & abolitionem substantiæ facit, &c. Igitur cum humana Christi natura in sua proprietate permaneat, nequit uerum & naturale domini corpus in pane substãtialiter esse, ut interim quãtitate, dimensionibus, & situ partium, siue loco careat.

Nec est ut illi nobis corpus domini clarificatũ proferant. Manet enim in corpore clarificato substantia quæ non conuertitur in spiritũ. Manifestè enim credimus & cõfitemur carnis resurrectionem. Et dominus Iesus in euangelio ueniẽs ad discipulos corpore è mortuis resuscitato et clarificato, illisq; arbitrantibus se uidere spiritum, dixit, Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in cordibus uestris? Videte manus meas & pedes meos: quia ego ipse sum. Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me. *Corpus Christi clarificatum.*

uidetis habere. Et cum hæc dixisset, ostẽdit eis manus & pedes. Audis opinor, domini corpus glorioſum habere carnem & ossa, corpus esse humanũ & uerum dimensionibus finitum: igitur non poterit extendi per omnia. Religiosissimè enim D. Aug. in eadem ad Darda. epistola, Memoriter, inquit, recole & fideliter tene Christianam confessionẽ. Quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde q̃ inde uenturus est ad uiuos & mortuos iudicandos: & sic uenturus est, illa angelica uoce testante, quemadmodũ uisus est ire in cœlum: id est, in eadem carnis forma atq; substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubiq; diffusus. En quid poterat dici clarius & euidẽtius? Idem in Psalmum 54. Donec sæculum finiatur, ait, sursum est dominus, sed etiã hic nobiscum est ueritas domini. Corpus enim in quo resurrexit in uno loco esse oportet, ueritas autem eius ubique diffusa est. Legant quæso Sophistæ S. Hieron. epistolam ad Pamachium de erroribus Ioan. Hierosolymitani, & intelligent quàm orthodoxum sit, quod fingunt corpus Christi glorioſum quasi æthereum esse, quod nec tactui subiaceat, nec oculis cernatur, nec pondere prægrauetur & pro locorum in quibus futurum est uarietate mutetur.

Ineffabiliter. Ergo non recipimus inuolucrum illud aptissimum ad decipiendos homines instrumentum ineffabiliter ista fieri. Nam ueteres quemadmodũ superius patuit explicare potuerunt mysteriũ Cœnæ, ipsam uero gratiam et beneficentiam quam præstat dominus recte appellarunt ineffabilẽ. *Miraculũ.* Quod autẽ Miraculum in transsubstantiatione fieri dicunt de suo addunt. Nam ut ue-

teres

teres Transsubstantiationis negotium ignorarunt, ita S. Augustin. lib. de Trinitate 3. cap. 10. palàm indicat nihil miraculi circa symbolorum eucharistiæ consecrationem accidere, interq; signa numerat, quæ ab homine proponuntur, quæ quidē ita distinguit, ut quædam dicat diutius manere, sicut serpens æneus in deserto diu mansit: quædam uero post peractum mysterium cui adhibentur, cito transire. Sicut, inquit, panis in accipiendo sacramento consumitur. Deinde in hæc uerba subiungit, Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira nō possunt, & cætera.

Fatemur sanè & nos diuinam omnipotentiam, sed hanc à ueritate & iustitia dei nō separamus, neq; quidlibet in omnipotentiam dei reijcimus, quod scriptum sit, Omnia quæcunq; uoluit deus fecit in cœlo & in terra. Et iterum, Credidit Abraham quod is qui promiserat, idem potēs esset & præstare. Piè ergo & secundum scripturas Tertullianus contra Praxeam, Planè nihil, inquit, deo difficile sensi. Tam abruptè in præsumptionibus nostris utamur hac sententia, quidquis de deo cōfingere poterimus, quasi fecerit quia facere potuerit. Non aūt quia omnia potest facere ideoq; credendū est illū feciſſe etiā quod non fecerit, sed an fecerit requirendum. Hac ratione erit aliquid et difficile deo, id scilicet quodcunq; nō fecerit, non quia non potuerit, sed quia noluerit. Dei em̄ posse uelle est, & non posse nolle, qđ aūt uoluit & potuit & ostendit. Debuissent ergo & Sophistę ostendisse deum uelle impanari & corpus de uirgine natum & crucifixum, uerum et naturale sine dimensionibus in pane exhibere; id cū nequeat ostendi,

Omnipotentia dei.

uaniſſime obtenditur omnipotentia dei.

De uirtute uerborum.

Iam qđ de uirtute uerborum afferunt, quaſi uerba cõſecrationis eã uim habeant ut prolata transformẽt aut cõuertant panẽ in carnẽ, ueteribus planè nouum, imò planè incognitũ fuiſſe cõſtat. Verba ſignificant & ſignificando admonent, nec aliud per ſe efficiunt. Docuit hoc non uno loco S. Aug. Nam Tracta. in Ioan. 80. ita ſcribit, Quare non ait mundi eſtis propter baptiſmum quo loti eſtis, ſed ait propter uerbum quod locutus ſum uobis, niſi quia & in aqua uerbum mundat? Detrahe uerbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit uerbum ad elementum & fit ſacramentum, etiã ipſum tanquam uiſibile uerbum. Vnde iſta tãta uirtus aquæ ut corpus tangat & cor abluat, niſi faciẽte uerbo? Non quia DICITVR ſed quia creditur. Nam & in ipſo uerbo aliud eſt ſonus trãſiens, aliud uirtus manens. Et in Tract. 26. Quid faciunt homines, inquit, foris ſecus annunciantes? Quid facio modo ego cum loquor? Strepitũ uerborũ ingero auribus ueſtris. Niſi ergo reuelet ille qui intus eſt, quid dico aut quid loquor? Exterior cultor arboris, interior eſt creator. Qui plantat & qui rigat extrinſecus operatur, hoc facimus nos: ſed neq; qui plantat eſt aliquid neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat deus, hoc eſt erunt omnes docibiles dei, &c. Nouo igitur figmento uoluerũt nouum ſacerdotium & ſacerdotalẽ poteſtatẽ plus ſatis efferre, ornare, imò & inter ſydera collocare, quo tandem & adorarentur à ſtolidis hominibus.

Hæc paucis perſtringere uolui, ut nemini obſcurũ eſſet nouã illam de Trãsſubſtantiatione doctrinã cum ueteri dogmate de ſacro corporis & ſanguinis myſterio palàm & ceu ex diametro pugnare.

Quæ

Quæ sequuta sint dogma Transsubstantiationis nouum. Cap. XII.

REdimus nunc, ac quid definitionẽ illã Transsubstantionis sequutum sit perstringimus. Postea quam ergo sibi persuaserant in sacramentis Cœnæ nihil supereſſe subſtantiæ uel panis uel uini, sed uerum ibi contineri corpus & sanguinem domini, cõsequenter sic ratiocinabantur. Si corpus est & anima igitur & diuinitas sunt unà cum corpore, quando personam Christi constet esse indiuisibilem aut inseparabilem. Cœperunt ergo Sacramento parare tabernacula, & thecas, & ædiculas, & coram his procumbere adorantis animo & affectu. In Missis quoq; ad eleuationem eucharistiæ prostrauerunt se ad adorandum. Non leuiter iuuit hunc errorem Honorius ille 3. qui Decretalium li. 3. tit. de celebratione Missarum, in hæc uerba statuit, Ne propter incuriam sacerdotũ diuina indignatio grauius exardescat, districte præcipiendo mandamus, quatenus à sacerdotibus eucharistia in loco singulari mundo & signato semper honorificè collocata deuotè & fideliter conseruetur. Sacerdos uero frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinent, idem faciẽs cum ea defert presbyter ad infirmũ, &c. Excessit hic Honorius anno domini 1226. Cæterũ non fuisset ullis opus præceptionibus si ex ritu ueteri & apostolica traditione inclusionem illam adorationemq; eucharistiæ accepissent ecclesiæ. Neq; uero hodie inuenies ullas ædiculas sacramentarias apud nos spectatę uetustatis esse. Apostoli enim & apostolici, ueteres deniq; patres ipsi planè ignorauerũt illã sacramẽtorum adorationẽ. Discumbentes enim ad mensam do

Adorata eucharistia.

minicam ederunt & biberunt quod ille porrexit, qui dixit, Accipite, edite: & nõ, Accipite, includite, & adorate. Præuidit hunc errorem dominus, & ideo mature monuit suos in euangelio, & dixit, Si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabũt signa magna & prodigia, ita ut in errorẽ inducantur, si fieri possit, etiam electi, Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usq; in occidẽtem, ita erit aduentus filij hominis. Vnde apostolus Paulus non in terris, sed in cœlis in gloria & dextera patris iussit nos quærere Christum. Sublatis ergo cum apostolis in cœlum manibus atq; cordibus adoremus regẽ regũ Iesum Christum regnantem in cœlis, benedictũ in sæcula, Amen.

Festũ corporis Christi.

Auxit, imò cõfirmauit etiã errorem Transubstantiationis receptũ Vrbanus IIII. Cistertiensis ordinis monachus, qui primus omniũ sacramento corporis et sanguinis dñi celebre festũ instituit, lege id celebrandi oĩbus ecclesijs præscripta, ceu uidere licet in Clementinæ decretalis li. 3. tit. 16. can. Si dñm. Testatur autem hoc se instituisse ad confundendã (ipsius uerbis utor) specialiter hæreticorũ perfidiam & insaniã. Voluit interim ut eo die fideles confessione, eleemosynis, & oratione parati preciosum dñi sacramentum digne accipiant. Aiunt uero Thomam Aquinatẽ prædicatoriæ factionis monachũ Vrbano põtifice iubente totum illud eius diei ecclesiasticũ officium cõposuisse, idq; factum esse anno dñi 1264. Et quanq; per initia festũ hoc celebrarit uetustas temperantius, euenit tamẽ hic qđ solet in omnibus cõstitutionibus & ceremonijs humanitus

nitus institutis, ut tandem in summam exeant corruptelam. Quis enim hic paucis explicauerit quàm nihil Christo dignum in hoc festo apud nos sit uisum? Intermittebatur diuini uerbi prædicatio, quo locus esset ludis et ceremonijs. Ignorabatur uerus eucharistię usus. Aperiebatur idololatriæ fenestra. Ferebatur enim in pompa sacramentũ, et adorabatur à uulgo promiscuo. In domibus agrisq; lustrandis mirè stulta uigebat superstitio. Mulieres in pompa cultu ornatæ meretricio incedebant: quid quod sacerdotes amasiorum more compti suaui cantu sese puellis uerius q̃ deo insinuabant? Breuiter quæcunq; olim cõtempta et ceu Gentilitia conculcata sunt ab apostolis et sanctis patribus, ea semel omnia nũc exinanita humilitate crucis, ceu deo grata, sunt proposita & repetita, aurum, argentũ, gemmæ, tabulæ, imagines, spectacula, purpuræ, cymbala, flores, & quicquid miratur stultitia mundi. Hi scilicet fructus sunt nostrarum adinuentionum ac ceremoniarum. Hæc consecuta sunt glorioſam illã de Transsubstantiatione determinationem. Exemplum huius pompæ parum sobriæ non reperies in ullis literis apostolicis, sed si libet apud Apuleium lib. de Asino aureo 11. Nam quod Dauid arcã domini pompa deduxit, aliam longe rationem habuit.

Hoc tempore floruere egregia certè ingenia, si recte & pie fuissent exculta, & non deprauata traditioni bus Papisticis. Claruere enim Alexander de Ales, Albertus magnus, Thomas Aquinas, Bonauentura, & multi huius classis alij, qui omnes mirificè exornarunt ac promouerunt res Papisticas. Aeditæ sunt præterea horũ sæculo & Decretales Gregorij IX. Sextus item Decretalium triceſimo fortassis anno à morte Aqui- *Decretales & Sententiarij.*

natis euulgatus est à Bonifacio VIII. & pauculos post annos Clementinæ decretales, sed & ab omni pietate & uera religione exorbitantes Extrauagantes illæ Ioann. 22. ecclesijs sunt obtrusæ. In has autem uarij & uasti commentarij conscripti sunt, defensusq; & propagatus error. In Sententias quoque sine fine et modo scripserunt monachi, præsertim mendicantes, quorum institituta magno ecclesię malo confirmauit Honorius tertius. Cupiebant illi beato patri aliquam referre gratiam, ut interim & ipsis quoq; esset melius, ergo totis uiribus & scribendo & prædicãdo Papismum mundo inculcauerunt. Horum præpostera & infelici diligentia ac doctrina, omnia religionis nostræ inuoluta sunt quæstionibus. Ex hoc fonte erupit impetuosum illud de eucharistia quęstionũ & dubiorũ flumen, è quo nemo saluis mercibus & ratibus enauigauit unq̃. Huiusmodi enim tradunt quæ non possunt non intricare ac perturbare cõscientias, ut certè satius esse uideatur illa ignorare quàm discere, contemnere q̃ expetere, obliuisci q̃ meminisse. Et ut specimẽ aliquod habeas apostolicarum illarũ si Dijs placet quęstionum, disputant,

Quæstiones. Vtrũ ibi sit uerũ & substantiale corpus Christi? Quid etiam in quid conuertatur? Quæ substantia maneat, quæ desinat, et an desinens annihiletur? Vtrum totus in toto sacramento & totus in qualibet parte? Vtrum omnes proprietates & qualitates naturaliter corpori Christi inexistentes in cœlo, insint sibi in sacramento? Vtrum in sacramento corpus Christi sit ornatum dotibus gloriæ? Vtrũ localiter descẽdat de cœlo ut esse incipiat in sacramento? Vtrũ sit in sacramento circumscriptiuè aut diffinitiuè? Vtrum simul & semel esse possit in diuersis ubi? Quomodo esse possit totus & integer

in

in tam paruo fruſto panis? Vtrũ ut ibi ſit adorandum latria adoratione? & cæt. Hic uero nemo facile dixerit quàm inſaniant miſeri circa has diſputationũ pugnas, ex quibus iuxta Apoſtoli uerbum, enaſcitur inuidia, contentio, blaſphemia, ſuſpiciones malæ, ſuperuacaneæ conflictationes hominum mente corruptorum & quibus adempta eſt ueritas, qui exiſtimant quæſtũ eſſe pietatem. Atq; hi illi egregij fructus ſunt perplexę illius Transſubſtantiationis. Occuparunt autẽ hæ nugæ pluſquam futiles, aniles, & peſtilentes, omnes propemodum cathedras ſacras, & hinc ſparſæ ſunt in miſeram plebeculam quæ ſe illa credere ac intelligere ſimulabat, quæ tamen ipſis doctoribus nondum erant cognita. Nam iuxta apoſtoli uerbum ipſi quid loquantur neſciunt neq; de quibus aſſeuerant.

Vſus calicis ſurreptus eſt laicis.

Et proculdubio alteram illam ſacramenti ſpeciem laicis ſurreptã nemini acceptũ ferre poſſumus quàm Transſubſtantiationi & decretali Innocentianæ, quæ omnino dignitatem ſacerdotalem euectam cupiebat. Quod ſi utraq; ſpecie participaſſent laici, tãta illorum uiſa fuiſſet dignitas quanta ſacerdotũ, neq; cõgruens uidebatur afferri poſſe ratio quæ oſtenderet ſacerdotes tantum immolare corpus & ſanguinem domini et non laicos quoq;. Neque diſſimulauit hæc Gerſon in Tractatu ſuo ædito contra hæreſim de cõmunicatione laicorũ ſub utraq; ſpecie. Fuit is uir neq; indoctus omnino neq; peſſimus, ſed in hoc negotio non ita ſe geſſit ut decebat. Alioquí non cõſtat certò quo tempore aut quibus authoribus uſus calicis dominici ſurreptus ſit laicis. Apparet quidem id factum poſt ætatẽ Lombardi & ante tempora Conſtantienſ. conſilij. Nam in hoc demum error confirmatus eſt, & traditio apoſtolica &

ecclesiastica ceu hæretica est proscripta. Gabriel enim Lectio. in Canonem 84. Olim quæstio illa, Vtrum populus fidelis participaturus eucharistiã teneatur eam sumere sub utraq; specie? poterat esse dubia: sed nunc post determinationem Cõsilij Constantien. ueritatem catholicam determinantis dicere communionem sub utraq; specie esse de necessitate salutis omni fideli, est hæresis ibidẽ publice condemnata, &c. Certe legimus hac potissimum causa uiuos crematos esse optimos illos et fidelissimos uiros Ioan. Hussium & Hieronymũ Pragensem, haud dubie sanctos dei martyres. Neque enim aliud quàm ueterem & apostolicam sententiam de participatione utriusq; speciei fuerãt cõfessi. Quid enim apertius est quàm quod apud Matthæum dicit dominus, Bibite ex hoc omnes? Ad panem non apposuit, Edite de hoc oẽs. Præuidit enim futuros in ecclesia qui sacrilega audacia id quod dominus tradiderat & concesserat ecclesiæ essent surrepturi. Rursus quid apertius quàm quod fidelis Christi apostolus Paulus sancte obtestatur id se bona fide tradidisse Corinthijs quod acceperat à domino? Tradidit autem utriusque speciei usum, & hoc negotij concludens, Probet autẽ homo seipsum, inquit, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Certissimum igitur, imò indubitatum est patres illos Constantien. consilij in ecclesiã dei fuisse perfidos, & in deum ipsum blasphemos, utpote qui non ea qua debebãt fide id quod à domino per apostolos acceperant ecclesiæ tradiderũt uel permiserunt saltem, & quod ipsam domini institutionem ac traditionem apostolicam aperte calumniantur hæreticã. Proh pudor, quæ illa uesania est? At hi sunt dulces illi fructus speciosæ illius Transsubstantiationis, quam nisi

cæcus

cæcus sis uides præcipuum esse firmamentum sacerdotij & sacrificij Papistici. Adhæc pluríma possem uetérum producere testimonia, quibus calicis usum in ecclesijs receptissimum fuisse ostenderẽ, & sero tandem abrogatum, nisi alioqui fuissem prolixus. Ergo ne de Basileieñ. quidem consilio & permissione utriusq; speciei, Bohemis illam extorquẽtibus, quicquam dicam.

Hoc adijciã duntaxat Missas post infausta illa Consilia nostra ætate & maiorum nostrorum in manifestissimum uenisse abusum, imò in impietatem apertissimam, & omnibus modis execrabilem. Rarissimus est enim hodie Cœnæ dominicæ usus in plebe sancta, creberrimus est autem usus Missarũ apud sacerdotes impuros, & longe crebrior ac uilior quàm quisquã satis defleat. Sacrificatur indies à sacrificis scortatoribus, & omni flagitiorum pollutissimis hominibus. Sacrificatur autem pro uiuorum & mortuorum salute, imò pro re siue uoto quolibet. Stant enim in templo ceu foro quopiam instructi sacrifici quasi precarij & conductitij serui, aucupantes undiq; si quos in nassam suam alliciant à quibus pecuniã pro sacrificio extorqueant uel eblandiantur. Rei enim tam sacræ memoriam toti ecclesiæ à saluatore per apostolos traditam, isti tanquã sibi duntaxat creditam ad quæstum seu uentrem saginandum quasiq; artificium quopiam quo se nutriant, tanta confidentia tenent, ut nunc credãt hisce nostris uerbis totum illum ordinem sacerdotalem summa affectum esse ignominia atq; iniuria. Præterea nouis paramq; apostolicis concionibus ita populi animos dementarunt, ut miseri credãt uel aspiciendo & ponè sacrificũ ad Missas stando mereri se nescio quid. O tempora, ô mores, ô impiam & sacrilegam impudentiam.

Prophanatio Missarum.

Metuo nobis omnibus maxima à iustissimo deo impendere mala, propter indignam illam et horribilem sacramentorum Christi prophanationem ac conculcationem. Quantulum peccarant obsecro in celebratione sacramentorum Corinthij si conferantur illorum errores nostræ prophanationi? Interim audiunt ab apostolo, Qui edit & bibit indigne, iudiciũ sibi ipsi edit & bibit, non dijudicans corpus domini. Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Quid ergo nobis nisi extrema quæq; & maximas iræ diuinæ plagas pollicebimur, nisi ad dominum cõuersi, secundum uerbum eius sacramenta illius celebrauerimus?

PERORATIO.


RElicto ergo errore hominum uario perplexo & multiplici, redeamus quæso ad primam illam ac purissimam traditionẽ apostolicam, quæ ut diuina est certa & indubitata, ita planè fallit neminem. Nihil ipsa aut parum ceremoniarum, nihil difficultatis & grauaminis, nihil sumptus aut luxus habet. Simplex est, frugalis, plana, sobria & syncera, qua nulla potest melior, cultior, religiosior, deoq; gratior, & ecclesiæ dei decentior inueniri. Hæc cum fidei nostræ ac charitatis cõmendet mysteria, quomodo cum Christo coniungamur, & ille in nobis uiuat, & nos in ipso, quomodo denicq; omnia Christi membra inter se coniungantur, & quomodo mortis domini nunquam obliuiscimur, sed per actionem mysticam illam frequenter ac religiose refricare diuinæq; bonitati gratias agere, & nomini eius benedicto sacrificium laudis immolare

re debeamus: repudiatis ergo spinosis illis de transsubstantiatione, de corporali & tamen nõ carnali præsentia, de uirtute uerborum, deq; omnipotentia dei quæstionibus, curemus id potius ut digne nõ indigne tanta sacramenta celebremus, hoc est ut uera fide coniungamur cum filio dei, ut ille in nobis per spiritum suum & nos in illo uiuamus, ut nõ de symbolis modo sumendis simus solliciti, sed ut ille nos spiritualiter corpore & sanguine suo in æternam uitã pascat, qui pro nobis incarnatus, passus, & sepultus est, qui tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris: quo sublatis cordibus adoremus regnantem in sæcula: curemus item ut pro beneficijs tam eximijs et ineffabilibus simus grati, ut ex animo laudemus misericordiam eius, studeamusq; innocentiæ & uerbo eius. Cumq; Cœna illa mystica symbolum quoq; sit coniunctionis & confœderationis fidelium inter sese, agite dilligamus nos mutuo sicut dedit præceptum, condonemus inuicem errores atque peccata, benefaciamusq; quantum possumus omnibus creaturis redemptoris nostri, ut postquam hinc migrare cõtigerit, diuina miseratione ducente et concomitante ad eũ in cœlos perueniamus, ipsumq; desiderium nostrum Iesum Christum dominum & redemptorem nostrum facie ad faciem uideamus, cuius mysteria in terris legitimè nunc per speculum & in ænigmate peragimus. Cui sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

174921

4 hrc mss. Egerton


colorchecker DIGITAL SG
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
A
B
C
D
E
F
G
H
I
J
K
L
M
N
calibrite
X-rite ColorCheckerSG S/N:151021-1259 Data 15.10.21 Item No.:MX-7181
mm
0
1
2
3
4
5
6